C

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

SEU

COMMENTARIA

IN SUMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

DE REPARATIONE

POST LAPSUM

PER *GRATIAM* ET *VIRTUTES*

(I-II, Q. LXXXI et sqq ; II-II, Q. I-XXIX)

AUCTORE

ALOISIO-ADULPHO PAQUET

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE LAVALLENSI

QUEBECI

EX TYPOGRAPHIA FRATRUM DEMERS

1897

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

SEU

COMMENTARIA

IN SUMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

DE REPARATIONE

POST LAPSUM

PER *GRATIAM* ET *VIRTUTES*

(I-II, Q. LXXXI et sqq; II-II, Q. I-XXIX)

AUCTORE

ALOISIO-ADULPHO PAQUET

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE LAVALLENSI

QUEBECI
EX TYPOGRAPHIA FRATRUM DEMERS
1897

Lectiones ab eminenti
[illegible] J. Alf. Langlois datae.

DEDICATIO

SUMMO AC ILLUSTRI

SACRÆ DOCTRINÆ MAGISTRO

DIVI THOMÆ INTERPRETI CLARISSIMO

ECCLESIÆ CHRISTI SERVO ZELANTISSIMO

EMINENTISSIMO VIRO **FRANCISCO SATOLLI**

SINGULARI QUODAM AMICITIÆ CULTU

A **LEONE** PAPA MERITISSIME HONORATO

VOLUMEN HOC ATQUE INTEGRUM

COMMENTARIORUM QUALECUMQUE OPUS

FERVENS GRATUSQUE DISCIPULUS

OFFERT AC DEDICAT

J. A. Pamphile Roy. Eccl.

EPISTOLA

EMINENTISS. CARD. SATOLLI

AD

AUCTOREM

—

Placet præ lectorum oculis ponere verba quæ Em^{us} Card. Satolli, de re thomistica tam bene meritus, ad nos scribere dignatus est (die 31^{a} Martii 1897), quæque ex italico idiomate in latinum vertimus :

" Mihi tecum gratulor in Theologiæ profectum, quia jam " paratum habeas tertium commendatissimarum tuarum " Prælectionum volumen, quod claritudine, quæstionum " sobrietate, et sincera doctrinarum thomisticarum exposi- " tione profecto non impar cæteris succedet. Methodus, qua " doctrina et textus ipse S. Thomæ fideliter exhibeatur, varia " quidem esse potest et, pro circumstantiarum opportunitate, " alia alii præferenda, uti exempla demonstrant, sed illa " quam sequendam elegisti in genere utilissima est aliisque " securior. Quapropter in votis est ut incœptum opus tot " compleas voluminibus quot integer cursus theologicus " requirit—ad eruditionem incipientium.—Et jam nunc vehe- " menter exopto ut opus illud quasi textus universaliter " adoptetur in remedium tam multorum Compendiorum quæ " singulis annis nascuntur meritoque deflorescunt, utpote " destituta præcipuis dotibus ad bonum Theologiæ Dogma- " ticæ cursum necessariis."

En textus italicus.

Roma, 31 Marzo 1897.

Revmo e carmo Prof. Paquet,

Mi congratulo con Lei nell'interesse della Teologia che già tenga pronto il terzo Volume delle sue commendevolissime Prelezioni, il quale per chiarezza, sobrietà di questioni, e per schietta esposizione

della dottrina di S. Tommaso, sarà pari agli altri. Il metodo di presentare fedelmente la dottrina ed il Testo medesimo di S. Tommaso può esser vario, e secondo le circonstanze uno più confacente di un altro, come si hanno esempi, ma il metodo adottato da V. S. è per la generalità utilissimo ed il meglio sicuro. Io quindi faccio voti che V. S. prosegua fino a dare tanti volumi che comprendano l'intero insegnamento—ad eruditionem incipientium.—E fin da ora faccio ardenti auguri che il suo lavoro sia adottato qual testo universalmente a rimedio di tanti Compendi che di anno in anno nascono ed appassiscono meritamente mancanti delle prime qualità richieste per essere un buon Corso di Teologia Dommatica...

La riverisco, e Le auguro ogni maggior bene repetendomi con sensi di altissima stima

di Vostra Signoria Revma

Umo ed affmo

† Fr. Card. Satolli.

IMPRIMATUR

† L. N. Archiep. Cyrenen.

Administrator.

Quebeci, die 20ª Aug. 1897.

—

Cum ex Seminarii Quebecensis præscripto recognitum fuerit opus cui titulus est *Disputationes theologicæ seu Commentaria in Summam theologicam D. Thomæ: De Reparatione post lapsum per Gratiam et Virtutes, auctore Aloisio-Adulpho Paquet,* nihil obstat quin typis mandetur.

Thom. St. Hamel, Pter,

Pro-Rector Sem. Queb.

Quebeci, die 23ª Aug. 1897.

PRÆFATIO

Benignus favor, quo priora incœpti commentarii in *Summam theologicam* volumina accepta sunt, haud mediocriter cor nostrum movet, animum roborat, stimulosque ad prosequendum opus adjicit. Non solum enim ex canadensis regionis clero summisque Pastoribus, in primis ex doctissimo Præsule qui Quebecensem Ecclesiam sapientissime moderatur, sed et ex illustrissimis viris, quorum scientia nomenque sunt tum Europæ tum Americæ decus, prodiere suffragia apprime laudatoria de quibus gratias Deo rependimus. Hæc quidem, collatis quæ cepimus propriis experimentis de aptiori ratione tradendi sacram Theologiam, magis magisque suasos nos faciunt illam præ cæteris methodum excellere qua juvenum mentes severiori disciplinæ subdantur deque ipsis fontibus thomisticis doctrinalem sapientiam haurire assuescant.

Materia hujus voluminis erit divinæ gratiæ cœlestiumque virtutum indoles visque, post miserandum humani generis lapsum, reparatrix et efficax. Jam enim commentando

Primam Partem *Summæ* exploravimus quæ sive Deum in se, sive ejus ad extra operationem, mundi constitutivam, respiciunt. Verum homo, nobilissimis originalis justitiæ donis locupletatus, ab alto vertice infeliciter cecidit suaque traxit ruina posterorum universitatem ; quorum sane status haud satis defleri posset nisi Deus clementissimæ voluntatis consilio decrevisset tantam miseriam nova gratiarum effusione allevare.—Fatemur doctrinas, quas tractaturi sumus, ad rem moralem rectamque agendi rationem pertinere ; at certe convenit ut moralia ipsa, præsertim quæ communia actuum humanorum principia attinent, speculative ac dogmatice considerentur.

Tractatio præsentis operis in tres partes dividetur, quarum prima, veluti præambularis, aget de *Peccato originali*, secunda de *Gratia* peccati reparatrice, tertia de *Virtutibus* quæ, quasi rivuli, ex gratiæ fonte uberrimo scaturiunt.

PARS PRIMA

DISPUTATIO PRIMA

DE PECCATO ORIGINALI

(I-IIæ, Q. LXXXI et sqq.)

" In tam magna causa, ubi christianæ religionis summa consistit " (Aug. cont. Julian. l. I, c. 7), præstat diligenter inquirere quid fides doceat quidve Doctorum mens, revelationis rationisque documentis illustrata, in dogma illud explicandum omnique ab errore custodiendum conferat.—Tria de peccato originis disputari possunt: *an sit*, *quid sit*, quosque *effectus* sibi proprios pariat. Unde tres legitime instituentur quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA

DE TRADUCTIONE PECCATI ORIGINALIS

Peccatum in genere *definitur* a S. Augustino aliisque Doctoribus: *Dictum vel factum vel concupitum contra legem æternam*; sic ut priora verba exprimant quasi materiale elementum peccati, posteriora vero elementum quasi formale (I-IIæ, Q. LXXI, a. 6).—Ex parte causæ acceptum, distinguitur peccatum in *personale* et *originale*, quatenus vel propriæ voluntatis actu committitur, vel aliena, scil. Adami, voluntate commissum per carnalem generationem in posteros derivatur.

Cum igitur culpa originis supponat actualem transgressionem in eo a quo transfunditur, dicendum primo erit de illa transgressione secundum quod *personaliter* ad protoparentes spectat (art. 1), dein vero secundum quod *communiter* humanum genus afficit. Id autem investigari poterit vel quoad primi peccati traductionem (art. 2), vel quoad traductionis extensionem, sive ex parte principii, quærendo scil. an alia peccata præter primum traducantur (art. 3), sive ex parte termini, proposito dubio utrum peccati traductio omnes homines attingat (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum et quomodo primi parentes peccaverint.

De peccato protoparentum personaliter sumpto plura edisserunt auctores, maxime vero S. Thomas (II-IIæ, Q. CLXIII-CLXV) et Bellarminus (de Amiss. gr. et St. pecc. l. III), quæ nos compendiosiori stylo proponemus.

Quæri potest: *a) primo*, num protoparentes vere peccaverint, cum nonnulli id temerarie negasse referantur; *b) secundo*, quamnam peccati speciem admiserint, de quo non una opinio fuit; *c) tertio*, quænam fuerit peccati illius gravitas. Quibus respondebimus tribus conclusionibus.

Conclusio 1a.—VERE PRIMI PARENTES PECCAVERUNT, NEQUE INCONVENIENTER DEUS ILLOS TENTARI AC LABI PERMISIT.

1a *Pars fide* nititur ex *Conc. Trid.* (Sess. V, c. 1): "Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum *mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus*, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; A. S."

Sane 1o legimus (Gen. II, 16-17): *Præcepitque ei dicens:*

Ex omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas ; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris (cf. ibid. III, 1 sqq.). Ubi patet ex verbo *præcepit* pœnaque contra delinquentes lata non admonitionem tantum, sed legem exprimi ; quam qui transgressi sunt, graviter peccarunt.—De præcepto illo loquens *S. Thomas* (Opusc. II, c. 188) ait : " Cujus quidem ligni esus non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset, sed ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret ea sola ratione, quia esset a Deo præceptum : unde prædicti ligni esus *factus est malus, quia prohibitus.* Dicebatur autem lignum illud *scientiæ boni et mali* non quia haberet virtutem scientiæ causativam, sed propter eventum sequentem, quia scil. homo per ejus esum experimento didicit quid intersit inter obedientiæ bonum et inobedientiæ malum."

2° Præcipua adversariorum ratio petitur ex verbis (1 Tim. I, 9) : *Lex justo non est posita, sed injustis ;* quasi Adam innocens lege caruerit quam transgrederetur : quo quid absurdius dici potest ?—Sensus Paulini asserti est, vel *a)* ad mentem S. Ambrosii (Exp. ps. 36) per legem intelligi renovationem legis et *descriptionem in tabulis* lapideis, vel *b)* ad mentem S. Augustini (l. de Sp. et Lit. c. 10) *jugum* legis non justo sed injustis nolentibus imponi, quamvis justi nunquam sine lege fuerint.

2ª *Pars* concl. alludit ad rationes ob quas Deus, præscius futuri casus, siverit protoparentes tentari.

Qua de re *Bellarminus (op. cit.* c. 2) tria post S. Augustinum edocet : *primo,* nullam fecisse Deum injuriam homini, quod hunc a diabolo tentari permiserit [1], cum eum tantis viribus instruxerit ut facile potuerit adversarium superare ; *secundo,* primariam causam hujus permissionis Deo soli esse notam ; *tertio,* probabiles tamen rationes reddi posse, quia nempe id requirerent *a)* omnipotentia *Dei* bonum de malo eruens, *b)* providentia homines libero suo arbitrio permittens,

1—Communis Patrum sententia est, contra *Ophitas* hæreticos aliosque, seductorem Evæ fuisse verum ac naturalem serpentem, per quem tamen diabolus locutus est malum exterius suggerens.—Augustinus autem censet Satanam non fuisse permissum alio instrumento uti quam serpentis ore, ut ex forma ipsa callidi illius animalis admoneretur homo cavere insidias. (Vid. Bellarm., *op. cit.*)

c) justitia puniens ac misericordia liberans, *d)* pulchritudo *rerum* ex variis gradibus resultans, *e)* ipsa *hominis* gloria atque utilitas cujus virtus experimento clarescit quique ex redemptione per Christum tanta collecturus erat bona ac commoda. (Cf. II-IIæ, Q. CLXV, a. 1 ad 2)

Conclusio 2ª.—PRIMUM PROTOPARENTUM PECCATUM FUIT SUPERBIA.—Posuerunt quidem *Lutherus* et *Calvinus* peccatum illud fuisse *infidelitatem*, quod nempe primi parentes non crediderint se morituros, si fructum vetitum degustassent; at *communis* theologorum sententia tuetur id quod asseruimus.

Concl. 1º eruitur ex illo (Eccli. X, 15): *Initium omnis peccati est superbia;* siquidem convenit peccato primo hominis initium esse omnis peccati. Hinc *S. August.* (XIV de Civ. Dei, c. 13): " Non ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium, quid potuit esse nisi superbia ? "

2º Accedit *ratio* qua peccatum illud superbiam fuisse monstratur, et proprium ejus objectum determinatur.

a) Cum ad unum peccatum multi motus concurrere possint tum interiores tum exteriores, patet rationem peccati prius inesse motui interiori, in quo primo inordinatio invenitur. Atqui in protoparentibus primus ille motus fuit superbiæ. Ergo. *Prob. min.* Inter motus interiores, prius movetur appetitus in finem quam in media; unde primum peccatum hominis accipiendum est secundum indolem primi appetitus inordinati finis. Atqui id fieri non poterat circa bonum sensibile, cum status innocentiæ omnem carnis rebellionem prohiberet. Ergo relinquitur primum hominis defectum in eo fuisse ut aliquod spirituale bonum inordinate appeteret. Atqui nulla fuisset inordinatio, nisi appetiisset bonum illud supra mensuram ex regula divina præstitutam : quod ad superbiam seu ad immoderatum propriæ excellentiæ amorem pertinet. Ergo.

b) Ad determinandum autem objectum peccati illius *specificativum*, sic proceditur.—Duplex est similitudo: una *omnimodæ æquiparantiæ*, altera *imitationis*. Atqui primam similitudinem ad Deum protoparentes non appetierunt, quippe quæ non cadit in apprehensione, præcipue sapientis; verum appetendo indebitam spiritualis boni mensuram, eo

ipso cupierunt inordinate *divinam similitudinem secundi generis.*—Quod ut *declaretur*, notandum est similitudinem istam secundum tria attendi: nempe secundum *esse naturæ*, quantum ad *cognitionem*, et quantum ad *operandi facultatem.* Porro, quia nullus peccat desiderando quod sibi competit secundum suam naturam, nequaquam primus homo, sicut nec diabolus, peccavit appetendo similitudinem naturæ sibi originaliter impressam. Sed postquam serpens ei suggesserat (Gen. III, 5): *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum*, peccavit *principaliter* appetendo similitudinem Dei quantum ad scientiam boni et mali, ut scil. virtute propriæ naturæ determinaret sibi quid esset bonum quidve malum ad agendum, vel etiam ut per seipsum præcognosceret quid sibi boni malive futurum esset; et *secundario* peccavit appetendo similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut nempe vi naturæ ad beatitudinem consequendam contenderet. Diabolus vero, scientia perfectior, ex solo appetitu comparandi per se beatitudinem peccasse existimatur.

Advertemus 1° initium superbiæ in primis parentibus fuisse absque præcedente errore, per solam incogitantiam vel *inconsiderationem* divini luminis scientiam influentis divinæque virtutis ad beatitudinem perducentis.

2° Ex peccato superbiæ, germen inobedientiæ jam continentis, subsecuta sunt plura alia peccata: *a)* primo in Eva saltem error *infidelitatis* quo, discredens illud: *Morte morieris* (Gen. II, 17), credidit vera esse verba serpentis, vid. Deum prohibuisse primis parentibus esum ligni scientiæ boni et mali ne ad ejus similitudinem pervenirent; *b)* secundo rursus in Eva peccatum *scandali* eo quod induxit virum ad peccandum, in Adamo autem inordinatus *amor uxoris*, secundum quod Deo culpam exprobranti pro excusatione respondit (Gen. III, 12): *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi*; *c)* tertio peccatum *gulæ*, utrique protoparenti commune, et situm in nimio appetitu comedendi fructum vetitum, prout constat (ibid. 6): *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum* etc; *d)* quarto peccatum formale *inobedientiæ*, quatenus primi parentes vetitum fructum manducarunt.

3° Cum S. Paulus (1 Tim. II, 14) scripserit: *Adam non*

est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit, operose disputant theologi ad conciliandа hæc verba cum Patribus dicentibus Adamum et ipsum fuisse seductum. Commendabilior omnibus videbitur explicatio *S. Thomæ* (*Comm.* in h. l.): " Adam non est seductus, sc. primo, quia fortior erat, sed tentator incepit a debiliori ut facilius seduceretur fortior...Seductio autem duplex est, sc. in universali, et in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis... *Mulier* autem fuit seducta ignorantia in universali, quando sc. credidit quod serpens dixit, sed *vir* non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, sc. quod gerendus esset mos uxori, et cum ea comedere deberet, et inexpertus divinæ severitatis credidit quod facile ei remitteretur."

Conclusio 3ª.—PECCATUM PRIMORUM PARENTUM GRAVISSIMUM FUIT, NON QUIDEM ABSOLUTE, SED SECUNDUM QUID.—*Præmittimus* (ex I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 3), protoparentes *non potuisse prius peccare venialiter quam mortaliter*; quod ratio perfectaque omnium virium subordinatio in statu justitiæ originalis prohibebat, uti ostensum est in Tract. *de Creatione*, Disp. VII, Q. II, a. 3.

Concl. *prob.* quoad utramque partem.

1ª *Pars.*—Illud peccatum cæteris gravius dicitur *absolute*, quod gravius est *secundum speciem suam.* Atqui peccatum primi hominis non fuit cæteris gravius secundum speciem peccati. Etsi enim superbia ex genere suo habeat quamdam excellentiam inter alia peccata [1], major tamen est superbia qua quis Deum negat vel blasphemat quam ea qua quis inordinate divinam similitudinem appetit; qualis fuit superbia primorum parentum. Ergo.

2ª *Pars.*—Peccatum primorum parentum gravissimum dici potest *secundum quid*, nempe ratione circumstantiarum, triplici ex capite: *a) primo* ex facilitate non peccandi quæ major fuit in Adam quam in aliis hominibus, tum ob levitatem præcepti, tum ob status perfectionem in quo abundabat gratia, deerant autem pravæ cupiditates; *b) secundo* ex ingratitudine primi hominis, qui summa felicitate in paradiso fruebatur; *c) tertio* ex læsione generis humani, cui primum peccatum miserrime nocuit.

1—II-IIæ, Q. CLXII, a. 6.

Inquirentibus de *gravitate relativa* peccati Adæ et Evæ, respondeo cum Angelico:—*a) Primo*, attenta *personarum conditione*, gravius fuit peccatum viri, utpote qui perfectior erat muliere.—*b) Secundo*, si spectetur *genus*, æquale seu idem fuit peccatum utriusque, nempe superbia.—*c) Tertio*, quantum ad *gradum* sub illo genere, gravius peccavit mulier: tum quia major fuit ejus elatio quam viri, dum, credens ex diaboli suasione Deum prohibuisse esum ligni ne ad ejus similitudinem pervenirent, nihilominus hanc Dei voluntatem explicite contemnens præsumpsit divinam similitudinem consequi; tum quia, peccatum suggerens viro, et in Deum et in proximum peccavit; tum quia ex parte viri aderat causa allevians ejus casum, nempe amicabilis benevolentia erga uxorem (cf. Cajet. in II-IIæ, Q. CLXIII, a. 4) [1].

ARTICULUS II.

Utrum primum peccatum primi parentis traducatur per originem in posteros.

Quia peccatum primi hominis non solum personale fuit, sed etiam totam naturam profundissime affecit, sub hoc jam præcipuo adspectu considerationi objicitur.

1° Titulus est *a)* de peccato Adæ secundum quod est *formale peccatum*, non autem de solo *effectu* vel propensione ex illo orta ad peccandum.—*b)* Quæritur vero an peccatum illud traducatur in posteros, nempe an a posteris vere *contrahatur*, non an solum imitatione in eis reproducatur.—*c)* Origo designat *propagationis medium*.

1—Communis est existimatio in Scriptura et traditione fundata, *protoparentes* egisse pœnitentiam *salvosque factos esse*; cui opinioni concordat suasio de sepultura Adami in Calvariæ loco. Hinc Tertulliani carmen (l. 2 adv. Marc.), ubi scribit:

> "Hic hominem primum suscepimus esse sepultum,
> Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
> Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
> Commixtus stillantis aquæ virtute levari."

(Cf. Bellarm., Billuart, etc).

2° Uti scribit Em^{us} Mazzella (de Deo creante, Disp. V, a. 2), culpam originalem *a) indirecte* inficiati sunt qui originem mali aut a principio malo repetebant, ut *Gnostici* et *Manichæi*, aut a peccatis actualibus non expiatis, ab anima commissis ante unionem cum corpore, deducebant, uti Origenes et omnes *Præexistentiani.*

b) Directe autem dogma de peccato originali impugnarunt post *Theod. Mopsuest.* atque *Rufinum*, *Pelagius*, ex Britannia monachus, ejusque discipuli, inter quos eminent *Cœlestius* et *Julianus.*—Docuit Pelagius peccatum Adami *ipsi soli nocuisse ;* quod autem omnes qui ab Adamo originem ducunt moriantur, fieri naturaliter : nam Adam (dicebat) moriturus fuisset, etiamsi non peccasset.—Anathematizavit hunc errorem in Syn. Palæst. et fassus est Adæ peccatum nocuisse etiam ejus posteris ; sed deinde discipulis suis respondit peccatum primi hominis nocuisse posteris, non propagatione, sed *imitatione.*—Pelagiani, uti videtur, convicti argumentis catholicorum Adamum non fuisse moriturum si non peccasset, docere cœperunt *mortem corporis* trahi per generationem ex Adamo, non tamen peccatum, quod est mors animæ.

c) Posterioribus vero temporibus *Albigenses, Anabaptistæ, Sociniani, Remonstrantes* renovarunt errorem, qui nec mortem nec peccatum ex Adamo trahi contendit.—Errorem alium, qui mortem atque morbum quemdam seu propensionem ad peccandum, non tamen peccatum ipsum, ex Adamo derivari concedit, instaurarunt *Hulder, Swinglius* [1], *Jab. Faber*, etc ; quibus plus minusve *Quakeri* aliique assenserunt.

d) Rationalistæ omnes et *Pantheistæ* nihil intentatum reliquerunt ut dogma de peccato originali, quasi repugnans rectæ rationi, everterent. Unde invaluit perniciosus error tenentium homines *perfectos nasci* ideoque nec religionis nec civilis potestatis freno indigere [2].

3° Tria sub præsenti articulo considerabimus : *existentiam* peccati originalis, *modum* quo propagatur, necnon hujus

1—Cf. Bellarminus, *op. cit.* l. IV, c. 2.

2—Cl. Le Play (Réforme sociale) huic errori adscribit pleraque mala status socialis moderni.

doctrinæ *legitimitatem;* quæ cuncta seq. propositione concludentur.

Conclusio.—TENENDUM EST PRIMUM PECCATUM PRIMI HOMINIS IN POSTEROS TRANSIRE, PER VIAM ORIGINIS, ABSQUE ULLO CONTRA RATIONEM OFFENDICULO.

1ª *Pars* de existentia ipsius dogmatis fundatur in pluribus *ecclesiasticis definitionibus* [1], præsertim in *Conc. Trid.* (Sess. V): " Si quis Adæ prævaricationem sibi soli et *non ejus propagini* asserit nocuisse... aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, *non* autem et *peccatum*, quod mors est animæ; A. S." (can. 2).—" Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, *non imitatione*, transfusum omnibus, inest unicuique proprium," etc. (can. 3).

Concl. 1° ostend. ex *Scriptura*.

Arg. 1um ex V. T.—Legimus (Job. XIV, 4): *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Quæ verba Vulgatæ seu versionis Hieronymianæ haud discrepant, quoad sensum, ab aliis LXX interpretum: *Nemo mundus a sorde, nec infans*, etc, vel a textu hebraïco: *Quis dabit mundum ab immundo? non unus* etc. Igitur admittenda est sordis quædam et immunditia cuilibet homini *ab origine* inhærens. Atqui, juxta Sacri Eloquii usum Patrumque interpretationem, nomine sordis et immunditiæ intelligitur peccatum. Ergo.—Item propheta ait (Ps. L, 6): *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Ubi sciendum est iniquitatem seu peccatum, quod hic in Vulgata secundum versionem LXX interpretum pluraliter exprimitur, in hebraïco fonte et in ipsa Hieronymi versione singulariter significari; ideo autem græcos interpretes adhibere numerum pluralem, quia ex una parte inusitata non est in Scriptura suppositio pluralis pro singulari, ex altera autem parte peccatum Adæ plures in eo deformitates secum tulit, virtute in nobis multiplex est, pluresque animæ partes inficit [2]. Atqui confessio Davidis intelligi nequit de peccatis parentum gignentium, siquidem

1—Cf. Bellarm., *loc. cit.*, c. 6.
2—I-IIæ, Q. LXXXII, a. 2 ad 1.

sanctus rex ex casto conjugio natus erat; præterea (ut Bellarm. evincit, *op. cit.* et *in Ps. Expl.*), juxta verborum hebraïcorum proprietatem, voces *conceptus sum* et *concepit me* non ad actum gignendi parentum, sed ad actum formationis fœtus in utero referendæ sunt. Ergo relinquitur ut dicamus significatum fuisse peccatum originale.

Arg. 2ᵘᵐ ex N. T.—Inter plura quæ suppetunt testimonia, potissimum eligimus ex (Rom. V, 12) : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* unde sic arguimus. Per unum hominem intravit in hunc mundum quoddam peccatum quod omnes homines peccatores subindeque morti obnoxios fecit. Atqui ejusmodi peccatum non potest esse actuali voluntate commissum, cum etiam infantes sint morti obnoxii et sæpe moriantur antequam quicquam boni vel mali propria voluntate efficere potuerint: igitur est peccatum originale.—Falso autem cum Pelagianis *Swinglius*, ad infirmandum illud argumentum, vult per peccatum, quod intravit in mundum, significari *effectum* peccati seu pronitatem ad peccandum : non enim pronitas ad peccandum est causa mortis, sed ipsum formale peccatum, juxta illud (Rom. VI, 23): *Stipendia enim peccati mors.*—Falso etiam post Pelagium *Erasmus* explicat illum locum de peccato *imitationis*, eo scil. sensu quod primus homo exemplo incitet reliquos homines ad peccandum. Nam *a)* si de imitatione ageretur, non dixisset Apost. per unum hominem, sed per *unum angelum* peccatum in mundum introïsse. Hic enim est primus qui peccavit hominemque ad peccandum impulit. *b)* Secundo obstat illud, *in quo* (scil. Adamo) omnes peccaverunt : non enim qui Adamum peccando imitantur, in illo peccasse dici possunt. Et quamvis Erasmus græcam expressionem vertat, non *in quo*, sed *quatenus* vel *eo quod* [1], ista tamen substitutio sensus causalis in vicem sensus relativi probabilitate tantum fulcitur (cf. Bellarm., Mazzella, etc.) ; neque, ea admissa, argumentum nostrum eliditur. Nam si mors in omnes homines pertransiit *quatenus* omnes peccaverunt, infantes et ipsos, mortis decreto

1—Hanc versionem defendit cl. Cornely in præclaro opere : *Cursus Scripturæ Sacræ, Comm. in Ep. ad Rom.*, 1896.

perculsos, peccasse negari non poterit; quonam autem peccato eos inquinatos dices, nisi originali? *c)* Tertio subit illud (Rom. V, 18): *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Quemadmodum enim justitia non intravit in mundum per imitationem Christi, sed per regenerationem in Christo, ita peccatum, non per imitationem Adami, sed per generationem ex Adamo inductum esse dicendum est. *d)* Tandem habemus *Conc. Milevitanum* II, a R. P. confirmatum, docens (cap. 2) locum Ap. Rom. V non aliter esse intelligendum quam de peccato originali; imo idipsum sanxit *Conc. Trid.* (Sess. V, can. 2)[1].

2° *Traditio* invictum suffragium præbet.—*Wegscheider* (refert Mazzella) ausus est dicere S. Augustinum invexisse de peccato originali doctrinam, quam dein sua auctoritate per universam Ecclesiam propagavit.

Præprimis, *a)* itaque fatentur adversarii dogma illud, saltem a tempore S. Augustini, universaliter fuisse in Ecclesia admissum.—Ipse autem *S. Augustinus* in sex libris tam docte et eloquenter exaratis cont. Julianum Pelag. profert (l. I-II) plura antiquorum testimonia, nominans ex Occidente *Irenæum*, *Cyprianum*, *Reticium*, *Olympium*, *Hilarium*, *Ambrosium*, *Innocentium*, *Hieronymum*, ex Oriente vero *Greg. Nazianzenum*, *Basilium*, *Joan. Chrysostomum*, etc.[2]—Præterea ab anno 412 ad an. 431 viginti quatuor *concilia* celebrata sunt adversus hæresim Pelagianam.

b) Inter alia referam ex sæc. II verba *S. Justini M.* (Dial. cum Tryph. n. 88) qui ait: " Venisse eum (Christum) pro comperto habemus... humani generis causâ, quod per Adam in mortem et fraudem serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam."

c) Si qui autem Patres, ut *Clem. Alex.*, *Joan. Chrys.*, *Theodoretus*, specietenus ab aliis dissentire videantur, advertere sufficiet: *primo*, Patres negasse vitium originis in sensu Præexistentianismi vel Gnosticismi et Manichæismi, non

1—Vid. plura penes cl. Bellarminum qui eruditionis copia et doctrinarum expositione inter controversistas facile princeps eminet.
2—Cf. Bellarm., *op. cit*;—De Rubeis, *de Peccato originali*;—Bossuet, *Défense de la Tradition et des S. Pères.*

autem in sensu catholico; *secundo*, eos caute distinxisse inter peccatum originale et peccatum *actuale* a quo solo infantes immunes asseruere; *tertio*, obscuriora quædam illorum testimonia ex clarioribus explicanda esse. Sic *S. Joan. Chrys.*, cujus verbis maxime hæretici abusi sunt, clarissimum testimonium reliquit (Hom. ad Neophyt.): "Venit, inquit, semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis."

3° Conf. ex *praxi* Ecclesiæ cum Judaïcæ tum Christianæ.—*a) Circumcisio* enim, infantibus octo dierum adhibita, instituta fuerat, si non ad tollendum peccatum originale, saltem ad ejus purgationem significandam. Unde (Gen. XVII, 14): *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.—b)* In Ecclesia Christiana semper fuit diligentissima sollicitudo, ne quis omnino sive adultus sive infans absque *Baptismo* decederet. Atqui Baptismus datur ad remissionem peccati, prout indoles *lavacri regenerationis* (Tit. III, 5), necnon antiquissimæ cæremoniæ *exorcismi* et *exsufflationis* luculenter ostendunt. Ergo.

4° Accedit obscura illa, at universalis *gentium ethnicarum* traditio de primordiali hominum *lapsu*, ex quo mala in terram prodiisse humanumque genus ira deorum opprimi credebatur. Huc indubie pertinent fabulæ mythologicæ *Pandoræ* et *Promethei* [1], cæteraque multa mundi originem spectantia, quæ in describendis veterum religionum historiis enarrantur, quæque historiam Genesiacam omnino subaudiunt [2].—Ad hæc addere fas est generalem *sacrificiorum* consuetudinem quæ cruento modo, scil. *sanguinis* plerumque innocentis effusione, apud omnes gentes ad placandum Deum

1—Horatius (l. I, Carm. 3) Promethei fabulam sic memorat:

Audax Japeti genus
Ignem *fraude mala* gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

2—Cf. Aug. Nicolas, *Etud. philos. sur le Christianisme*, t. II.

offerebantur, adeo ut humanarum etiam victimarum immolatio expiandæ communi iniquitati visa nonnunquam necessaria fuerit. Quo enim pacto tam constans tamque crudelis institutio explicari posset, nisi supponeremus homines fuisse persuasos se vitiati sanguinis transmissione per carnalem originem labem quamdam, puriori sanguine mundandam, contrahere ? [1]

5° Succurrunt *satis probabilia* indicia [2] ad conjectandum ex solo rationis lumine originale peccatum.

Cum enim Deus bonis operibus præmium, pœnam vero malis retribuere soleat, ex ipsa pœna certificari possumus de culpa. Atqui miseriæ omnigenæ cum corporales, tum spirituales, quibus humanitas premitur etiam independenter a peccatis actualibus, ut apparet in infantibus, characterem *pœnæ* cuique adspicienti (seclusa revelatione) non improbabiliter exhibent. Ergo. *Min. decl.* ex eo quod, licet Deus absolute loquendo potuisset hominem ab initio condere in eo, in quo nunc vivit, difficultatis statu [3]; tamen decebat divinam Providentiam, cujus est singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptare, ut nobilissimo rationis imperio corpus viresque inferiores plene subjiceret [4]. Qua deficiente primatus plenitudine, temerarium non est suspicari causam talis defectus sitam esse in aliqua perturbatione morali cujus pœnam sustinemus. Hinc gentilis philosophus *Cicero* (in *Hortensii* Dial.) : " Ex quibus, inquit, humanæ vitæ erroribus et ærumnis fit ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos, *ob aliqua scelera suscepta in vita superiore*, pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur [5]."

2ª *Pars concl.* est de *modo transmissionis* peccati originalis.—Peccatum istud *in genere* transfundi per *viam originis* et *carnalis generationis* ab Adamo, *fidem faciunt Conc. Milev. et Trid.*; ast quomodo in specie transmissio illa fieri possit ita ut posteros Adæ vera peccati labe inficiat,

1—Cf. Aug. Nicolas, *op. cit.*;—J. de Maistre, *Eclaircissement sur les sacrifices.*
2—S. Thom., Cont. Gent. IV, 52.
3—Vid. Tract. nostrum *de Creatione*, Q. ult.
4—Cf. I-IIæ, Q. LXXXVI, a. 6.
5—Cf. Virgil., *Georg.* l. I.

nec faciliter nec unanimiter ab auctoribus explicatur. Dicemus imprimis de opinamentis improbabilibus, posthæc vero solidiorem explicationem proponemus.

I.—*Rejiciuntur nonnullæ explicationes.*

1ª *Explicatio* est quam tradunt *Traducianistæ* dicentes animam rationalem, cum sit peccati subjectum, cum semine traduci, ut sic ex infecta anima infectæ animæ derivari videantur.—Sed præterquamquod hæc opinio impingit in grave inconveniens mox sequenti opinioni exprobrandum, *Traducianismus* manifeste falsus est (cf. *de Creatione*, Disp. VI, Q. II, a. 1).

2ª *Explicatio* ab aliis proposita hujusmodi est. Scilicet experimur corporis defectus, ob aliquam seminis corruptionem, traduci a parente in prolem, sicut leprosus generat leprosum. Cum autem corpus sit proportionatum animæ, et defectus animæ redundent in corpus et e converso, simili modo, aiunt, seu ex illa influxus mutui lege et proportione culpabilis defectus animæ per traductionem seminis in prolem derivatur, quamvis semen actualiter non sit culpæ subjectum.—Verum hæc via, ut monet S. Thomas, *insufficiens* est ; ex qua quidem *materialis* intelligitur transmissio peccati, non vero *formalis.* Dato enim quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem, et etiam consequenter ob corporis indispositionem aliqui defectus animæ (sicut interdum ex fatuis fatui generantur), rite concludes posteros Adæ, generatione contrahentes defectum primi parentis, enasci *miseros*, non tamen esse *reos :* quippe de ratione culpæ est quod sit voluntaria ; defectus autem originalis, præcise sumptus, nihil voluntarii involvit [1].

3ª *Explicatio* cursim indicanda, nec multum distans a præcedenti, est *Rosminii* et quorumdam recentiorum [2], qui docent fructum arboris scientiæ boni et mali, industria dæmonis [3] vel natura ipsa noxium et venenatum, produxisse

1—Cf. Lacordaire, 65e conf : *De la transmission de la chute à l'humanité.*

2—Vid. Knoll, vol. II, p. 523.

3—En 33a inter propp. damnatas Rosminii : *Cum dæmones fructum possederint, putarunt se ingressuros in hominem, si de illo ederet ; converso enim cibo in corpus hominis animatum, ipsi poterant libere ingredi animalitatem, i. e. in vitam subjectivam hujus entis, atque ita de eo disponere sicut proposuerant.*—Phantastica magis quam theologica ista dici debent.

in protoparentibus et per hæreditatem in posteris cuncta mala quæ deploramus.—Verum *a)* sententia hæc, uti præcedens, nequaquam explicat rationem formalem *peccati* in labe originali. *b)* Præterea *supponit falsum*, videl. potuisse partem inferiorem primi hominis turbari ac perverti antequam voluntas in malum deflecteret: quod repugnat constitutioni status innocentiæ (cf. *de Creatione*, Disp. VII).

II.—*Verior sententia proponitur.*

Imprimis *præmoneo a)* peccatum distingui posse in *actuale et habituale*, prout sumatur vel pro actuali legis transgressione, vel pro statu offensivæ aversionis a Deo in quo peccator post actionem illam perseveret. [1] *b)* Hoc autem peccatum habituale, si solam personam inficiat, *personale* dicitur; sin autem *naturam* ipsam, *naturale* ac *originale* nuncupatur [2], nempe *originale-originans* in capite naturæ, *originale-originatum* in posteris.—Præmitto secundo *a)* ad peccati cujuscumque rationem requiri aliquod *voluntarium*, prout ex damnatis propp. Baii (46, 47, 48, 49) apparet [3]. At *b)* aliter voluntas se habet in peccato personæ, aliter in peccato naturæ: audiatur *S. Thomas* (2 Sent. D. XXX, Q. I, a. 2): "Sicut est quoddam bonum quod respicit naturam, et quoddam quod respicit personam, ita etiam est quædam culpa naturæ et quædam personæ. Unde ad culpam personæ requiritur *voluntas personæ*, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam vero naturæ non requiritur nisi *voluntas in natura illa*." Quapropter *c)* licet peccatum habituale-personale relationem dicat ad voluntatem personæ in qua est, tamen sat est ad rationem peccati originalis ut voluntarium sit *per respectum ad voluntatem primi parentis* seu "principii naturæ" (S. Thomas, *loc. cit.*)

His positis, deveniamus ad id quod intenditur, scil. "*posteros Adæ contrahere peccatum originale quatenus ex eo, tanquam ex vitiato naturæ capite, labem illam per generationem seu naturæ communicationem derivant*:" quod est *communis* scholarum doctrina.

1° Omnes homines qui nascuntur ex Adam, accipiendo

1—Cf. Bellarm., *op. cit.* l. V, c. 17.
2—Cf. Mazzella, *De Deo creante*, Disp. V, a. 3-4.
3—Mazz., *Ibid.* a. 4.

eamdem naturam, considerari possunt non solum uti singulares personæ, sed etiam quasi unum collegium vel unum corpus, cujus *caput*, utique *morale* et juridicum, est Adam. Atqui, quemadmodum ad hominem, in quantum est singularis persona, pertinet ille actus quem per se proprioque arbitrio facit; ita ad eum, in quantum est pars collegii vel moralis corporis membrum, pertinere potest actus alienus quem per se non facit, sed qui fit a principe collegii vel a principio motivo corporis. Ergo tenendum est peccatum originale fieri peccatum posterorum Adæ, in quantum eorum persona recipit naturam a primo parente: unde et vocatur peccatum *naturæ*.

Maj. decl.—Nam *primo a)* in *civilibus* omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus et tota communitas quasi unus homo. Ergo a pari, etc. Hinc *b) Porphyrius* (cap. *de Specie)* dixit quod " participatione speciei plures homines sunt unus homo."—*Secundo a)* ad hoc ut Adam constitueretur Caput juridicum humani generis, necesse quidem non est confugere ad *consensum præsumptum* seu *interpretativum* posterorum, qui consensus gratis prorsus confingitur; *b)* neque congruit admittere *pactum proprie dictum* Dei hominisque assensione initum. De hoc enim silent Scripturæ vel Patres, nullaque est necessitas talem conventionem supponendi: siquidem, cum Deus magis sit dominus voluntatum nostrarum quam nos ipsi earum (August.), potuit ex se, absque consensu nostro, humanas voluntates in capite naturæ, scil. Adamo, moraliter includere, eo ferme modo quo princeps voluntatem pupilli in voluntate tutoris claudit. Verum *c)* ad hoc necessaria erat *specialis lex* vel *institutio*, cujus tenor revelari debuit primo homini vel per illa verba (Gen. II, 17): *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, vel per alia. Sane (ait Billuart) quod Adam sit caput nostrum morale, non habet ex ipso jure naturæ; alioquin fieri non potuisset quin in eo peccassemus, neque esset ratio cur primum ejus peccatum tantum, et non alia, nobis imputaretur: ergo id habuit ex institutione divina. Hæc autem institutio si Adamo non innotuisset, ignorasset invincibiliter se operari ut caput morale hominum, nec proinde peccasset ut tale.

Min. ostend. ex lege *solidaritatis* quæ membra cujuscumque corporis, sive physici, sive moralis et socialis, devincit.—

Primo, esto exemplum *corporis humani* præ omnibus idoneum: actus enim unius membri corporalis, puta manus, etsi involuntarius respectu manus ipsius, tamen voluntarius est voluntate animæ, quæ primo membrum movet. Unde homicidium, quod manus perpetrat, non imputaretur ei ad peccatum, si consideraretur secundum se, ut divisa a corpore; sed ei imputatur quatenus est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. — *Secundo*, exemplum alterum duci potest *ex corpore sociali*. Nam, ut ait Philosophus, illud quod princeps civitatis facit, dicitur civitas facere, in quantum communitas reputatur quasi unus homo cujus princeps est caput, singulorum personam gerens.

Pari modo igitur Adam habendus est velut Caput juridicum humani generis; cui capiti Deus ab initio ordinationem præscripsit de transfundenda justitia vel injustitia per originem in posteros, secundum quod mandatum divinum servaret vel contemneret.

2° *Conf.* arg. ex solidaritate quæ *familias* vel *gentes* afficit etiam *per sæculorum spatia* [1]. — Sane in *familiis*, ita filii hæredes paternæ iniquitatis, sicuti paternæ gloriæ, esse videntur, ut iisdem, quibus parentes, pœnis affligi non raro conspiciantur. Nonne enim liberi nobiliorum parentum, ob admissum ab istis crimen læsæ majestatis, in perpetuum quandoque a rege exhæredantur? — Idipsum apud *gentes* observare est; penes quas posteri, pluribus jam elapsis sæculis, non solum præclarioribus majorum gestis gloriantur, sed patrii etiam criminis ignominiam pœnamque sustinent. Insigne est exemplum populi judaici, quem ubique terrarum, post tam longa temporum spatia, velut reum inauditi facinoris publica prosequitur execratio. Unde *Scriptura* refert (cf. II-IIæ, Q. CVIII, a. 4, obj. 1) Deum ipsum pœnas sumpsisse aut de familiis aut de populo Israel ad punienda majorum peccata. Atqui major est solidaritas omnium hominum sub Adamo capite quam membrorum unius gentis uniusve familiæ: quippe illa in ipsa identitate specifica immediate fundatur. Ergo.

Nihilominus argumentum istud nonnisi *secundum analogiam* accipiendum est. Pœnæ enim proxime recensitæ,

1 — Cf. Lacordaire, *loc. cit.*

utpote *temporales*, medicinæ præventivæ rationem habere possunt, neque ex necessitate supponunt culpam in eis qui puniuntur. Verum pœna peccati originalis *spiritualis* est, privans in perpetuum beatitudine regni cœlestis, ideoque culpam aliquam subaudit [1]. Quamvis autem nullus hominum possit taliter voluntates futuras voluntatibus posterioribus conjungere ut posteros proprie participes efficiat culpæ majorum, id tamen fieri potuit a Deo qui supremus est omnium temporum omniumque voluntatum dominus.

3ª *Pars concl.* importat, *nihil esse in dogmate peccati originalis, sive ex parte Dei, sive ex parte creaturæ, quod sanæ rationi repugnet.*

1º *Non ex parte Dei.*—*a)* Audiamus *S. Thomam* dubium petitum ex *divina justitia* sic diluentem (Opusc. II vel Comp. theol. c. 195): " Nec hoc est contra ordinem justitiæ, quasi Deo puniente in filiis quod primus parens deliquit: quia ista pœna non est nisi subtractio eorum quæ supernaturaliter primo homini divinitus sunt concessa per ipsum in alios derivanda; unde aliis non debebantur, nisi quatenus per primum parentem in eos erant transitura. Sicut si rex det feudum militi transiturum per ipsum ad hæredes, si miles contra regem peccat, ut feudum mereatur amittere, non potest postmodum ad ejus hæredes devenire: unde juste privantur posteri per culpam parentis." Quemadmodum igitur Deus, sublimans hominem de statu possibili naturæ puræ ad justitiam originalem, benigne decreverat ut, perseverante Adamo, justitia illa in omnes ineffabili communione transiret; ita æquum erat ut, Adamo prævaricante, posteri eadem justitia privarentur. — *b)* *Bonitas* autem *divina* minime in hoc dogmate offenditur. Nam *imprimis* Deus bona sua creaturis communicat liberrime eoque gradu quo sibi placuerit, quin totam possibilem perfectionem effundere teneatur aut etiam valeat. *Præterea,* si omnes communicatione peccati in primo Adamo mortui sunt, omnes quoque meritorum Christi participatione in Adamo secundo reviviscere possunt. Jamvero, dum Deus se reatum ac sequelas peccati originalis permissurum constituebat, perspectum jam habebat *Redemptionis* ordinem quo naturæ lapsæ subveni-

1—Cf. I-IIæ, Q. LXXXVII, a. 7-8; II-IIæ, Q. CVIII, a. 4.

retur. *Immo* Incarnationis bonum majus fuit quam malum originis, juxta illud (Rom. V, 20): *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Atqui, Adamo non peccante, probabilius Deus incarnatus non fuisset. Merito itaque canit Ecclesia: "O felix culpa!"[1]

2° *Non ex parte creaturæ.*—Quisque sane experitur quam multæ sint tum animi tum corporis miseriæ, quam multa mala quibus mundus subjacet. Porro philosophi, sola ratione ducti, absurdas plerumque prompsere explicationes præsentis rerum conditionis, aliis ad Præexistentianismum, aliis ad principiorum Dualismum, ad Naturæ tyrannidem aliis confugientibus. Etsi vero concedimus Deum potuisse hominem condere in eo statu in quo nunc nascitur, multo tamen convenientius præsentium malorum existentia ex primordiali culpa repetitur: quod fides docet. Ergo.

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicitur (Ezech. XVIII, 20): *Filius non portabit iniquitatem patris.* Portaret autem, si ab eo iniquitatem traheret. Ergo. (Ita Julianus et Swinglius.)

Resp. *D. M*:... et hoc prophetice intelligendum est de regeneratione per Christum, *C*; de paternitate carnali, *S.d*: non portabit iniquitatem patris in quantum est patris, *C*; in quantum sua quodammodo est, *N.*—*C.d.m*: portaret ut aliqualiter suam, *C*; ut alienam tantum, *N.*—*Neg. conseq.*

Utraque distinctio est *S. Augustini.* Nam (cont. Julian. l. VI, c. 10) ait: "Parentum peccata modo quodam dicuntur *aliena*, et rursus modo quodam reperiuntur et *nostra*; aliena quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagione propaginis[2]."—Ibidem vero (c. 25) docet textum Ezechielis prophetice esse exponendum de promissione futuræ *regenerationis per Christum*, inquiens: "In hoc igitur Test. Novo per sanguinem testatoris deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus."

Obj. 2.—Accidens non traducitur per originem, nisi traducto subjecto. Atqui anima rationalis, quæ est subjectum culpæ, non traducitur per originem. Ergo.

1—Cf. Knoll, vol. II, c. IV, a. 11;—Monsabré, 28e conf;—Donoso Cortès, *Œuvres*, vol. III, l. 3.
2—Cf. Cajetanus in h. art.

Resp. *C. M.—D.m :...*neque traducitur humana natura, *N ;* traducitur natura seu compositum cum adnexis accidentibus, *C.—Neg. conseq.*

1° Fatendum est hanc objectionem adeo gravem *S. Augustino* visam fuisse ut ea de causa anceps hæserit inter creationem et traductionem animæ rationalis, quamvis tamen sententiam de creatione pro veriori, saltem in postremis suis scriptis, habuerit [1].—2° Etsi anima non traducatur, quia virtus seminis nequit animam rationalem causare, generans tamen *dispositive* se habet ad ipsam, disponendo scil. materiam ea lege ut animam infallibiliter consequatur. Unde vi seminis traducitur a parente in prolem ipsum *compositum* seu *humana natura*, et simul cum natura naturæ infectio : ex hoc enim fit iste qui nascitur consors culpæ primi parentis quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.

Obj. 3.—Quidquid traducitur per originem humanam causatur ex semine. Atqui semen non potest causare peccatum. Ergo.

Resp. *D. M :...*vel principaliter vel concomitanter, *C ;* principaliter tantum, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Etsi culpa non sit actu in semine, est tamen in ipso *virtute*, non quidem *principaliter*, sed *concomitanter*, in quantum scil. comitatur naturam humanam quam semen per se intendit ac producit.

Obj. 4.—Quod est perfectius in natura, virtuosius est ad agendum. Atqui caro jam perfecta nequit animam sibi unitam inficere, ut patet in puero baptizato. Ergo multo minus semen etc.

Resp. *D. M :...*in eodem genere causalitatis, *C ;* in diverso genere, *N.—D. m :...*quia pertinet ad constitutionem personæ, *C ;* quasi spectet, sicut semen, ad propagationem naturæ, *N.—Neg. conseq.*

Semen est principium seu instrumentum generationis, quæ est proprius actus naturæ, ejus *propagationi* deserviens ; unde, cum peccatum originale sit peccatum naturæ, magis inficitur anima per semen quam per carnem perfectam, quæ jam determinata est ad personam.

1—Cf. Bellarm., *op. cit.*, l. IV, c. 11–12.

OBJ. 5.—Juxta Philosophum (III Ethic. c. 5), defectus naturales non sunt increpabiles. Atqui peccatum originis, si quod esset, foret naturale. Ergo.

RESP. *D. M* :...si consideretur persona nascens *secundum se, C;* si consideretur *relative*, seu per respectum ad aliquod principium contaminatum cui conjunctum sit, *N.*—*Trans. m.*—*Neg. conseq.* [1]

ATICULUS III.

Utrum etiam alia peccata primi parentis vel proximorum parentum traducantur in posteros.

Principio *advertam* quæsitum fuisse a theologis, num si Adam *aliter peccasset* quam comedendo de cibo vetito, peccati transfusio contigisset.—Cui quæstioni contra alios respondendum est, saltem probabilius, *affirmative* cum *S. Thoma* (2 Sent. D. XXXIII, in fin.), ubi ait : " Gravius est præceptum præterire naturalis legis, quo prohibetur illud quod est in se malum, quam præterire præceptum disciplinæ, quo prohibetur quod non est malum nisi quia prohibitum." Unde cum eodem S. Doctore a minori inferri potest quod, si Adam prius defecisset violando legem naturalem, peccatum ejus transiisset in posteros.

Verum dubium præsens movetur de *aliis peccatis*, post primum, ab Adamo admissis, vel de *peccatis proximorum parentum :* qua in re hæsitans nobis offertur *August.* (Enchir. cap. 46-47).

Conclusio.—NEQUAQUAM PECCATA PROXIMORUM PARENTUM, VEL ETIAM PRIMI PARENTIS, PRÆTER PRIMUM, ORIGINE TRADUCUNTUR.

Prob.—Quæ sunt pure personalia non traducuntur a parentibus in filios. Atqui peccata actualia protoparentis, præter primum, necnon peccata aliorum parentum sunt pure personalia. Ergo. *Maj.* eo nititur quod homo generat sibi idem in

1—Quoad reliquas obj. cf. Bellarm., Billuart vel Perrone, necnon S. Thom. *de Malo*, Q. IV, a. 1.

specie, non autem secundum individuum: hinc quæ pertinent ad integritatem speciei, nisi natura deficiat, generatione transmittuntur, ut oculatus generat oculatum ; et, si adsit vis sufficiens, etiam aliqua accidentia individualia, spectantia ad dispositionem naturæ, propagantur in filios, sicut velocitas corporis, bonitas ingenii, etc; verum quæ directe pertinent ad individuum, ut actus personales aliaque eis connexa, non transmittuntur: non enim grammaticus traducit in filium scientiam grammaticæ, quam proprio studio acquisivit. *Min. ostend.* Ideo primum peccatum primi hominis origine in posteros derivatur, quia erat inordinatio opposita dono justitiæ toti humanæ naturæ divinitus collato. Atqui alia peccata actualia vel primi parentis vel aliorum non corrumpunt naturam quantum ad id quod naturæ est, sed solum quantum ad id quod est personæ, scil. secundum pronitatem ad actum. Ergo.

Solv. obj.—Obj. 1.—Pœna nunquam debetur nisi culpæ. Atqui nonnulli puniuntur judicio tum divino tum humano pro peccato proximorum parentum. Ergo.

Resp. *D. M* :...pœna spiritualis et simpliciter, *C;* pœna corporalis et medicinalis, *N.—C.d.m* :...pœna corporali ac medicinali, *C;* pœna spirituali, *N.—Neg. conseq.*

Pœna *spirituali* et æterna nunquam puniuntur filii pro parentibus nisi in culpa communicent vel per originem vel per imitationem; quia talis pœna rationem pœnæ *simpliciter* habet nec medicinalis esse potest. Pœna autem *corporali* vel temporali interdum, judicio divino vel humano, plectuntur filii pro parentibus, in quantum sunt quædam res eorum ; ita ut pœnæ quidem respectu parentum, respectu vero filiorum medicinæ rationem id habeat [1].

Obj. 2.—Magis potest transferre in alterum id quod habet aliquis a seipso, quam id quod habet ex alio. Atqui homo transfert in prolem per originem peccatum quod habet ab Adam: ergo multo magis peccatum quod ipse commisit.

Resp. *D. M* :...dummodo id quod habet aliquis ex se sit traducibile, *C;* si sit pure personale, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Ideo contrahimus peccatum originale, quia fuimus in Adamo sicut in principio naturæ quam ipse corrupit.

1—Cf. I-IIæ, Q. LXXXVII, a. 7-8.

Atqui similiter præexstitimus in proximis parentibus tanquam in principiis naturæ, quæ, etsi jam corrupta, peccato magis corrumpitur. Ergo.

RESP. *D. M* :...quam ipse corrupit corruptione directe pertinente ad naturam, *C;* corruptione pertinente ad solam personam, *N.—C.d.m* : ... quæ peccato magis corrumpitur directe, *N;* indirecte ex corruptione personæ, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum primi parentis transeat per originem in omnes homines.

1° Monendum est quæstionem moveri circa *posteros Adæ*, ideoque independenter ab *hypothesi de planeticolis rationalibus;* quæ tametsi vera esse probaretur, quod nondum factum est, nulla inde oppositio sequeretur inter dogma peccati originalis humanæque Redemptionis atque scientiæ inventa [1].

2° Non solum a lege peccati *Christum*, sanctitatis auctorem, excipimus qui virtute Sp. Sancti, non ex Adami semine, active conceptus est, sed exceptio quoque gratissime extenditur ad *B. V. Mariam*, singulari Dei privilegio subductam communi necessitati contrahendi labem originalem : quod privilegium exponetur in Tract. *de Incarnatione.*

3° Nonnulli recentiores, duce *Chabauty*, invexerunt *systema* dictum *Renovationis ;* quatenus, *Chiliasmum* spiritualem nova sub specie restaurantes, opinantur, post finalem mundi conflagrationem, *justos tunc viventes*, revocato a Deo decreto transmissionis peccati originalis et restitutis privilegiis status innocentiæ, taliter esse regenerandos ut " sub cœlo novo " et " in nova terra " generationes ab illis sine peccato in perpetuum futuræ sint, de via ad patriam stato tempore migraturæ [2].—Verum hæc doctrina, præterquamquod adver-

1—Cf. Ortolan, *Astronomie et Théologie.*

2—Opus in quo Chabauty, sub titulo *Etudes sur l'avenir de l'Eglise catholique* etc., integrum suum systema evolvit, prohibitum est a Cong. Indicis, an. 1894.

satur conditioni Ecclesiæ *militantis* in terris[1] et communi *sensui* catholicorum, ægre conciliari potest cum definitionibus *Conc. Trid.* de peccato originali.

Conclusio.— TENENDUM EST OMNES HOMINES, PRÆTER CHRISTUM ET VIRGINEM DEIPARAM, PECCATUM ORIGINALE EX ADAMO CONTRAHERE.—Id *fide* constat ex *Conc. Trid.* (Sess. V, can. 2-3), ubi decernit peccatum Adæ *in omne genus humanum* vel *omnibus* transfusum fuisse, addens (can. 5) manere in baptizatis concupiscentiam ad agonem : quod contradicit systemati Renovationis.

1° Explicita sunt S. Pauli verba jam recitata (Rom. V, 12): *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*—Neque nos moveat quod dicit (v. 19): *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Vox enim *multi* accipienda est absolute, non comparative seu per oppositionem ad omnes.

2° *Ratio* duplex a *S. Thoma* adducitur.—Nam *a)* nisi omnes vel actu vel saltem debito quodam contraherent peccatum originale, non omnes indigerent redemptione per Christum : quod erroneum est et contrarium Scripturæ, puta quando dicit (Heb. II, 9) Christum gustasse mortem *pro omnibus*.—*b)* Præterea, sic ex peccato primi parentis traducitur culpa originalis in posteros, sicut a voluntate animæ per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis. Atqui manifestum est peccatum actuale traduci posse ad omnia membra quæ nata sunt moveri a voluntate. Ergo culpa originalis transmittitur ad omnes illos qui Adamo subjiciuntur motione generationis.

Coroll. tria sequuntur.—1° Si quis miraculose seu virtute Dei formaretur ex carne humana, non descenderet ab Adam secundum vim activam generationis, neque consequenter peccatum originale contraheret.—2° Si Eva sola peccasset, Adamo non peccante, neque peccatum neque mortem contraxissent posteri, quia principium activum generationis, quod est pater, incorruptum mansisset.—3° E contra, etsi Eva non peccasset, Adamo tamen peccante, originalis labes cunctos posteros inficeret.

1—Cf. Hurter, *De Deo consummatore.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Mors est pœna consequens originale peccatum. Atqui sunt posteri Adæ qui non morientur, puta qui vivi reperientur in adventu Domini, necnon Henoch et Helias adversus Anticristum congressuri [1]. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D. m:* Sunt posteri Adæ in quibus non erit reatus mortis, *N;* qui de facto non morientur, Deo pœnam condonante, *S.d:* juxta quosdam, *C;* quasi probabilius et convenientius non sit etiam eos qui vivi in fine reperientur morituros actu, ut post modicum resurgant, *N.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Nemo dat alteri quod non habet. Atqui homo baptizatus non habet peccatum originale. Ergo.

Resp. *D. M:*...quod non habet neque principaliter, neque instrumentaliter, *C;* quod non habet principaliter, sed instrumentaliter, *N.*—*C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Licet per gratiam baptismi *reatus* peccati originalis tollatur et persona baptizata, qua persona est, sanctificetur, tamen hæc persona, in quantum est instrumentum propagationis humanæ naturæ, potest quoque *instrumentaliter* transmittere peccatum naturæ proprium. Cujus signum est quod homo baptizatus sanatur quidem quoad mentem, at retinet aliquid de vetustate primi peccati, scil. fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ et ipsius corporis, secundum quod generat.

Obj. 3.—Donum Christi majus est quam peccatum Adæ (Rom. V). Atqui donum Christi non transit in omnes homines. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D. m:*...quoad sufficientiam, *N;* quoad efficaciam, *S.d:* non transit in omnes absolute, *C;* non in omnes qui spiritualem Christi regenerationem accipiunt, *N.*—*Neg. conseq.*

Sicut peccatum Adæ traducitur in omnes qui ab Adam corporaliter generantur, ita gratia Christi effunditur in omnes qui ab eo spiritualiter generantur per fidem et baptismum; et hoc non solum ad removendam culpam primi parentis, sed etiam ad delenda peccata actualia, et ad introducendum in gloriam.

1—Cf. Bellarm., *De Rom. Pontifice,* l. III, c. 6.

QUÆSTIO SECUNDA

DE ESSENTIA ET SUBJECTO PECCATI ORIGINALIS

Cum accidentium sit inesse subjecto, natura accidentis ideoque peccati originalis definiri nequit nisi habita ratione subjecti cui insidet.

Peccatum autem originis considerari potest vel sub ratione *entis* (art. 1), vel sub ratione *peccati* (art. 2).—Subjectum quoque peccati illius explorandum se præbet aut respectu *animæ* divisæ contra corpus (art. 3), aut respectu *essentiæ* animæ divisæ contra potentias (art. 4). Quatuor idcirco articuli sequentur.

ARTICULUS I.

Utrum originale peccatum sit habitus.

1° Expedit errantium opiniones recolere [1].—*a) Illyrici* lutherani sententia fuit peccatum originis consistere, non in qualitate, sed in substantia per transformationem animæ rationalis in substantialem imaginem diaboli: quam sententiam non pauci ex Lutheranis adoptantes dicti sunt *substantialistæ*.—*b)* Alii de peccato originali ita locuti sunt ac si habendum foret pro *actuali* culpæ deformitate.—*c)* Quidam vero theologi catholici, scil. *Alb. Pighius* et *Amb. Catharinus*, contenderunt labem originis esse *ipsum actuale Adami peccatum*, non intrinsece inhærens posteris, sed extrinsece tantum eos afficiens per imputationem. Ex quo concluserunt peccatum originale esse unum et idem in omnibus hominibus.

2° *Habitus* sub qualitatis genere continetur, et duplex est: unus quidem *operativus*, scil quo inclinatur potentia ad agendum, sicut scientiæ et virtutes dicuntur habitus; et

1—Ex Bellarmino (*op. cit.* l. V) qui falsa illa opinamenta explodit.

hoc modo peccatum originale habitus non est saltem directe, licet *indirecte* talis dici possit, nempe ob remotionem justitiæ prohibentis rebellionem partium inferiorum hominis.—Datur quoque habitus *entitativus*, consistens in dispositione alicujus naturæ secundum quod bene vel male se habet in essendo, præcipue cum talis dispositio fuerit quasi in naturam versa, ut patet de sanitate et ægritudine in corpore, et de gratia habituali in spiritu; et hoc sensu contendimus peccatum originale esse habitum.

Conclusio.—PECCATUM ORIGINALE, SUB RATIONE ENTIS, INTELLIGENDUM EST PER MODUM CUJUSDAM HABITUS SINGULOS ADÆ POSTEROS INFICIENTIS.

1º Juxta *Conc. Tridentinum*, peccatum originale " inest unicuique proprium " (can. 3), parvulos ipsos labe maculans (can. 4), quæ tamen per baptismum et gratiam Christi vere tollitur, manente baptizatorum substantia (can. 5). Atqui tria hæc tribus supra recitatis opinionibus e diametro adversantur: supponunt enim peccatum ab Adamo originatum esse *accidens* quoddam substantiæ posterorum additum, quod eos *intrinsece* necnon *habitualiter* inficit, siquidem parvuli, lavacro indigentes, incapaces tamen sunt actus peccaminosi. Ergo.

2º Peccatum originale, entitative sumptum, describi potest quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ in qua consistebat ratio originalis justitiæ; sicut etiam *ægritudo* corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis: unde prædictum peccatum vocatur naturæ *languor* (S. Aug. de Civ. Dei, l. XV, c. 6). Atqui ægritudo corporalis pertinet ad genus qualitatis et habitus. Ergo. *Min. decl.* ex *Cajetano:* quia, quanquam ægritudo plures corporis partes corrodere solet, tamen uni principaliori inest secundum quod huic cæteræ partes morbidæ consonant; unde potest esse habitus qui proprie est qualitas, non autem qualitatum collectio. Idipsum de morbo originali teneatur.

Coroll.—Ex dictis 1º colligimus peccatum originale esse *unum proportione* in omnibus hominibus secundum respectum ad suum principium, scil. ad primum Adæ peccatum; item esse *unum specie* ob unitatem causæ formalis, quæ est

privatio justitiæ originalis, unde consecuta est corruptio seu inordinatio virium animæ.—2° Colligitur in uno homine non posse dari nisi *unum numero* peccatum originale, in diversis autem hominibus *diversum numero* admittendum esse: distinctio enim numerica sequitur materialem subjecti distinctionem (Q. LXXXII, art. 2).

Solv. obj.—Obj. 1.—Originale peccatum est quædam privatio. Atqui privatio opponitur habitui. Ergo.

Resp. *D. M*:...est privatio pura, *N*; dicit positivum cum privatione seu contrarium, *C.*—*C.d.m*: privatio pura.. *C*; dispositio contrarie inordinata, *N.*—*Neg. conseq.*

Sicut ægritudo corporalis habet aliquid de *privatione*, prout tollitur æqualitas sanitatis, et aliquid *positive*, scil. humores inordinate dispositos, ita peccatum originale utrumque dicit, nempe privationem justitiæ et inordinatam dispositionem partium animæ. Idcirco, secundum esse suum, non privative, sed *contrarie* sumendum est, ita ut sit habitus corruptus dispositioni habitualis justitiæ contrarius.

Obj. 2.—Actuale peccatum, utpote magis voluntarium, plus habet de ratione culpæ quam originale. Atqui habitus actualis peccati non vertitur in culpam, ut patet de peccatore dormiente. Ergo nullus habitus originalis habet rationem culpæ.

Resp. *D. M*:... et diversa est in utroque ratio inordinationis, *C*; est eadem ratio, *N.*—*D. m*: habitus proprie sumptus,qui ex repetitione malorum actuum acquiritur, *C*; habitus improprie acceptus pro reatu culpæ, *N.*—*Neg. conseq.*

Actuale peccatum consistit essentialiter in quadam inordinatione actus, ita ut habitus vitiosus, ex repetitis actibus acquisitus, non sit nisi peccati consequentia. *Originale* vero peccatum, cum sit peccatum naturæ, est quædam inordinata dispositio naturæ ipsius, quæ rationem culpæ habet prout derivatur ex primo parente, quæque etiam *proprie* et essentialiter est habitus entitativus.—Attamen si velimus habitum *improprie* accipere pro statu peccatoris gratia orbati et reatu culpæ, tunc habebitur peccatum habituale-personale, distinctum contra peccatum habituale-originale.

Obj. 3.—In malis actus semper præcedit habitum. Atqui originale peccatum non præcedit aliquis actus. Ergo etc.

Resp. *D. M*: in malis ordinis operativi ... *C*; in malis

naturæ, *S.d :* actus singularum personarum, *N ;* actus capitis naturæ, *C.—C.d.m :...*non præcedit actus cujusque personæ, *C ;* actus capitis naturæ, *N.—Neg. conseq.*

In malis *ordinis operativi*, habitus,quo potentia inclinatur in actum, actum personalem supponit ex quo acquiritur. Talis autem habitus non est peccatum originale saltem directe, quamvis indirecte, scil. per remotionem prohibentis, ad malum inclinet.—Nec debet dici quod peccatum illud naturæ sit habitus infusus, verum est habitus *per actum primi parentis* acquisitus et per vitiatam originem innatus.

ARTICULUS II.

Utrum originale peccatum sit concupiscentia.

1° Determinandum nunc suscipitur peccatum originale, qua *peccatum* est ; et, cum ex superioribus constet inordinationem partium animæ ad peccatum illud *aliqualiter* pertinere, quæstio gravis exsurgit quanam ratione *concupiscentia*, latius sumpta pro habilitate seu pronitate ad malum, sive carnale, sive etiam spirituale, de labe originali participet.

2° Etenim plures de essentia peccati originis *opiniones* ortæ sunt.—*a)* Imprimis non defuere qui cum *Durando* essentiam illam in *reatu pœnæ* constituerent. Sed, ut cuique patet, condignitas pœnæ subaudit culpam, de cujus constitutivo nunc inquiritur.—*b)* Alii ut *Henricus*, *Greg. Arimin.*, etc, posuerunt peccatum originale formaliter consistere in *morbida quadam qualitate* animæ superinducta et ab Adamo in posteros transfusa, quæ in renatis rationem peccati amittit vel ex non-imputatione vel ex dominatu gratiæ. Verum, præterquam quod hæc sententia *supervacanea* est ad explicandum concupiscentiam carnis adversus spiritum, perdifficilem intellectu reddit propagationem peccati originalis (habitus enim acquisiti præsertim animæ non solent trajici in prolem), neque conciliari potest cum *Conc. Trid.* decreto (can. 5) mox adducendo.—*c) Novatores*, duce Luthero et Calvino ulterius progredientes, tenent corruptionem naturæ seu concupiscentiam, qualis remanet in justificatis, esse

vere et *proprie peccatum*, quamvis credentibus non imputetur.[1] Nec aliter sensit *Hermes*, a Greg. XVI damnatus.

3º Rejecta Protestantium sententia, veritatem præcipua conclusione sub hoc articulo intenta proponemus.

Conclusio 1ª.—CONCUPISCENTIA NON EST ELEMENTUM FORMALE PECCATI ORIGINALIS.

Id 1º evincitur ex decreto *Trid.* (Sess. V, can. 5): "Si quis per J. C. D. N. gratiam... asserit *non tolli* totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; A. S." Constat siquidem per baptismum non tolli concupiscentiam, ut Trid. ibidem declarat. Porro, si in renatis concupiscentia non est formaliter peccatum, neque est in infidelibus, cum eadem specie sit in utrisque.

2º *Scriptura* plura ad rem suppeditat: unum eligimus (Jac. I, 14-15): *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde, concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ubi quatuor ab Apostolo distingui videntur: nempe concupiscentia seu vis ipsa appetitiva ad malum prona; suggestio per modum allicientis; delectatio cum aliquo imperfecto consensu; denique pleni consensus consummatio. Atqui concupiscentiam seu vim ipsam et primum ejus motum non appellat B Jacobus peccatum; sed nomine peccati, scil. levis, designat partum imperfectum seu delectationem non plene deliberatam; nomine vero peccati mortalis, partum perfectum seu desiderium cum pleno consensu. Ergo.—Hinc *Patres Trid.*, occurrentes iis quæ ab adversariis ex SS. Litteris objiciuntur, aiunt (can. 5): "Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum[2] appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia *ex peccato* est et *ad peccatum* inclinat."

3º Idipsum expresserat *S. Aug.* (de Nupt. et Concup.

1—Cf. Ch. Hodge, *Systematic theology*, ed. 1895, Vol. II, p. 230; quod opus professoris Americani (Princeton University) utile est ad manifestandas doctrinas *hodierni* Protestantismi earumque variationes.

2—Rom. VI, VII, VIII; Coloss. III.

l. I, c. 23): " Concupiscentia... modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit." Quare (Serm. 6 de Verb. Dom.): " Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas."

4° *Rationes* suppetunt.—*a*) Nam primo, ut ostensum est in Tract. *de Creatione* (Disp. VII, Q. VII), potuisset homo condi in statu naturæ puræ cum concupiscentia in qua nunc nascitur. Atqui concupiscentia naturæ puræ non fuisset formaliter peccatum: ergo.—*b)* Præterea, formale elementum peccati est id quod primum et principalius habetur in ejus ratione completiva. Atqui hujusmodi non est concupiscentia consequens privationem justitiæ originalis, ut mox dicemus: ergo [1].

Conclusio 2ª.—PRIVATIO ORIGINALIS JUSTITIÆ, PER QUAM VOLUNTAS SUBDEBATUR DEO, EST FORMALE IN PECCATO ORIGINALI, CONCUPISCENTIA VERO SE HABET UT QUIDDAM MATERIALE. Hæc est *S. Thomæ* mens, quam plerique sequuntur.

Et 1° *auctoritas* sat clare veritati intentæ suffragatur.—Nam *a)* juxta *Conc. Arausic.* II (can. 2) et *Trid.* (Sess. V, can. 2) peccatum originale *mors est animæ* seu, aliis verbis, privatio principii vitalis quo primus homo instructus fuerat. Atqui principium vitæ supernaturalis primi hominis erat gratia et justitia. Ergo.—*b)* Accedit quod peccatum illud a Patribus vocatur *aversio a Deo, macula, sordes animæ;* quæ cuncta privationem justitiæ originalis important. Unde *S. Anselmus* (de Concept. Virg. c. 26) idem peccatum nominat " justitiæ debitæ nuditatem."

2° *Ratione* sic cum Auctore et Cajetano proceditur.

Causa formalis seu ratio specifica ac constitutiva peccati originalis attendenda est ex causa seu ratione formali justitiæ originalis: oppositorum enim oppositæ sunt causæ. Atqui justitia originalis tria importabat, nempe donum supernaturale, subjectionem mentis ad Deum, atque debitum ordinem voluntatis et omnium potentiarum ad proprium bonum: quæ tria tali ordine continebantur ut ex dono gratiæ penderet mentis subjectio, ex hac autem subjectione per rectam voluntatem finis quicumque alius motus virium animæ. Ergo in

1—De tota hac controversia vid. plura apud Bellarminum.

ipso peccato originali radix seu causa formalis dicenda est privatio justitiæ, cujus primarius effectus est aversio mentis a Deo, consequente dein omni alia inordinatione virium animæ. Quapropter recte concludit Cajetanus (in h. art.) ad peccatum originis, moraliter seu in ratione peccati sumptum, spectare ut *formale primo* privationem justitiæ originalis, *secundario* aversionem mentis a Deo; habitum autem concupiscentiæ constantem ex virium inordinatione se habere *quasi* quiddam *materiale* consequens atque integrans [1] adæquatam peccati rationem.—Si autem velimus accipere peccatum physice, quatenus est ens et habitus, tunc pro *formali* ponenda est inordinatio voluntatis privans justitia originali, pro *materiali* vero quæcumque alia inordinatio ex illa procedens.

Defectus seu *privatio* justitiæ originalis, in qua formale peccati originis elementum repositum est, dici potest tum *reatus culpæ*, prout est voluntaria voluntate capitis naturæ, tum *offensa*, prout est contemptus Dei legislatoris, tum *aversio*, utique habitualis, prout mentem a Supremo Fine deflectit, tum *macula*, quæ tanquam defectus nitoris immediate privationem gratiæ comitatur.

Colligitur 1° peccatum originale quoad suum *formale* esse æqualiter in omnibus. Sic enim sumptum, importat privationem justitiæ originalis et respectum ad peccatum Adæ a quo originatur. Porro ista privatio æqualis in omnibus reperitur, cum omnes sint totaliter privati justitia originali; similiter respectus ad primum peccatum, ex quo sumitur ratio culpæ, haud secus ac reliquæ relationes, non recipit *magis* et *minus*.—2° Quoad suum *materiale* et ratione subjecti, peccatum originale gradus admittit. Rupto enim justitiæ originalis gubernaculo quo omnes animæ vires regebantur, unaquæque vis tendit in proprium motum, et tanto vehementius quanto pro diversis hominum complexionibus fortior fuerit (Q. LXXXII, art. 4).

Solv. obj. (cont. 2^am^ concl.)—Obj. 1.—Privatio justitiæ originalis est pœna peccati, ut docet ipse S. Th. (Q. LXXXV, a. 5, et *de Malo*, Q. V, a. 1). Atqui pœna supponit, non constituit culpam. Ergo privatio illa nequit esse formaliter peccatum originale.

1—Cf. De Rubeis, *De pecc. orig.*, pp. 348-349.

RESP. *D. M*: Privatio justitiæ originalis extensive sumptæ...*C*; radicaliter acceptæ, *S.d*: est pœna prout sumatur active ex parte Dei, *C*; prout sumatur passive ex parte hominis, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1° Justitia originalis dupliciter accipi potest: *radicaliter* pro gratia, quæ fundamentum erat ordinis primi status, quæque mentem Deo subjiciebat; *extensive* pro vi moderatrice omnium virium et partium hominis. Patet quidem defectum justitiæ, hoc postremo sensu acceptæ, fuisse consequentiam atque pœnam peccati quo homo se libere gratia exuit et a Deo avertit.—Verum 2° sumptâ justitiâ radicaliter, privatio justitiæ originalis simul fuit et culpa et pœna: *culpa* quidem, si *passive* respiciatur ex parte naturæ humanæ; *pœna* vero, si spectetur *active* ex parte Dei subtrahentis auxilium, justitiæ conservativum, ob demeritum præcedens prioritate naturæ.

OBJ. 2—Omne peccatum est contra naturam (Damasc.). Atqui concupiscentia secundum naturam est. Ergo neque materialiter concupiscentia ad peccatum originale pertinet.

RESP. *C. M.*—*D. m*: concupiscentia quæ ratione regitur... *C*; quæ transcendit limites rationis, *N.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Per peccatum originale sunt in nobis *passiones peccatorum* (Rom. VII, 5). Atqui multæ aliæ sunt passiones præter concupiscentiam. Ergo.

RESP. *C. M.*—*D.m*:... quæ reducuntur ad passiones concupiscibilis velut ad principaliores, inter quas concupiscentia vehementius movet et sentitur, *C*; secus, *N.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 4. — Per peccatum originale deordinantur omnes animæ partes. Atqui intellectus supremus eminet inter partes animæ. Ergo peccatum illud magis est ignorantia quam concupiscentia.

RESP. *C. M.*—*D.m*:...i. e. principalitatem habet in bonis, *C*; etiam in malis præeminet inferioribus viribus animæ, *N.*—*Neg. conseq.*

Inordinatio virium animæ præcipue in hoc attenditur quod indebite convertuntur ad bonum commutabile: quæ quidem inordinatio appetitiva communi *concupiscentiæ* nomine designatur; unde peccatum originale (materialiter) potius dicitur concupiscentia, licet etiam ignorantia intellectus inter defectus materiales ejusdem peccati contineatur.

ARTICULUS III.

Utrum originale peccatum sit magis in carne quam in anima.

1⁰ Aliquid potest esse in aliquo dupliciter: uno modo *causaliter* seu sicut in causa vel principali vel instrumentali; alio modo *essentialiter* et sicut in subjecto.—*a)* Primo sub respectu, peccatum originale omnium hominum fuit in Adam sicut in prima *causa principali,* secundum illud Ap. (Rom. V, 12): *In quo omnes peccaverunt;* et quidem potiori modo quam in nobis, cum in eo fuerit secundum rationem et actualis et originalis-originantis peccati. *b)* In semine autem corporali est peccatum originis sicut in *causa instrumentali* cujus virtute in prolem traducitur. — Sed quæstio præsens potissime movetur *de subjecto* proprio illius peccati.

2⁰ Titulus art. est num peccatum originis sit magis in carne quam in anima.—Ubi *caro* accipienda est secundum se, prout distinguitur contra animam rationalem atque ejus imperio subducitur. Quocirca peccatum originale *esse in anima* sibi vult subjectari culpam illam in anima rationali, secundum quod hæc radix existit moralitatis actuum quam influit vel in parte intellectiva, vel in parte sensitiva sibi subjicibili.

Conclusio.—PECCATUM ORIGINALE PRO SUBJECTO HABET, NON CARNEM, SED ANIMAM.

1⁰ Idem est subjectum virtutis et vitii sive peccati, quod virtuti contrariatur. Atqui caro, secundum se, nequit esse susceptiva virtutis: ergo nec culpæ originalis.

2⁰ Revera, ita ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quamdam generativam motionem, sicut a voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus. Atqui in hac derivatione id attendi potest quod quidquid provenit ex motione voluntatis peccatricis ad quamcumque hominis partem peccati susceptivam, sive per modum subjecti, sive per modum instrumentalis participationis, sortitur rationem culpæ, quo modo se habet concupiscentia cibi in vi appetitiva cibique sumptio

per manus et os ex voluntate gulæ procedens ; quidquid vero ulterius derivatur ad vim nutritivam et ad interiora membra, quæ non sunt nata moveri a voluntate, non obtinet rationem culpæ. Sic igitur, cum caro *de se*, et prout effugit imperium voluntatis, nullatenus sit culpæ susceptiva, quidquid pervenit de corruptione primi peccati ad animam utique culpæ rationem habet ; quod autem pervenit ad carnem, non habet nisi rationem noxæ materialis et pœnæ. De qua pœna conqueritur Ap. dicens (Rom. VII, 23) : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Solv. obj.—OBJ. 1.—Unumquodque potius est in causa quam in effectu. Atqui anima inficitur labe originali per semen carnale. Ergo.

RESP. *D. M* :... in causa principali... *C* ; in causa instrumentali, *N*.—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Peccatum originale ex primo parente contrahimus, prout in eo fuimus secundum *seminalem* rationem. Atqui sic non fuit ibi anima, sed sola caro. Ergo.

RESP. *C. M.*—*D. m* :... non fuit sic anima in Adam sicut in principio effectivo, *C* ; neque sicut in principio dispositivo, *N*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Anima, culpæ originalis susceptiva, ex sua creatione vel infusione inquinaretur. Atqui id repugnat sanctitati Dei creantis. Ergo.

RESP. *D. M* :... ex sua creatione, *N* ; ex sua infusione, *S.d* : habito respectu ad Deum infundentem, *N* ; habito respectu ad corpus cui infunditur, *C*.—*C.d.m* : repugnat ex creatione, quæ refertur ad solum Deum, animam maculari, *C* ; ex infusione, *S.d* : prout infusio se tenet ex parte Dei infundentis, *C* ; prout se tenet ex parte corporis cui infunditur anima ad efformandam naturam humanam vitio originis obnoxiam, *N*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 4.—Tam pretiosam animæ substantiam sapiens Deus non jungeret corpori ex quo inficeretur. Atqui reapse illam corpori conjungit. Ergo.

RESP. *D. M* :... considerato bono singulari animæ, *Trans* ; considerato bono communi totius universi, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

1° Bonum *commune* præpollet bono singulari ; unde Deus secundum suam sapientiam non intermittit naturalem generis

humani multiplicationem ut vitetur singularis infectio hujus animæ.—Eo magis 2° *a)* quia melius est tali animæ esse secundum naturam principiis essentialibus constantem, etsi donis indebitis spoliatam, quam nullo modo esse ; *b)* præsertim cum possit per gratiam damnationem evadere. [1]

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum originale sit per prius in essentia animæ quam in potentiis.

(Q. LXXXIII, a. 2-4)

Tria breviter sub hoc articulo determinanda sunt : et 1° an, supposita reali distinctione [2] inter essentiam animæ ejusque potentias, peccatum originis per prius insideat animæ quam potentiis ; 2° quænam potentia prius subjective corrumpatur ; 3° quæ potentiæ principalius in ratione causæ inficiantur.

Conclusio 1ª.—ANIMA SECUNDUM ESSENTIAM EST PRIMUM SUBJECTUM ORIGINALIS PECCATI.

1° Idem est subjectum formæ et oppositæ privationis. Atqui *originalis justitia*, cui peccatum originale opponitur, pertinebat primordialiter ad essentiam animæ, siquidem donum erat divinitus collatum humanæ naturæ ; hanc autem per prius respicit essentia animæ quam potentiæ, dum istæ, utpote principia actuum personalium, magis spectant ad personam. Ergo. (Art. 1 ad 2)

2° Culpa originalis dici solet peccatum *naturæ*. Atqui anima est in linea naturæ humanæ secundum essentiam, qua corpus informat. Ergo.

3° Sane, illud animæ est principaliter subjectum alicujus peccati, ad quod primo pertinet causa motiva illius. Atqui peccatum, de quo agimus, origine producitur. Ergo illud animæ, quod primo attingitur ab origine hominis, est pri-

1—Cf. 2 Sent. D. XXXII, Q. II, a. 2.
2—Cf. I, Q. LXXVII.

mum subjectum originalis peccati. Atqui origo animam attingit ut terminum generationis, prout secundum essentiam est forma corporis: quo sub respectu certe capax peccati existit, in quantum est rationalis, primum principium ac subjectum actuum moralium [1]. Ergo anima secundum essentiam est primum subjectum originalis peccati; ita ut hæc prioritas accipienda sit non solum in *ordine generationis*, sed etiam in *ordine perfectionis* et naturæ, ea lege qua substantia prior est secundum perfectionem et naturam suis potentiis naturaliter consequentibus (resp. ad 3). [2]

Conclusio 2ª.—PECCATUM ORIGINALE, SUBJECTIVE SUMPTUM, PER PRIUS ET MAGIS AFFICIT VOLUNTATEM QUAM CÆTERAS POTENTIAS.

Prob.—Cum peccatum originale dupliciter considerari possit, scil. secundum inhærentiam ad subjectum, et secundum inclinationem quam subjecto imprimit ad actum, priori quidem modo maxime respicit essentiam animæ, posteriori autem sensu respicit potentias. Ergo illam potentiam prius magisque afficit quæ primam inclinationem habet ad peccandum. Atqui hujusmodi est voluntas; quod patet, quia ejus motioni subjacent pleræque potentiæ, quarum actus boni vel mali moralitatem suam ducunt ex ordine ad voluntatem [3]. Ergo, quemadmodum in primo statu justitia originalis vim suam potissime exerebat per voluntatem sese cunctaque Deo subjicientem, sic in statu lapsus peccatum naturæ primo summeque voluntatem attingit.

Dixi in concl. *subjective;* nam corruptio peccati potest esse in aliquo vel *actu* sicut in subjecto formaliter aut materialiter, quod modo tetigimus, vel *virtute* sicut in causa [4]: quod viam sternit ad sequentem conclusionem.

Conclusio 3ª.—SUB RATIONE CAUSÆ, SPECIALIUS DICENDÆ SUNT CORRUPTÆ ET INFECTÆ PER PECCATUM ORIGINALE TRES ILLÆ VIRES: SENSUS TACTUS, VIS CONCUPISCIBILIS, ET VIS GENERATIVA.

1—Cajet. in h. art.
2—Cf. *de Malo*, Q. IV, a. 4.
3—Cf. I-IIæ, Q. LXXIV.
4—*De Malo*, Q. IV, a. 5 ad 1.

Illa corruptio solet præcipue *infectio* nominari quæ nata est in aliud transferri, v.g. lepra. Atqui corruptio originalis peccati traducitur per actum generationis; qui quidem ad vim generativam pertinet sicut ad exequentem, et ad concupiscibilem sicut ad appetentem et imperantem, ad sensum autem tactus sicut ad sentientem delectationem et eam nuntiantem. Ergo infectio originalis peccati in tribus prædictis potentiis specialius vigere dicitur virtute sicut in causa, non tamen sicut in proprio subjecto [1].

1—Cf. *de Verit.*, Q. XXV, a. 6.

Ad quaestionem tertiam

Ante praedictam culpam originalem homo praed[itus] erat quatuor praecipuis qualitatibus seu excellenti[is]

1°- Immunitas ab errore.
2°- Immunitas a veniali peccato.
3°- Immunitas ab immortalitate.
4°- Immunitas ab omni tristitia et poena.

Quatuor status:

1.- Status naturae ~~[illegible]~~ originalis - continebat quatuor excellentias supra dictas.
2.- Status naturae purae - nunquam extitit, sed possibilis tantum.
3.- Status naturae integrae = conditio fuit hominis in dum qua homo, praeter facultates naturales, habebat quamdam perfectam submissione [illegible] concupiscentiae [illegible] tamen concientiae, scilicet, harmoniam inter facultates inferiores et rationem.
4.- Status naturae lapsae = est conditio hominis per se [illegible] ad finem suum supernaturalem inde a peccato originali.
- Status naturae lapsae et reparatae - dicit gratiam et virtu[tem] [illegible] mentum negationum dicit privationem donorum.

QUÆSTIO TERTIA

DE EFFECTIBUS PECCATI ORIGINALIS

Pelagiani, negantes peccatum originale, effectus atque pœnas ejusdem peccati concedere detrectabant; imo aliqua ex iis quæ nos mala pœnalia dicimus, maxime vero concupiscentiam carnis, contra ipsa Scripturæ et rationis præscripta [1] inter naturæ bona numerabant.—*Novatores* e contra, originalem noxam exaggerantes, non solum peccati sequelas a catholicis admissas, sed et *substantialem* naturæ vitiationem cum ipsa liberi arbitrii ademptione asseruerunt.

Doctrinæ catholicæ formula reperitur in verbis *Conc. Arausic.* II docentis (can. 1) " per offensam prævaricationis Adæ totum hominem, i. e. secundum *corpus* et *animam*, in *deterius* fuisse commutatum", necnon in verbis *Conc. Trid.* statuentis (Sess. VI, cap. I) in nobis ' liberum arbitrium *minime extinctum* esse, viribus licet *attenuatum* et *inclinatum.*"

Summæ theolog ordo nos monet ut impræsentiarum disseramus de effectibus *formalibus* peccati originalis, qui tres præcipui esse videntur, nimirum *vulneratio* naturæ, peccati *macula*, et *reatus pœnæ.* Cum autem reatus pœnæ vestigari possit vel *in genere*, vel *in specie* quatenus proprius est culpæ originalis, idcirco præsens quæstio in quatuor articulos dispescetur.

1—Cf. Bellarm., *De am. gr. et st. pecc.*, l. VI, c. 14.

ARTICULUS I.

De vulneratione naturæ.

(Q. LXXXV)

Receptum in scholis est adagium, per peccatum Adæ hominem " spoliatum esse gratuitis, vulneratum in naturalibus." Quot enim mala quantasque ruinas ex primæva illa calamitate humana natura sustinuerit, nemo est qui non in seipso persentiat.

1° Mala, e vitio originali secuta, dupliciter accipi possunt, videl. ex parte *animæ*, et ex parte *corporis*, prout *Syn. Araus.* paulo ante citata decrevit. Et sub utroque malorum capite, alia sunt *interna*, de quibus potissime dicemus, alia vero *externa*, ut habere Deum iratum, esse sub diaboli potestate, carere obedientia animantium, a cœlo, ab aëre, ab aqua et ipsa terra multa variaque incommoda perpeti.

2° Ad clariorem argumenti intelligentiam quædam *præmittenda* sunt.

a) Nam *bonum naturæ* tripliciter dici potest: *primo*, ipsa principia naturæ constitutiva cum proprietatibus consequentibus, et hoc bonum, secus ac *Novatores* senserunt, peccato nec tollitur nec minuitur; *secundo*, donum justitiæ originalis toti humanæ naturæ collatum, et novimus bonum istud totaliter ablatum esse peccato primi parentis; *tertio*, naturalis inclinatio ad virtutem quæ convenit homini in quantum rationalis est, et ex hac parte naturæ bonum potest, non quidem penitus tolli, sed diversimode imminui.

b) Re quidem vera, prædicta inclinatio intelligitur ut media inter duo: fundatur enim, sicut in radice, in natura rationali, et tendit finaliter in bonum virtutis. Porro *ex parte radicis*, quam peccatum nequit inficere, nullum detrimentum pati potest; sed diminuitur *ex parte termini*, et tanto magis quanto plura fortiorave obsistant impedimenta.

3° Jam ea quæ sub hoc art. intenduntur duabus propositionibus pro duplici genere malorum, sive animæ sive corporis, concludamus.

Conclusio 1ª. — CONVENIENTER PONUNTUR, EX PARTE ANIMÆ, QUATUOR NATURÆ VULNERA A PECCATO ORIGINALI

INFLICTA : SCIL. IGNORANTIA, MALITIA, CONCUPISCENTIA, INFIRMITAS ; quod theologi post Ven. Bedam *communiter* docent.

1º *Prob. concl.* — *a)* Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio Deo subjecta ab eo perficiebatur. Atqui hæc originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis. Igitur omnes vires animæ remanent *quodammodo* destitutæ proprio ordine quo naturaliter ad virtutem tendunt; et ista destitutio *vulneratio naturæ* dicitur. — *b)* Porro, quatuor sunt potentiæ animæ quæ possunt esse subjecta virtutum, scil. *ratio* in qua est prudentia; *voluntas* in qua est justitia; *vis concupiscibilis* in qua est temperantia; *vis irascibilis* in qua est fortitudo. In quantum ergo ratio destituitur perfecto ordine ad verum, ponitur *vulnus ignorantiæ*, juxta illud (Sap. IX, 14-15) : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ...Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quatenus voluntas destituitur integritate ordinis ad bonum, habetur *vulnus malitiæ* seu pronitas ad malum quæ exhibetur (Job. XV, 16) in homine *qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Quatenus concupiscentia destituitur ordine ad delectabile ratione moderatum, est *vulnus concupiscentiæ,* propter quod Ap. clamat (Rom. VII, 24) : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Demum in quantum vis irascibilis, quæ veluti miles armatus aut animi nervus imperanti rationi deservit, destituitur suo ordine ad arduum, ponitur *vulnus infirmitatis*, cujus memor Psalmista tam sæpe divinam opem implorat, v. g. (Ps. LXXXV, 16): *Respice in me et miserere mei ; da imperium tuum puero tuo.*

2º *Expl. concl.*—*a) Suarez,* declarans metaphoram illam qua natura *vulnerata* dicitur, recte scribit (Proleg. 4 de Grat. c. 8) : " Justitia originalis pacem et unionem inter appetitus hominis constituebat, quæ unio per peccatum dissoluta est, ablata justitia, et ita factum est *vulnus* in natura, sicut fit in corpore per dissolutionem continui. Atque eodem modo fuit læsus homo *in naturalibus,* non quia donum amissum fuerat naturale, sed quia naturalem defectum auferebat seu illi subveniebat."—*b)* Ex hoc autem *concludi non potest hominem,* saltem substantialiter, *debiliorem esse* ad operandum bonum in statu *naturæ lapsæ,* vi istius status, quam fuisset

in statu *naturæ puræ*. Nam audiamus *S. Thomam* (2 Sent. D. XXXI, Q. I, a. 1): " Quia hoc (scil. rectitudo per dona justitiæ originalis) gratis collatum fuerat, ideo juste per ingratitudinem inobedientiæ subtractum est. Unde factum est ut, primo homine peccante, natura humana, quæ in ipso erat, *sibi ipsi relinqueretur*, ut consisteret secundum *conditionem suorum principiorum.* " Homo itaque nec *intrinsece* debilior nascitur, quoniam peccatum Adæ non addit qualitatem vehementius inclinantem ad malum, sed est mera *destitutio* seu privatio justitiæ originalis; neque *extrinsece* debilior absolute dicendus est ex indole sui status: siquidem divina providentia se accommodat rerum naturæ et exigentiæ; ubi autem eadem manet natura, idem requiri videtur ordo Providentiæ obstacula removentis mediaque saltem essentialia fini proportionantis. [1]—*c)* Graves theologi docent hominem sibi relictum *aversum esse* a Deo, ut est finis naturalis, non positive, sed *negative* in statu naturæ puræ, vel *privative* in statu naturæ lapsæ, quatenus, ob oppositionem duplicis appetitus, rationalis et sensitivi, in neutro statu exigit ex se determinate et efficaciter applicari ad amorem boni honesti, sed solum ad amorem boni ut sic et in communi, unde se dein discursu rationis et electione voluntatis ad bonum honestum movere et ad Deum convertere valeat. Ergo ex aversione privativa, peccato Adæ inducta, deduci nequit imminutas esse, saltem substantialiter, vires naturales hominis; quamquam æstimare probabiliter liceat, liberalitatem Providentiæ naturalis paulo minorem deberi naturæ lapsæ et reæ quam naturæ puræ.

Conclusio 2ª.—MORS ET ALII DEFECTUS CORPORALES SUNT PŒNA PECCATI ORIGINALIS.

1º De *morte* diserta est Scriptura (Rom. V, 12) post factam ab initio comminationem (Gen. II, 17): *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*—*S. Thomas* (II-IIæ, Q. CLXIV, a. 2) concinne explicat alios *defectus corporales* ex peccato secutos, prout in Gen. legimus. "Quantum ad corpus, ad quod pertinet differentia sexus, alia pœna attributa est mulieri, alia viro. *Mulieri* quidem attributa est pœna secundum duo, propter quæ viro conjungitur; quæ

1—Cf. Suarez, *op. cit.* c. 8–9;—Gonet, *De homine*, Disp. IV, a. 3.

sunt generatio prolis et communicatio operum pertinentium ad domesticam conversationem. Quantum autem ad generationem prolis, punita fuit dupliciter: primo quidem quantum ad tædia quæ sustinet portando prolem conceptam; et hoc significatur, cum dicitur (Gen. III, 16): *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos;* et quantum ad dolorem quem patitur in pariendo, et quantum ad hoc dicitur: *In dolore paries.* Quantum vero ad domesticam conversationem punitur secundum quod subjicitur dominationi viri per hoc quod dicitur: *Sub viri potestate eris.* [1] Sicut autem ad mulierem pertinet ut subdatur viro in his quæ ad domesticam conversationem pertinent; ita ad virum pertinet quod necessaria vitæ procuret. Et circa hoc punitur tripliciter. Primo quidem per terræ sterilitatem, cum dicitur: *Maledicta terra in opere tuo.* Secundo, per laboris anxietatem, sine qua fructus terræ non percipit; unde dicitur: *In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Tertio quantum ad impedimenta quæ proveniunt terram colentibus; unde dicitur: *Spinas et tribulos germinabit tibi.*" [2]

2° Aliquid potest esse causa alterius dupliciter: vel *per se* seu secundum virtutem suæ formæ, vel *per accidens,* nempe per modum removentis prohibens, et hac ratione dicimus peccatum originale esse causam mortis aliorumque defectuum corporalium, quatenus peccato illo sublata est originalis justitia, per quam non solum inferiores animæ vires sub ratione, sed et totum corpus sub anima absque ulla deordinatione continebatur. Atqui effectus illi peccati originalis habent rationem pœnæ, non quidem pœnæ *taxatæ* pro peccato, sed pœnæ *concomitantis* vel consequentis: [3] quippe si quis propter culpam suam privetur aliquo beneficio sibi dato, quale erat donum justitiæ originalis, subtractio illius beneficii pœna est illius culpæ proportionaliter taxata; defectus autem provenientes ex subtractione illa se habent per

1—Intellige " non quantum ad regimen (quia etiam ante peccatum vir caput mulieris fuisset et ejus gubernator extitisset), sed prout mulier contra propriam voluntatem nunc necesse habet viri voluntati parere " (*Ibid.* ad 1).

2—Cf. Bellarm. (l. VI), qui cunctos defectus corporis et animæ graphice describit.

3—Cf. *De Malo*, Q. V, a. 4; II-IIæ, Q. CLXIV, a. 1 ad 4.

modum pœnæ consequentis.—Verum quidem est Christi gratiam delere peccatum originale, quin corporales hujus vitæ miserias prohibeat. Sed quod tam efficax gratia *inadæquate* tantum justitiam originalem homini restituat, ex ordine divinæ sapientiæ dependet. " Oportet enim quod ad immortalitatem et impassibilitatem gloriæ, quæ in Christo inchoata est, et per Christum nobis acquisita, perveniamus *conformati* prius passionibus ejus. Unde oportet quod ad tempus ejus passibilitas in nostris corporibus remaneat ad impassibilitatem gloriæ promerendam conformiter Christo " (art. 5 ad 2).

3° *Objicienti* mortem aliosque corporales defectus naturales esse homini, nec idcirco dici posse pœnales, respondeatur (art. 6) hominem *ex parte suæ formæ*, quæ non solum inclinatione communi omnibus formis ad esse, sed et natura sua perpetuitatem vindicat, naturaliter esse incorruptibilem, verum naturaliter corruptibilem esse *secundum se totum* et *ex parte materiæ:* siquidem corpus humanum, a natura electum ut sit temperatæ complexionis, ex hac ipsa conditione habet ut corruptibilitati subsit, quin tamen iste defectus sub electione cadat. Atqui Deus, cui subjacet omnis natura, in ipsa institutione hominis supplevit per justitiæ donum defectum et corruptibilitatem humani corporis. Recte itaque secundum hoc dicitur quod *Deus mortem non fecit* (Sap. I, 13) et quod corporalis corruptio pœna est peccati.

ARTICULUS II.

De macula peccati.

(Q. LXXXVI)

Non raro Deus revelavit sanctis suis quam fœda horridaque sit anima peccato coinquinata: quod sane intelligendum est proportionaliter de omni peccato, sive originali sive personali. Unde tria, sub præsenti articulo, ex doctrina Angelici de peccato in genere ad rem nostram conferemus unaque conclusione determinabimus: nempe *an* peccatum originale maculam gignat; *quid* proprie sit hæc macula; *quomodo* in anima peccatoris remaneat.

Conclusio.—EX PECCATO ORIGINALI RELINQUITUR MACULA SEU DEFECTUS NITORIS SPIRITUALIS, PERSEVERANS IN ANIMA USQUEDUM GRATIA DELEATUR.

1ª *Pars*, scil. maculam ex peccato proindeque ex ipso vitio originis gigni, suadetur 1° ex *Scriptura*, v.g. (Eccli. XXXI, 8): *Beatus dives qui inventus est sine macula;* (ibid. XLVII, 22) ubi dicitur Salomoni: *Dedisti maculam in gloria tua;* (Ps. XIV, 1–2): *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?... Qui ingreditur sine macula;* (Eph. V, 27): *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.*—2° *Ratione. a)* Macula in spiritualibus dicitur per similitudinem desumptam ex corporalibus, quæ proprie maculam contrahunt perdendo nitorem suum ex contactu alterius corporis, v. g. vestis ex oleo. Atqui anima humana duplicem habet nitorem: unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, alium ex splendore divinæ sapientiæ et gratiæ altius hominem perficientis et dirigentis; contra quod rationis et legis divinæ lumen peccat homo per amorem adhærens tactu spirituali rebus prohibitis. Ergo. *b) Conf.* (ex art. 1 ad 2). In hoc enim differt intellectus a voluntate quod actio intellectiva fit secundum quod res intelligibiles sunt in intellectu per modum ipsius, unde intellectus ex eis non inficitur, sed magis perficitur. Actus autem voluntatis consistit in motu ad res ipsas per modum amoris animam rei amatæ conglutinantis; qua ex inhæsione inordinata maculatur anima secundum illud (Os. IX, 10): *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

2ª *Pars* est de *natura* maculæ spiritualis, et dico: macula originalis peccati est *privatio nitoris primævæ justitiæ, connotans peccatum primi parentis* a quo causatur (a. 1 ad 3).

Enim vero 1° natura humana per peccatum Adæ aversa est a Deo, suo ultimo fine, et justitia originali privata. Atqui originalis justitia erat verus splendor animam cœlesti luce illuminans. Ergo ex illa aversione ac privatione consecuta est per modum *formalis* effectus macula, veluti defectus nitoris spiritualis (cf. Cajet. in h. l.).—2° Igitur hæc macula, quæ prout re identificatur cum aversione est *culpa* et prout formaliter sequitur est *pœna*, non est quidpiam positivum in anima nec privatio sola, sed privatio nitoris in ordine ad causam seu primum peccatum a quo esse suum morale sortitur.

3ᵃ *Pars* habet, maculam superesse post actum peccati ex quo nata est, usquedum gratiâ deleatur.—Cum enim macula importet recessum a lumine rationis vel divinæ legis, quamdiu homo extra lumen illud moratur, tamdiu in eo manet macula peccati. Atqui, post admissum peccati actum, non statim homo ad illud redit in quo fuerat, sed ad hoc requiritur vel actualis vel habitualis mutatio voluntatis per divinam gratiam. Ergo.

ARTICULUS III.

De reatu pœnæ in genere.

(Q. LXXXVII)

Duplex distingui debet reatus, culpæ et pœnæ. *Reatus culpæ* aliud reapse non est quam ipsa culpæ malitia, prouti quis libere eam amplectitur fitque illius reus. *Reatus pœnæ* vero est condignitas seu debitum pœnæ propter peccatum luendæ; unde reatum culpæ supponit et consequitur. Cum reatus pœnæ considerari possit in genere et *absolute*, vel in specie et *respectu* peccati originalis, jam lectori patet ratio præsentis ac sequentis articuli.

Conclusio.—REATUS PŒNÆ EST EFFECTUS PECCATI; NEC PECCATA DESUNT QUÆ REATUM INDUCANT PŒNÆ ÆTERNÆ ET QUODAMMODO INFINITÆ.

1ᵃ *Pars* prob.—1⁰ Ex *Scripturis*: nam (Ps. XXXI, 10) sic peccator justo opponitur: *Multa flagella peccatoris; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Et (Rom. II, 9): *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.*—2⁰ *Ratione.* Peccator violat ordinem et æqualitatem divinæ justitiæ, indulgendo ultra modum et contra Dei mandatum voluntati propriæ. Atqui æquum est ut violator ordinis ordinem restauret per quamdam recompensationem pœnæ sponte vel invite toleratæ, prout in humanis injuriis observatur (art. 6). Ergo. *Evolv. arg.* (ex art. 1). Lex est communiter vigens tum in rebus naturalibus tum apud homines ut insurgens contra aliquid vel aliquem ordinem ab eo deprimatur. Jamvero peccatum,

quod est inordinatio, triplicem ordinem pervertit, scil. ordinem humanæ rationis, ordinem socialis auctoritatis vel spiritualis vel temporalis, tandem ordinem regiminis divini. Quare consequens est ut peccator, universaliter loquendo, a triplici illo ordine detrimentum patiatur, incurrens triplicem pœnam, *unam* a seipso, quæ est conscientiæ remorsus, *aliam* ab homine, *tertiam* a Deo.—Hic autem pœnæ reatus seu debitum, cessante actu peccati, tamdiu manet quamdiu persistat offensa habitualis seu peccati macula (art. 6).

2ª *Pars* dicenda est *fide* sancita per *Conc. Lat.* ac *Trid.*—Et sane 1º legimus (Matth. XXV, 41): *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* ubi tum pœna *damni* secundum amissionem Infiniti Boni, tum pœna *sensus* secundum cruciatum ignis æterni exprimitur; et (v. 46): *Ibunt hi in supplicium æternum.*

2º *Ratione* sic procedendum est.—*a)* Quod ad pœnæ *æternitatem* attinet (art. 3), illud peccatum de se inducit reatum pœnæ æternæ quod importat inordinationem ex se irreparabilem. Atqui hujusmodi est peccatum mortale (sive originale sive personale), privativum gratiæ et conjunctionis cum Deo. Ergo. *Major* constat ex eo quod peccatum inducit reatum pœnæ, quatenus pervertit aliquem ordinem. Manente autem causa, manet effectus; unde tam longe se protendit reatus pœnæ quam ordinis perversitas. *Min. prob.* Nam *primo* peccatum mortale tollit vitam gratiæ, ideoque mors est animæ de se irreparabilis. *Secundo*, quia defectus, quo subtrahitur quodcumque primum principium, de se est perpetuus, si per peccatum corrumpatur principium ordinis quo voluntas Deo subditur, erit inordinatio ex se irreparabilis, etsi reparari possit virtute divina. Atqui principium hujus ordinis est Ultimus Finis, cui homo per caritatem inhæret et a quo per lethale peccatum avertitur. Itaque quæcumque peccata avertunt a Deo, caritatem auferentia, quantum est de se inducunt reatum æternæ pœnæ.—Neque enim necesse est ut fugaci culpæ pœna æquetur secundum *quantitatem durationis*, ut patet ex legibus criminalibus hominum. Præterea, culpa, etsi actu temporaria, *virtute* tamen æterna est, prout ultimum finem de se perpetuum in malo constituit (hic ad 1) [1].

1—Cf. Suppl. Q. XCIX, a. 1.

b) Quod pertinet ad *infinitatem* pœnæ (art 4), dicendum est pœnam peccato proportionari. Porro in peccato duo sunt : scil. *aversio* ab incommutabili Bono quod est infinitum, unde ex hac parte peccatum infinitum est et meretur *pœnam damni* quodammodo infinitam, quæ consistit in amissione infiniti Boni, scil. Dei; aliud in peccato reperitur, nempe inordinata *conversio* ad bonum commutabile [1], et ex hac parte peccatum est finitum, tum quia bonum illud finitum est, tum quia finita est ipsa conversio quæ actu creaturæ perficitur, et sub hoc respectu peccato respondet *pœna sensus* quæ est finita.

ARTICULUS IV.

De pœna propria peccati originalis.

1° Exploratis supra pœnis quas in hac vita peccatum originale adducit, pœnam in altera vita solvendam investigemus oportet; nempe determinanda est sors eorum qui cum *sola culpa originali* decedunt, sive infantium non baptizatorum, sive adultorum qui infantibus æquiparantur, ut perpetuo amentes.

2° Ea de re plures exstitere *opiniones.*—*a)* Prima fuit eorum qui regnum cœlorum infantibus non baptizatis promittere ausi sunt, uti *Vincentius* quidam de quo Aug. loquitur, et posterius *Swinglius*, *Bucerus*, multique sectarii.—*b)* Altera sententia fuit *Pelagianorum* qui, ut Aug. refert, non baptizatis promittebant, " extra regnum quidem Dei, æternam et beatam quamdam vitam suam ; " quamvis incertum sit utrum nomine vitæ æternæ intellexerint visionem Dei, vel beatitudinem naturalem ab omni pœna immunem.—*c)* Naturali autem felicitate, stante tamen pœna damni, fruituros infantes illos certo docuerunt *Amb. Catharinus*, *Pighius*, *Savonarola*, etc.—*d)* Alii dicunt eos damnari quidem æterna morte ac pœnam damni seu carentiam visionis Dei sustinere, at sine ullo dolore sive sensus sive spiritus.—*e)* Alii parvulos liberant a cruciatu ignis et vermis conscientiæ, non tamen a spirituali quodam dolore proveniente ex

1—Cf. Cajet. in h. loc.

notitia amissæ beatitudinis.—*f)* Alii demum rigidissimi tenent parvulos utraque pœna tum damni tum sensus in gehenna torqueri.

Conclusio 1ᵃ.—PARVULI SINE BAPTISMO DEFUNCTI ABSQUE DUBIO PRIVANTUR VITA ÆTERNA SEU BEATITUDINE SUPERNATURALI.—Id *de fide* est secundum definitionem conciliorum *Carthag.*, *Milevit.*, *Florent.*, necnon *Trid.* (Sess. V, can. 4): " Si quis parvulos...dicit...nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad *vitam æternam* consequendam...A. S."

Sane 1⁰ clarissima exstat Domini sententia (Joan. III, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei.*—2⁰ Homo ordinatur ad consecutionem vitæ æternæ per gratiam, juxta illud (Rom. VI, 23): *Gratia Dei, vita æterna.* Atqui infantes, originali labe infecti, sunt gratia et justitia destituti. Ergo [1].

Conclusio 2ᵃ.—TENENDUM EST PARVULOS IN PECCATO ORIGINALI DECEDENTES NON AFFLIGI PŒNA SENSUS, IMO PROBABILIUS NEQUE ULLO INTERNO DOLORE.

1ᵃ *Pars*, licet non de fide, *communis* est tamen in scholis et pro veriori habenda est.

Nam 1⁰ *a)* afflictio pœnæ debetur delectationi culpæ, secundum illud (Apoc. XVIII, 7): *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Atqui in peccato originali nulla fuit delectatio. Ergo.—*b)* Inter *Patres* citari possent uterque *Gregor. Naz.* et *Nyss.*, *S. Ambrosius*, *S. Bernardus*, etc, quamvis nonnulli dissentire videantur; necnon plerique *Scholastici* ac *theologi* tum antiqui tum moderni.—*c)* Accedit illud *Innoc. III* qui (in Decr. l. III, tit. 42, c. *Majores)* ait: " Præterea pœna originalis peccati est *carentia visionis Dei*; actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus." Insuper *Pius VI* (const. *Auct. fidei)* damnavit prop. 26 Syn. Pistoriensis " quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferiorem (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni *citra pœnam ignis* puniantur." Tandem Concilia (Lugd. II et Florent.) et RR. PP. (Greg. XIII et

1—Cf. *De Malo*, Q. V, a. 1.

Bened. XIV) non obscure favent, decernendo *disparitatem pœnarum* originali et actuali peccato debitarum.

2º *S. Thomas (de Malo*, Q. V, a. 2) tripliciter arguit.—*a) Primo*, peccatum originale, cum sit naturæ vitium, nonnisi *pœna naturæ* puniri debet. Atqui hujusmodi est pœna damni, non autem pœna sensus quæ immediate personam afficit in bonis personalibus. Ergo.—*b) Secundo*, pœna sensus respondet conversioni ad bonum commutabile, sicut pœna damni aversioni a Deo; unde peccato actuali mortali, in quo reperitur simul conversio et aversio secundum unum eumdemque actum inordinatum animæ, debetur utraque pœna. Atqui in peccato originali directe et per se non est conversio, sed *sola aversio* vel aliquid aversioni respondens, scil. destitutio justitiæ originalis. Ergo [1].—*c) Tertio*, habitualis dispositio mala potest esse causa damni, puta quod inhabilem reddat ad aliquam dignitatem, non vero meretur pœnam sensus. Atqui tota deordinatio peccati originalis se habet per modum *habitualis dispositionis*. Ergo.

2ª *Pars* concl. est *S. Thomæ, S. Bonav.*, aliorumque illustrium theologorum negantium in parvulis origine vitiatis tristitiam ex pœna damni provenientem, quam tamen alii distinguentes a verme conscientiæ, qui culpam propriam subaudit, cum *Bellarmino* [2] admittunt.—Tria ex D. Thoma adducemus [3].

1º Ideo pœnam sensus a parvulis cum originali peccato defunctis exclusimus, quia dolor pœnæ delectationi culpæ respondet. Atqui hæc ratio communiter spectat ad dolorem, internum vel externum, spiritualem vel sensibilem. Ergo probabilius parvuli illi nullum prorsus dolorem sentiunt.

2º Circa *modum* quo id exponi possit, varia est doctorum opinio.—Quidam enim hujus rei causam assignant, quod nemo tristatur de amissione boni ignoti. Porro infantes, cognitione fidei carentes, nonne *sanctorum gloriam ignorabunt*, supposita præsertim suavi dispositione divinæ Providentiæ quo gloria illa, in judicio universali manifestanda, eorum perceptioni subtrahenda sit? Hanc rationem non improbabilem judicavit Angelicus, cui tamen merito aliam prætulit.

1—Cf. De Rubeis, *De pecc. orig.*, p. 446.
2—*De Amiss. gratiæ et Statu peccati*, l. VI, c. 6.
3—*De Malo*, Q. V, a. 3; 2 Sent. D. XXXIII, Q. II, a. 2.

e discurramus. Qui rectæ rationis est ordinatis non affligitur ex carentia ejus quod proporexcedit; sic nullus sapiens tristatur ex hoc rex. Atqui, cum ex una parte visio beatifica e exigentiam superet, ex altera parte nunquam izati fuerunt per gratiam proxime proportionati vitam æternam consequerentur. Ergo defectus æ in illis non magis tristitiam parit quam in riat defectus gratiarum superexcedentium, non similibus factarum [1].

culpam originalem, quæ minus habet de volunquoque habere de pœna, scil. (probabilius) sola riæ puniri, absque ullo positivo dolore.

3[a].—PARVULIS SINE BAPTISMO DECEDENTIBUS BEATITUDO NATURALIS, SALTEM STRICTE ET FORTAMEN CONCEDITUR ALIQUA PARTICIPATIO NATUTIS.

primit doctrinam *catholicam*, Pelagianismo tenim pueri sine baptismo morientes versantur, ras [2], in statu *perditionis* et *damnationis*, *a filii iræ* (Eph. II, 3); juxta Patres [3] quoque *erna morte* mulctantur et in *infernum* desdici possunt assequi finem suum ultimum, iarum unus est *finis supernaturalis* beatificæ ui hæc omnia incompossibilia sunt cum beatiiter dicta, etiam naturali: siquidem proprium tudinis excludere omnem culpam et pœnam.

cedit *participationem aliquam naturalis feli-* verba *S. Thomæ* (2 Sent. D. XXXIII, Q. II, Quamvis pueri non baptizati sint separati a ad illam conjunctionem quæ est per gloriam, eo penitus sunt separati, imo ei conjunguntur onem naturalium bonorum; et ita etiam de oterunt naturali cognitione et dilectione [4]."
ndum est theologos catholicos non eodem modo

. *cit.*, ubi S. Thomas pleraque dubia dissipat.
14-15 et 36;—Rom. V, 18;—Apoc. XX, 6 et 15.
n. l. VI, c. 2.
o, Q. V, a. 3, c. et ad 4.

verba illa interpretari et in tres præsertim scindi opiniones.— *a)* Quidam *liberaliores* tenent parvulos non baptizatos Deum naturæ auctorem *perfecte* cognituros et amaturos, atque de puerorum *limbo* seu inferni secreto post judicii diem esse egressuros ut in terris renovatis perpetuo et feliciter commorentur. *b)* Alii *severiores* coarctant cognitionem et dilectionem illam ad quosdam actus imperfectos et necessarios qui *implicite* tantum Deum attingant, quales dæmonibus ipsis conveniunt. *c)* Alii demum, mediam ac *temperatam* viam sequentes, eam, quæ nobis verior esse mentemque D. Thomæ fidelius exprimere videtur, doctrinam proponunt.

1º Itaque, missa quæstione de *loco* proprio quo nunc sint animæ infantium non baptizatorum vel quo hi futuri sint post corporum resurrectionem, et quamvis credamus cum Aquinate (2 Sent. *loc. cit.* a. 1 ad 5) puerorum illorum *corpora* futura esse *impassibilia* non *ab intrinseco* et per dotem gloriosam, sed *ab extrinseco* et per congruam Providentiæ ordinationem; tamen abnuimus eorum intellectui et voluntati tantam inesse perfectionem quantam efferunt patroni primæ opinionis. Siquidem neque jus anteacti laboris et meriti ad illam habent; neque præsumenda est tantæ a Deo scientiæ ac virtutis infusio in subjecto indisposito tum physice ob mancam seu truncatam existentiam, tum moraliter ob labem originalem damnatione dignam.

2º Nihilominus non est cur eis denegemus sat amplam Dei rerumque *naturalium cognitionem*, ante resurrectionem quidem per species infusas, secundum quod convenit animæ separatæ [1], postmodum vero per abstractionem a sensibilibus, absque gravamine corporis, comparatam. Quia vero non alia in eis erit culpa quam privatio justitiæ originalis et consequens aversio ab Auctore talis justitiæ, arbitrandum est parvulos istos Deum, ut naturæ auctorem, quadantenus amaturos atque laudaturos, disponente sic ac movente divina Providentia. Unde in eis participatio aliqua [2] naturalis felicitatis non deerit [3].

1—Cf. 4 Sent. D. L, Q. I, a. 1, c. et ad 6;—I, Q. LXXXIX;—*de Malo*, Q. V, a. 3.
2—Cf. De Rubeis, *op. cit.*, c. 74.
3—Cum pueri illi magnam admodum humani generis partem efforment, quæ de eorum sorte dicta sunt temperare valent doctrinam de majori numero reproborum hominum.

Solv. obj. (cont. 1^{m} p. $2^{æ}$ concl.) — Obj. 1 ex *Scriptura.* — Dicitur *his qui a sinistris erunt: Discedite in ignem æternum* (Matth. XXV, 41). Atqui parvuli non baptizati erunt a sinistris. Ergo.

Resp. *D. M:...* et hic describitur forma judicii servanda respectu fidelium vel adultorum, ut ex contextu suadetur, *C;* respectu omnium simpliciter, *S. d:* et nomine *ignis* intelligi potest pœna generatim et indeterminate vel pœna cujusque propria, *C;* necessario intelligitur pœna sensus, *N.—Trans. m.— Neg. conseq.* (Cf. Bellarm., Billuart, etc.)

Obj. 2 ex *Patribus.*—S. Augustinus, S. Fulgentius, S. Gregorius explicite tradunt parvulos non baptizatos *igne, supplicio, tormentis* cruciandos. Ergo.

Resp. ex *D. Thoma* (Q. V *de Malo*, a. 2 ad 1): "Nomen tormenti, supplicii, gehennæ et cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum inveniatur, est *large* accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi."

Obj. 3 ex *ratione.*—Gravius puniuntur peccata post hanc vitam quam in vita ista, ubi est misericordiæ locus. Atqui in hac vita respondet originali peccato multiplex pœna sensibilis interior et exterior. Ergo.

Resp. *Trans. M.—D.m:...*directe et taxative secundum justitiæ divinæ ordinem per se intentum, *N;* indirecte et consequenter ob virtutem naturæ agentis quæ nunc sibi permittitur, post mortem vero justitiæ ordini undequaque subdetur, *C.—Neg. conseq.* [1]

Appendix: De sorte adultorum in hypothesi nullius Redemptionis.

Ad complendam doctrinam de peccato originali, hanc hypothesim instituunt theologi quin tamen in una certaque sententia concordent.

1° *S. Augustinus* (ut videre est apud De Rubeis, c. 40) *systema* amplectitur *divinæ justitiæ*, juxta quod homo, a Deo aversus et præpotentis concupiscentiæ vi libenter abrep-

1—2 Sent. D. XXXIII, Q. II, a. 1 ad 3; in quo art. aliæ objectiones solvuntur.

tus, de malis in mala præcipitaretur usque ad extremum sine fine supplicium: quem S. Doctorem alii graves theologi sectantur.—At systema illud haud leves ingerere videtur difficultates, nisi temperetur secundum exigentias *sapientiæ*, *bonitatis* et *misericordiæ* divinæ quæ justitiæ sociæ sunt neque re ab ea separari possunt.

2° Quidquid sit de *aversione* a fine naturali (quam quidam volunt per primum peccatum, transgressivum naturalis mandati *superiori legitime præcipienti obedies*, in solo Adamo contigisse, alii vero et rectius ad totum humanum genus cum labe originali extendunt), hæc defectio habitualis et mere privativa [1] per auxilium Dei naturale reparari posset, *non* quidem *simpliciter*, manente aversione a fine supernaturali, sed *secundum quid* et imperfecte [2]. Idcirco referam quæ scribit Eximius Doctor *Suarez* (*de Gratia*, Proleg. IV, c. 9, n. 12): " Licet Deus post prævisum originale peccatum statuisset non redimere homines per Christum, vel omnino illos non restituere ad felicitatem supernaturalem neque ad gratiam, nihilominus (quantum cogitari potest) non crearet illos destitutos debita et convenienti providentia naturali, neque hoc esset debitum originali peccato; sed potius illos relinqueret in hoc mundo tanquam viatores in ordine ad conservationem et propagationem naturæ et ad comparandam in hoc mundo Dei cognitionem et virtutem, et consequenter ad obtinendum post mortem, saltem in anima separata, aliquem statum naturalem, vel felicem in suo ordine et gradu, vel saltem carentem speciali dolore et pœna sensus, si nova peccata non committerent." Hæc ille. Unde homo, secundum hunc statum, maneret quidem in statu *damnationis* seu privationis gratiæ et gloriæ, non tamen destitutus omni bonorum naturalium participatione et fruitione.

1—Vid. supra, Q. III, a. 1.
2—Quod concedere videtur Cajetanus in I-IIæ, Q. CXIII, a. 2.

PARS SECUNDA

DE GRATIA CHRISTI

(I-II^{æ}, Q. CIX-CXIV)

PROŒMIUM

Vix primus parens lethali naturæ morbo se suamque universam posteritatem in reatum et ruinam adduxerat, quum Deus, misericordia motus, benignum providentiæ suæ prompsit consilium de *reparando* tam lugendo casu tantisque sublevandis miseriis. Quam ob rem ubi abundaverat delictum, *superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum* (Rom. V, 20-21).

I. Tractationis præstantia ejusque duces.—Nemo est qui non perspiciat quanti faciendæ sint disputationes scholasticæ de gratia, quæ vitæ fons nostræque regenerationis principium et forma existit, quantâque etiam studiorum diligentiâ ejus notitia adipiscenda sit. Sacerdos enim divino ministerio addictus quotidie circa gratiam occupatur, gratiam concionibus prædicat, gratiam precibus implorat, gratiam sacramentis communicat. Quibus muneribus ut recte fructuoseque fungatur, calleat necesse est sacram doctrinam de excellentia, indole, ac fœcunditate divinorum auxiliorum.—Tres nobis in re tam ardua præibunt magistri præcipui lumine et auctoritate: videlicet *S. Paulus*, gratiæ *Apostolus*, qui per quatuordecim Epistolas vel Christi capitis vel membrorum principalium vel ipsius corporis mystici gratiam profundissime exponit [1]; *S. Augustinus*, gratiæ *Pater*, defensor ac vindex adversus Pelagianam hæresim, cujus scripta nonnulla (in hoc argumento) expresse ab Ecclesia probata sunt, alia vero vel ut certa, vel ut probabiliora altissime com-

1—Cf. S. Thomæ *Commentaria, Prologus.*

Duces nostri { S. Thomas = Theologus. S. Paulus apostolus. S. Augustinus = ex patrib.

mendantur[1]; tandem S. *Thomas*, gratiæ *Doctor* ac theologus præstantissimus, cujus singula verba maximi apud omnes ac aurei sunt ponderis.

II. Prævia gratiæ notio ac divisio.—Nomine *gratiæ* generatim sumptæ significatur "donum seu beneficium liberaliter a Deo collatum creaturæ intellectuali." Porro gratia sic intellecta multipliciter distinguitur.—*a)* Alia est gratia *increata*, alia *creata;* increata quidem, prout sumitur vel pro benevolo Dei amore vel pro divina Persona, creaturis data, ut Filius vel Sp. Santus; creata vero, in quantum exprimit quidpiam a Deo essentialiter distinctum.—*b)* Gratia creata dispertitur in *naturalem* seu minus propriam, et *supernaturalem* seu proprius acceptam, quæ comprehendit dona tum essentialiter supernaturalia, tum quoque præternaturalia [2].—*c)* Iterum gratia supernaturalis vel est *habitualis* vel *actualis*, prout se habet vel per modum formæ et habitus permanentis, vel per modum gratuitæ motionis, protectionis et auxilii transeuntis. Alia est quoque *gratia Dei*, alia *gratia Christi*, quatenus consideretur vel independenter ab ordine Redemptionis (qualis in Angelis et in Adamo ante lapsum floruisse ponitur), vel secundum quod est peccati reparatrix.—*d)* Gratia autem Christi, vel est *Christi capitis*, vel *singularum personarum*. Præterea dividitur in gratiam *gratum facientem* et gratiam *gratis datam*, quatenus aut confertur in bonum accipientis aut in profectum aliorum ordinatur.—*e)* Denique gratia gratum faciens dispescitur in *internam* et *externam*, qua distinctione significantur vel auxilia Dei intrinseca, vel cuncta extrinseca, v. g. prædicatio legis, occasiones bonæ, pia exempla, etc, ducentia ad salutem; in *sanantem* quoque et *elevantem*, prout infra explicabitur. Horum enim pleraque et alia divisionis capita loco suo distinctius enucleabuntur [3].

III. Errorum summa.—Doctrina catholica de gratia Christi media consistit inter errores extreme oppositos: quidam enim negarunt gratiam, ne læderent liberum arbitrium; alii liberum arbitrium sustulerunt, ut adstruerent gratiam.

1—Cf. Mazzella, *De Gratia Christi*, Disp. I, art. 1.
2—Cf. Tract. *de Creatione*, p. 364.
3—Cf. Suarez, *De Gratia*, Proleg. III.

Gratia
- Increata
- Creata
  - Naturalis
  - Supernaturalis
    - Habitualis
    - Actualis
- Gratia Dei.
- Gratia Christi
  - Christi capitis
  - Singularum personarum.
- Gratia gratis data.
- Gratia gratum faciens
  - Interna — Sanans
  - Externa — Elevans.

1° *Errores circa gratiam.—a)* Omittimus *Gentiles*, ex quibus pauci admodum sunt qui virtutem bonasque actiones a summo Datore Deo derivaverint [1].—*b) Judæi* ante Christum non raro litteræ legis adhæserunt cum divinæ gratiæ neglectu vel contemptu. Ex Judæis autem ad Christum conversis, alii negarunt gratiam sine legis mosaïcæ observatione sufficere ad salutem (contra quos est Epist. ad Gal.), alii meritis legis gratiam Evangelii tribuerunt (contra quos est Ep. ad Rom.) [2].—*c)* Verum sæc. V celebris exstitit *hæresis Pelagiana* quæ, ab Origene, Theod. Mopsuesteno et Ruffino præformata, operâ Pelagii ejusque discipulorum, præsertim Cœlestii et Juliani, propagata est, quamque, ab Augustino strenue debellatam, 24 Concilia pluresque RR. PP. proscripserunt. *Radix* hujus erroris, quem Em^us Satolli merito nominat *Rationalismum moralem*, et cui post Socinianos et Arminianos moderni Rationalistæ omni ex parte assentiunt, duplex fuisse videtur : nempe peccatum primi parentis nihil nocuisse ejus propagini, operationem vero divinæ gratiæ libero arbitrio repugnare. Pelagianismus ex versipelli fautorum indole plures suscepit formas seu status. 1us *status* est in quo Pelagius, nulla facta gratiæ mentione, tria illa distinxit, "*posse, velle et agere*," posse quidem seu liberum arbitrium a Conditore Deo repetens, velle autem et agere ab homine. 2us fuit in quo "*ipsum liberum arbitrium*," utpote nullis meritis datum, subdole cœpit gratiam appellare. 3us id proprium habuit ut hæretici præter liberum arbitrium *externam gratiam* admitterent, scil. legem, doctrinam et exempla Christi. 4us *status* fuit in quo, catholicorum argumentis pressi, concesserunt etiam internam quamdam gratiam, nempe mentis *illustrationem*. Certum videtur eos, saltem verbis, admisisse gratiam *habitualem* ; quam tamen quia confitebantur naturæ meritis debitam, S. Augustinus principaliter quidem de actuali, at consequenter etiam de habituali gratia contra ipsos disputavit. Num vero iidem sub controversiæ fine, præter alia mox relata, gratiam quoque aliquam *voluntatis* adjutricem agnoverint, non apparet omnino ; neque, si quam admiserunt, eam necessariam ac gratuito datam, sed

1—Cf. Knoll, vol. IV.
2—*Ibid.*

utilem tantum ac meritis debitam professi sunt.—*d)* Ex Pelagianismo veluti dimidiato pullulavit eodem sæc. V *Semipelagianismus*, auctoribus præsertim Cassiano et Gennadio, Massiliensibus presbyteris, necnon Fausto et Vincentio, quibus fortiter restiterunt imprimis S. Augustinus (ll. de Don. Pers. et Præd. Sanct.), S. Prosper et S. Fulgentius, donec hæresis illa sequenti sæculo in *Conc. Arausicano II*, a RR. PP. Felice et Bonifacio II approbato, per 25 canones ex Aug. scriptis decerptos penitus interimeretur. Capitale vitium Semipelagianismi est, *initium fidei* et *salutis* esse ab homine, scil. hominem solis naturæ viribus posse præstare *pium credulitatis affectum* quo voluntas imperat actum fidei formalis ac divinæ, posseque per seipsum desiderare, petere, quærere gratiam hisce conatibus infallibiliter a Deo tribuendam. Ex quo pronum erat Semipelagianis negare, tum *gratuitatem prædestinationis* ad gratiam, tum *donum perseverantiæ* in fide et justitia. Licet vero a plerisque credantur admisisse cum Pelagianis in quarto gradu gratiam illuminationis seu intellectus, non aperte constat utrum aliqui saltem ex eis admiserint etiam pro voluntate quamdam gratiam internam, *oblatam*, nondum *collatam*, cui voluntas *ex se* tantum consensum daret [1].

2° *Errores circa liberum arbitrium.*—*a)* Certum videtur jam sæc. V invaluisse apud quosdam doctrinam pessimam *Prædestinatianismi* quæ fert liberum arbitrium in homine nihil esse, sed prædestinationem Dei sive ad bonum sive ad malum cuncta in unoquoque operari : quo quidem de errore sæc. IX accusatus est *Godescalchus* quidam, cujus causa in utramque contradictionis partem graves contestationes excitavit, aliis illum condemnantibus, absolventibus aliis. — *b) Wicleffi* et *Huss*, prædecessorum suorum, sensa amplectentes, Novatores sæc. XVI contenderunt liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ esse vanum nomen seu " titulum sine re, " et ad summum nil aliud significare quam libertatem a coactione, non vero a necessitate : unde *Lutherus* librum scripsit *de servo arbitrio*. Ex hoc pernicioso semine

1—Damnata quidem est, uti *falsa* et *hæretica*, prop. 4ª Jansenii mox infra adducenda : quam tamen damnationem theologi diversarum scholarum diverse intelligunt. Cf. ex una parte Mazzella, ex altera Billuart, etc.

prodiere alii *Lutheranorum* et *Calvinistarum* errores de irresistibilitate divinæ gratiæ vel motionis, de impossibilitate etiam per gratiam implendi præcepta ob naturæ corruptionem, de justificatione mere externa, etc ; a quibus tamen doctrinarum monstris paulatim protestantes recesserunt, ita ut plerique nunc in Pelagianismum cedant.—*c)* Cum eodem sæc. XVI *M. Baius*, Doctor Lovaniensis, in odium laxarum quarumdam opinionum professus esset doctrinam Prædestinatianismo et Lutheranismo infectam, 79 propositiones ex ejus operibus desumptæ a Pio V (1567) proscriptæ sunt.—*d)* Sæc. XVII, alterius prof. Lovaniensis, scil. *Jansenii*, opus postumum prodiit in quo multæ propositiones Baii renovabantur ; unde statim ab Urbano VIII (1641) damnatum est. Hanc damnationem confirmavit Innocentius X (1653), proscribens post examen duorum annorum quinque propositiones compendio continentes doctrinam Jansenianam [1]. Cum vero Janseniani, ut pontificium decretum effugerent, famosam excogitassent distinctionem juris et facti, tenentes librum Jansenii non fuisse a Censoribus rite intellectum nec idcirco Pontificiæ damnationi obediendum esse, sed sufficere *religiosum silentium*, Innocentius X, Alexander VII et Clemens XI omne effugium hæresi præcluserunt. Idem Clemens proscripsit librum *Quesnelli*, sectatoris Jansenii ; cujus 101 propositiones per illius Pontificis Bullam *Unigenitus* (1713) censuris perculsæ sunt. *Systema* Jansenii ad hæc summa capita reducitur : in præsenti corruptionis statu, duplex est *delectatio* quæ nos ad operandum movet, *terrena* ex cupiditate mala, *cœlestis* ex gratia. Porro voluntas inter hæc duo pondera ad instar libræ se habet, quæ

1—1ª prop : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, et conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia qua possibilia fiunt.* — 2ª prop : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*—3ª prop : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*— 4ª prop : *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*—5ª prop : *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

in unam vel alteram partem *necessario inclinatur* pro majori vel minori alterutrius delectationis gradu. Quamvis autem coactio necnon necessitas *immutabilis* libertati nostræ officiat, tamen *necessitas mutabilis*, quæ absolute vinci potest, etsi non relative, minime libertatem tollit [1].

IV. Lemma de libero arbitrio.—Jam alibi (*de Creatione*, Disp. VII, Prooemium) recensuimus *quinque status* in quibus humanum genus vel inveniri possit vel de facto inventum est aut invenitur, nempe statum *naturæ puræ*, statum *naturæ integræ*, statum *innocentiæ* vel *justitiæ originalis*, statum *naturæ lapsæ*, statum *gratiæ gratum facientis* et *reparatricis*.—Quia vero Novatores, Baïanistæ et Jansenistæ fundamentum errorum suorum ex nimia corruptione naturæ liberique arbitrii exstinctione desumunt, pretium operis erit nonnulla de hoc argumento præstituere.

Prætermittimus quæ de conceptu *metaphysico* libertatis philosophia tradit nosque ipsi (*de Deo*, Disp. V et VI) breviter tetigimus : modo res agitur præcipue sub adspectu *historico-morali*.—Dicendum est itaque contra hæreticos *hominem, etiam in statu naturæ lapsæ, gaudere vera libertate secundum immunitatem a necessitate, neque sine ea mereri vel demereri posse.*

Distinguit Bellarminus (de Gr. et Lib. Arb. l. III, c. 4) triplicem libertatem : scil. libertatem a miseria seu *gloriæ*, libertatem a peccato seu *gratiæ*, et libertatem *naturæ*. — Hæc autem dividitur in *moralem* et *physicam*, prouti sit immunitas a morali vinculo legis vel a vi physica. — Physica vero libertas alia est *a coactione* seu *spontaneitatis*, alia *a necessitate* seu *arbitrii*. — Contendimus ergo libertatem, qua impræsentiarum homo potitur, consistere non solum in immunitate a coactione extrinseca, sed etiam in immunitate a quocumque principio intrinsecus necessitante et determinante ad unum sive ex parte objecti sive ex parte subjecti : quippe *independentia* illa seu *activa indifferentia*, qua quisque seipsum determinat eligendo quæ sibi congrua ad finem

1 Cf. Knoll, Billuart, Theolog. Wirceburg., etc.

videantur, formalis est atque essentialis prorsus conditio libertatis humanæ.

1° Obviam præsto sunt Ecclesiæ documenta. Nam *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 4) habet: "Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil *cooperari* Deo excitanti atque vocanti... neque *posse dissentire*, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, A. S." Hinc inter propp. a RR. PP. damnatas sunt sequentes Baii, nempe 66ª : *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit ;* et 67ª : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit* [1].

2° *Scripturæ* frequentia sunt testimonia quæ tribuunt homini *post lapsum* electionem diversarum rerum, maxime boni et mali : pauca sufficiant.—(Deut. XXX, 15) Moyses sic alloquitur Hebræos sui temporis : *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum ;* et infra (v. 19) : *Elige ergo vitam ut et tu vivas, et semen tuum.* (Eccli. XXXI, 10-11) dicitur : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*—Ap. loquens de facienda eleemosyna hæc scribit (2 Cor. IX, 7) : *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.*

3° Perlonga est *SS. Patrum* series quos Bellarminus solita eruditione in liberi arbitrii tutelam recitat. Brevitatis gratia, ad unam provocabimus *Augustini* auctoritatem, qua hæretici temere abusi sunt. Nam (l. I ad Bonif. c. 2) ait : " Quis autem nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere ? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in paradiso fuit, *habendi plenam* cum immortalitate *justitiam.*" (De Sp. et Litt. c. 33) : " Liberum arbitrium, naturaliter attributum a Creatore animæ rationali, illa media vis est quæ vel intendi ad fidem vel inclinari ad infidelitatem potest." Item (de Gr. et Lib. Arb. c. 2) : " Divina præcepta homini non prodessent,

1—Cf. prop. 3 Jansenii, necnon Litt. Encycl. Leonis XIII *de Libertate humana.*

nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret."—*a)* Si quando igitur S. Augustinus aliique Patres liberum definiant quod non est *coactum*, quod *sponte* et *voluntarie* fit, coactio accipienda est *lato* sensu pro quacumque vi necessitante etiam interna, spontaneum vero et voluntarium sumi debent formaliter quatenus voluntas sponte agens, *ut voluntas*, distinguitur a *natura* antecedenter ad unum determinata. *b)* Insuper quod Augustinus quamdam in homine lapso *peccandi necessitatem* agnoverit, intelligendum est vel de peccato *improprie* dicto, scil. de motu concupiscentiæ, vel de *morali* necessitate committendi peccatum absque ulla gratia saltem sanante [1].

4⁰ Ex *ratione* multiplex argumentum colligi potest. Audiamus *S. Thomam (de Malo*, Q. VI, a. unic.): " Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex *necessitate* movetur ad aliquid eligendum ; nec tamen ponebant quod voluntas *cogeretur* (est ipsissima Jansenii distinctio)... *a)* Hæc autem opinio est *hæretica :* tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit quod vitare non possit.—*b)* Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia *philosophiæ moralis.* Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio, et laus et vituperium, circa quæ moralis philosophia consistit."—*c)* Amplius dicam opinionem adversariorum contrariari *experientiæ* humani generis, *testimonio conscientiæ* uniuscujusque, necnon *proprietati humanæ naturæ* quæ non fuit peccato Adæ essentialiter corrupta. Proprium enim est hominis cognoscere finem et media ad finem, tum necessaria, tum contingentia ; quam cognitionem sequitur proportionalis appetitio vel necessaria vel contingens. Atqui id constituit libertatem a necessitate, posse videl. secundum activam quamdam indifferentiam accipere vel rejicere ea media, quæ ratio docet non necessario cum fine esse connexa. Ergo [2].

1—Vid. plura ap. Mazzella, Disp. I, art. 3.
2—Cf. Bellarminus, qui totam hanc controversiam contra Novatores mira eruditione et doctrina omni ex parte versat atque absolvit.

V. Disputationum ordo.—Tractatus de Gratia a nobis dividetur in quatuor partes seu Disputationes. Siquidem inquirere possumus *an* sit gratia, secundum necessitatis modum; *quid* et *quotuplex* sit; *a quo* et *quibus* detur; *ad quos* effectus dispensetur.—Novimus equidem celebres theologos per integra volumina de gratia Christi disserere: quorum tamen sectari morem nec ingenii nostri modulus sinit, nec institutionis a nobis susceptæ propositum limitesque postulant; quippe in usum et commodum incipientium, non secus ac Angelicus noster, theologicum opus exaramus.

DISPUTATIO SECUNDA

QUÆSTIO UNICA

DE NECESSITATE GRATIÆ

Optime S. Thomas quæstionem hanc de necessitate gratiæ in limine totius tractationis instituit; quæ semel atque soluta fuerit, duo jam constabunt : scil. *esse* gratiam, cum providentia non desit in necessariis ; eam autem tali *modo* agnosci ut sine ea impossibile omnino sit finem ultimum consequi, ideoque enixis precibus esse efflagitandam.

Præsens disquisitio tot determinanda involvit quot diversis modis homo auxilio egeat ut perficiatur et beatificetur. Unde Cl. Satolli [1] decem articulis, mirabili ordine digestis, totam quæstionem absolvi liquido demonstrat. Etenim necessarium aliquid reputatur vel ad aliud *obtinendum*, vel ad *permanendum* in eo ; ad aliud obtinendum, vel directe secundum ordinem ad consequendum *bonum*, vel indirecte secundum ordinem ad *malum* vitandum.—At bonum hominis est vel quoad *cognitionem* (art. 1), vel quoad *electionem*. Electio autem respicere potest vel præparationem ad gratiam (art. 6), vel id ad quod gratia datur : quod est aut *bonum* generaliter acceptum (art. 2), aut *finis* seu Deus dilectione super omnia dignus (art. 3), aut *ordo in finem* duobus constans, scil. divinorum *præceptorum* observatione (art. 4), et *proportione* ad vitam æternam (art. 5).—Malum vero, pro cujus fuga dubitatur an opus gratia sit, dupliciter considerari oportet, prout scil. peccatum est, vel *commissum*, ut homo resurgat (art. 7), vel in futurum *præcavendum* (art. 8).—Denique necessarium potest dici aliquid homini ad permanendum in bono, vel ut *aliquamdiu* (art. 9), vel ut *usque in terminum* perseveret (art. 10).

1—*De gratia Christi prælectiones*, Quæst. I.

...rum speculativum = est illud cujus ratio essendi est ut cognoscatur, v.g. Deus existit.

...rum practicum = est illud quod ordinatur ad agendum v.g. Deus est colendus.

ARTICULUS I.

Utrum homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit.

1° *Titulus* breviter declarandus est.—*a) Homo* hic sumitur non tam psychologice et secundum speciem suam quam *historice* et secundum statum lapsus.—*b)* Quæritur an *possit,* non solum possibilitate metaphysica et remota, sed quoque possibilitate concreta et *proxima,* sufficienter ad veritatis cognitionem devenire.—*c) Cognitio* autem accipi debet non solum passive secundum disciplinam ab alio susceptam, sed *active* pro notitia certa et demonstrativa veritatis vel exterius propositæ, vel præsertim marte proprio inventæ.—*d)* Porro verum aliud est *naturale,* aliud *supernaturale;* aliud quoque *speculativum, practicum* aliud, quod quidem aut est in genere *factibilium* secundum rationem artis, aut in genere *agibilium* seu morum secundum rationem prudentiæ.—*e)* Tandem dicitur *sine gratia;* ubi notandum auxilium Dei duplex distingui, *naturale,* et *supernaturale* quod proprie gratia vocatur. In utroque autem genere adjutorii datur auxilium quoddam *generale,* naturæ vel ordini, in quo homo est, sive naturali sive supernaturali debitum, et auxilium *speciale* secundum suavem Providentiæ cursum liberalius concessum [1].

2° Tribus propositionibus concludemus doctrinam ab Auctore propositam, contra tres diversas erroris formas.

Conclusio 1ª.—AD COGNITIONEM CUJUSCUMQUE VERI HOMO INDIGET AUXILIO GENERALI DEI MOVENTIS : quod dirigitur contra *Rationalistas.*

Prob.—Cognoscere veritatem, cum sit usus quidam seu applicatio intellectualis luminis, duo importat : lumen ipsum per modum formæ seu principii manifestativi, et ipsam manifestationem veluti actum seu motum. Atqui homo a Deo dependet non solum quantum ad participationem et conservationem intellectualis luminis, sed etiam quantum ad motum quo lumen illud in usum deducitur. Ergo. *Min. ostend.: a) primo* ex principio illo jam alibi explicato *(de*

1—Cf. Billuart, *De Gratia,* Diss. III, a. 1.

Motus metaphysicus = transitus de potentia ad actum

Deo, Disp. I, Q. un. a. 3 et Disp. VI, Q. I, a. 4-5) quod ad primum motorem ducit, scil. " omne quod movetur ab alio movetur " ; *b) secundo* ex comparatione inter corporalia et spiritualia. Siquidem non minus dependent intellectiones nostræ a sole divinæ intellectualitatis quam corporalia a sole corporali. Atqui physica, tum antiqua tum moderna, motus ac mutationes naturales quæ in terra fiunt universaliter repetit a solis materialis influxu. Ergo intellectus noster non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo, non quidem secundum necessitatem naturæ, sed secundum adjutricis Providentiæ rationem.

Conclusio 2ª.—HOMO LAPSUS POTEST, ABSQUE GRATIA ET CUM SOLO INFLUXU DEI NATURALI-GENERALI, COGNOSCERE PLERAQUE VERA ORDINIS NATURALIS, TUM SPECULATIVA, TUM PRACTICA ; QUAMVIS PROBABILIUS NON POSSIT ABSQUE AUXILIO NATURALI-SPECIALI OMNIA ILLA VERA, COLLECTIVE SUMPTA, COGNOSCERE.

1ª *Pars* est contra *Traditionalistas* sive rigidiores sive moderatos, quos Ecclesia pluries damnavit, nuperius declarans (Conc. Vatic. cap. II, *de Revel.)* nonnulla esse " in rebus divinis quæ humanæ rationi per se impervia non sunt ". (Cf. *de Deo*, Disp. I, Q. un. a. 2.)

Prob. 1º *generaliter.*—Nam *a)* qui solo naturæ lumine attingere potest verum divinum potest universalius verum naturale, sive speculativum, sive practicum, deprehendere. Atqui homo ex se valet, etsi imperfecte, Deum cognoscere [1], juxta illud (Job. XXXVI, 25): *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* Ergo.—*b)* Hinc *S. Augustinus* dixit (1 Retract. c. 4) : " Non approbo quod in oratione dixi : Deus, qui nonnisi mundos verum scire voluisti ; responderi enim potest, multos etiam non mundos (i. e. nondum gratiâ perfectos) multa scire vera."—*c)* Et sane, quælibet forma seu virtus rebus a Deo indita, quamdiu in esse subsistat, efficaciam habet respectu actuum ad quos natura sua ordinatur ; secus daretur virtus activa, non effectrix proprii actus, quod implicat. Atqui intellectus noster etiam in præsenti statu pollet forma activa, scil. lumine intelligibili, quod, licet ex peccato Adæ extrinsecam quamdam obscurationem patiatur, idem tamen essentialiter manet. Ergo lumen

1—Cf. Bellarm., *de Gr. et Lib. Arb.* l. IV, c. 2-3.

illud, in nobis refulgens, de se sufficiens est ad manifestanda intelligibilia sibi proportionata, ea scil. in quorum notitiam per sensibilia devenire possumus.—*d)* Hujus rei testes imperituri sunt philosophorum antiquorum principes, *Plato* et *Aristoteles*, quorum tractatus de re metaphysica, physica, et morali (quibusdam exceptis), tam sublimem humanæ rationis laudem præ se ferunt.

Prob. 2° *specialiter* de vero *morali* contra *Greg. Arim.*, *Capreolum*, aliosque recentiores.—Nam *a)* ex V. T. habemus illud (Ps. IV, 6-7): *Multi dicunt: quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Ubi propheta docet non posse excusari per ignorantiam homines, si non servant præcepta moralia, cum ab ipsa natura lumen in corde impressum ferant. In N. T. Apostolus, loquens de Gentibus, ait (Rom. II, 14-15): *Ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*—*b)* Quare *S. Joan. Chrys.* (Hom. 54 in Gen.) dicit: "Nullus prætextus, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem vitæ ducem et demonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam et fieri non potest ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum et non faciendorum [1]."—*c)* Non diffitemur quidem nos per peccatum Adæ *ignorantiæ vulnus* accepisse; sed hoc vulnus neque vim intellectivam exstinxit, neque tantum fuit respectu veri quantum malitiæ vulnus respectu boni: siquidem corruptio naturæ, utpote a causa moralis ordinis, scil. a peccato voluntatis, procedens, maxime infecit voluntatem, rationem vero præcipue secundum quod hæc movetur a voluntate [2] et est subjectum prudentiæ.

2ª *Pars* concl. ut probabilius tradit hominem lapsum non posse sine speciali auxilio naturali *omnia* vera naturalia *collective* cognoscere.—1° Id evincitur ex verbis (Eccle. VIII, 17): *Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem;* quæ præsertim dicta videntur de ordine Providentiæ in mundo.—2° *Ratio* asserti est

1—Cf. Bellarm., *op. cit.* l. V, c. 2–3.
2—Cf. I-IIæ, Q. LXXXIII, a. 3 ad 3.

humani intellectus *defectibilitas* qui non potest, moraliter loquendo, quin quandoque decipiatur cum solo influxu Dei generali, maxime si respiciamus ad tam multa impedimenta externa, scil. ad brevitatem vitæ, ad infirmitatem corporis, ad innumera prope civilis ac domesticæ vitæ officia, ad passionum impetus, etc. Unde *S. Thomas* (C. G. IV, 52) : " Inter spirituales autem (pœnas peccati originalis) est potissima debilitas rationis, ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis." [1]

Conclusio 3ª. — NEQUIT HOMO PER SEIPSUM, ABSQUE LUMINE GRATIÆ REVELANTIS, INTELLIGIBILIA SUPERNATURALIA COGNOSCERE, NEQUE POTEST IISDEM VERITATIBUS JAM A DEO MANIFESTATIS ABSQUE LUMINE GRATIÆ INTERNÆ ASSENTIRI, NISI EX MOTIVO MERE NATURALI.

1ª *Pars* ferit cujusque ætatis *incredulos* qui mysteria negant, contra quos egit *Conc. Vat.* (c. *de Revelatione* et *de Fid.* et *Rat.)* ; neque a nobis hic demonstranda est, cum jam demonstrata supponatur in *Theologia fundamentali* [2].— Satis esto indigitare, medium terminum potissimæ demonstrationis factæ a *S. Thoma* (C. G. I, 3) in eo esse positum, quia sensibilia, ex quibus proficiscuntur cognitiones nostræ, non possunt nobis quidditatem divinæ substantiæ patefacere, cum sint effectus Dei inadæquati : unde necesse est ut plura circa Deum cuique intellectui humano impervia naturaliter maneant.

2ª *Pars* militat contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* ; quæ quum proprius ad tract. *de Fide* [3] pertineat, idcirco unam *Conc. Araus. II* (can. 5) auctoritatem referemus : " Si quis, sicut augmentum, ita etiam *initium fidei* ipsumque *credulitatis affectum* quo in eum credimus qui justificat impium ... non per *gratiæ donum* ... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente (Phil. I, 6) : *Confidens hoc ipsum, quia*

1—Cf. *Ibid.* I, 4 ;— Joan. a S. Thoma, Disp. XIX, a. 2 ; — Gonet, Disp. I, a. 1.
2—Cf. quoque Tract. *de Deo*, Disp. III, Q. II.
3—Cf. II-IIæ, Q. VI.

qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu." — *Ratio* est, quia fides, ut sit salutaris, debet esse ex motivo fidei proprio, scil. ex motivo divinæ revelationis, unde supernaturalitatem sortiatur. Repugnat autem supernaturalem assensum solis naturæ viribus præstari posse.

3ª Pars tamen concedit posse hominem per seipsum assentiri veritatibus a Deo revelatis, dummodo id fiat ex *motivo naturali* seu humano.—Nam verum supernaturale sub tali motivo, licet entitative sit supernaturale, formaliter tamen seu in ratione objecti naturale est, ideoque non superat naturæ vires. Hoc modo, scil. fide humana, hæretici amplecti possunt nonnulla mysteria, quatenus non ex motivo divinæ revelationis credunt, sed ex proprio judicio sive de illorum mysteriorum rationabilitate sive de fidei laude vel utilitate.

Solv. obj. (cont. 2ᵃᵐ concl.)—Obj. 1.— "Omne verum, a quocumque dicatur, a Sp. Sancto est" (Ambrosius in 1 Cor. XII, 3). Atqui Sp. S. habitat in nobis per gratiam. Ergo.

Resp. *D. M* :... sicut ab infundente vel naturale vel supernaturale lumen et movente proportionaliter ad intelligendum et loquendum veritatem, *C* ; sicut ab inhabitante per gratiam vel largiente donum naturæ superadditum, *S.d* : omne verum ad fidem pertinens, de quo loc. cit. loquitur Apostolus... *C* ; omne verum simpliciter, *N.—Trans. m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Juxta Augustinum (1 Soliloq. c. 6), disciplinarum certissima comparantur ad illustrationem Dei, sicut corporalia ad lumen solis ut videri possint. Atqui sensus, quantumcumque validus, non potest aliquod visibile cernere absque externa solis illustratione. Ergo a pari, etc.

Resp. *D. M* :... quatenus utrobique necessaria est illustratio, *C*; quasi utriusque tum sensibilis tum intelligibilis illustrationis ratio eadem sit, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Sol corporalis illustrat *exterius* ; sed sol intelligibilis, qui est Deus, illustrat *interius*. Unde ipsum naturale lumen animæ inditum est illustratio Dei qua ab ipso illuminamur ad cognoscendum objecta naturaliter proportionata ; nec alia superaddita illustratione indigemus, nisi pro eis quæ naturalem cognitionem excedunt.

Obj. 3.—Humana mens non potest veritatem intelligere nisi cogitando (Aug. de Trin. XIV, 7). Atqui *non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis* (2 Cor. III, 5). Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :...* et sensus est semper nos egere auxilio Dei creantis, conservantis et moventis ad cogitandum quodcumque, *C* ; significat probabilius [1] Apostolus necessariam esse gratiam in qualibet cogitatione nostra, *S.d :* in qualibet cogitatione *salutari* seu ducente ad salutem, *C* ; universaliter, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia.

1° Revocare est ex doctrina alibi exposita de quinque statibus humani generis alium esse statum *naturæ integræ*, alium autem statum *naturæ corruptæ* [2].—Natura humana, cujus integritatis status confundendus non est cum statu justitiæ originalis, ex hac tamen conjunctione cum justitia primi parentis mutuabatur *vigorem* quemdam rationis quo vires sensitivæ viribus superioribus subjicerentur ; etsi, secus ac justitia originalis, integritas illa de se non prohibeat omnem venialem defectum citra mortalem aversionem a fine.—Ratio autem in natura lapsa vigorem suum amisit ; quo perrupto freno aureo, unaquæque vis in sua prorumpit, sæpe contra rationis ordinem.

2° Juxta S. Doctoris mentem in hoc articulo et toto hujus tractationis decursu [3], distinguendum est triplex Dei adjutorium, scil. *movens*, *sanans* et *elevans* : *movens* quidem, quod communissime [4] in omnibus reperitur secundum propriam cujusque rei indolem et exigentiam ; *sanans* vero, quod intelligitur per modum dispositionis vel auxilii naturæ

1—Cf. Conc. Arausic. II, can. 7.
2—Cf. Cajet. in h. art.
3—Cf. præsertim art. 9 hujus Quæst.
4—Vide art. præc.

restituentis connaturalem quamdam perfectionem peccato deperditam, unde simpliciter naturale est; *elevans* tandem, quod naturam evehit et confortat respectu boni supernaturalis, unde est essentialiter supernaturale.

3° Antequam doctrinam sub hoc articulo præcipue intentam aggrediamur, duo certa omnibusque explorata *præmittemus.—a) Primo in quocumque statu* naturæ, sive integræ, sive lapsæ, sive reparatæ, *indiget homo auxilio Dei moventis* ad bene agendum: siquidem nihil operari potest absque cooperatione primæ causæ efficientis ac finalis, a qua est omne ens et omne bonum (cf. 1ª concl. art. præc.). Veritas hæc *conf.* (resp. ad 1), ex eo quod in omni actuum et deliberationum nostrarum serie deveniendum est, nisi velimus in infinitum procedere, ad aliquod exterius principium, scil. ad Deum, ex quo nobis immediate sit prima ad verum bonumque excitatio.—*b) Secundo in statu naturæ integræ* poterat homo quantum ad sufficientiam operativæ virtutis, Deo proportionaliter movente, velle et operari *totum* bonum naturæ suæ adæquatum, quale est bonum virtutis acquisitæ: proportio enim erat non solum remota, sed et proxima inter vires integra activitate instructas et universam sphæram boni naturalis.

4° Si sermo sit de *statu naturæ lapsæ*, en obviam fiunt variæ hæreticorum ipsorumque catholicorum sententiæ.

a) Nota est *Pelagiana* hæresis tribuens viribus liberi arbitrii sufficientiam ad omne bonum omneque implendum mandatum. In extremum oppositum abiere *Novatores*, docentes tantam fuisse originalis vitii corruptionem ut natura, essentialiter infecta, modo nequeat quidpiam boni efficere; unde posuerunt omnia *infidelium* et *peccatorum* opera esse peccata [1]. Non alia fuit *Baii* et *Jansenii* opinatio; juxta quos mala cupiditas, post Adæ peccatum effrenate æstuans, necessario ad malum trahit in singulis actionibus, nisi opposita charitatis delectatione vincatur.

b) Nonnulli scriptores catholici, etsi concederent contra hæreticos hominem ipsum posse absque gratia *justificante*

1—Hanc tamen doctrinam vel emolliunt vel deserunt protestantes hodierni, v. g. Ch. Hodge, *Systematic theology*, P. II, ch. VIII, 15.

vel gratia *fidei* aliquod bonum morale facere, in eo tamen decepti sunt quod ad hoc necessarium reputaverint speciale auxilium *actualis* gratiæ.—Hæc fuit opinio *Greg. Arim.*, aliorumque quorumdam veterum; quibus accessit *Vasquez*, gratiam illam singulis actibus bonis necessariam reponens in cogitatione sancta et congrua.—*Ripalda* opinatus est in præsenti Providentiæ ordine cuncta, etiam gentilium, opera bona *de facto*, quamvis non *de jure*, elevari per gratiam ad ordinem supernaturalem.—*Augustiniani*, ut *Noris*, *Berti*, etc, tenent probabiliter defendi posse, naturam humanam adeo infirmam esse ut nullum opus bonum *ex fine ultimo* efficere valeat absque auxilio gratiæ, quamvis concedant posse opus bonum esse *ex fine proximo*. [1]

Conclusio 1ª.—NON OMNIA PECCATORUM VEL INFIDELIUM OPERA SUNT PECCATA; SED POTEST HOMO LAPSUS VIRIBUS NATURÆ, COMMUNI PROVIDENTIÆ INFLUXU ADJUTIS, ET ABSQUE ULLA GRATIA, PERFICERE QUÆDAM OPERA MORALITER BONA.

1ª *Pars* impetit *Lutheranos* et *Jansenianos*, quorum errores proscripti sunt in *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 7): "Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata... A. S"; necnon in variis propp. a SS. PP. damnatis, de quibus est illa Baii 25ª: *Omnia infidelium opera sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia* [2].

Prob. 1° ex verbis *S. Thomæ* (*de Malo*, Q. II, a. 5 ad 7): "Est simpliciter falsum quod omnis actus qui est ex voluntate non informata charitate sit demeritorius: alioquin illi qui sunt in peccato mortali in quolibet suo actu peccarent, nec eis esset consulendum quod interim quidquid boni possent facerent; nec opera ab eis facta, quæ sunt de genere bonorum, disponerent eos ad gratiam: quæ omnia sunt falsa." Nam *Scriptura* hortatur peccatores et infideles ad conversionem et bona opera, v. g. (Ezech. XVIII, 30): *Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*; et (Dan. IV, 24) propheta regem Nabuchodonosor monet: *Peccata tua eleemosynis redime.*

1—Ap. Mazzella (Disp. II, art. 9), qui omnes illas opiniones dilucide expendit.
2—Cf. Mazzella, *D. cit.* a. 8.

2° Hæreticorum positio innititur *falso supposito*; supponunt enim totum naturæ bonum fuisse per peccatum Adæ corruptum omnemque inclinationem nostram penitus depravatam. Id autem quam alienum sit a recto peccati originalis ejusque effectuum conceptu, abunde, ni fallor, in præc. Disp. ostensum est.

3° Igitur verissima censenda sunt quæ de infidelibus scribit *S. Thomas* (II-IIæ, Q. X, a. 4): "Non oportet quod in omni suo opere peccent; sed quandocumque aliquod opus operantur *ex infidelitate*, tunc peccant. Sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis".

2ª *Pars* concl. ex prima veluti *corollarium* fluit; siquidem, cum nullus actus deliberate positus possit esse indifferens *in individuo* [1], opera moralia ipsorum gentilium, quæ non sunt peccata, necesse est ut bona sint saltem naturali honestate.—Verum quia nonnulli theologi arbitrantur opera hujusmodi non fieri absque aliqua *actuali* gratia, ideo ostendendum est hominem lapsum ex solo generali Dei auxilio posse quandoque bene moraliter agere, idque de facto contingere.

1° Namque præfatæ theologorum opiniones nequeunt cum pluribus Ecclesiæ documentis conciliari, præsertim cum propp. damnatis, Baii 37ª, Quesnelli 40ª, Syn. Pist. 24ª; cujus Synodi doctrina repudiata est "qua parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli *ponuntur* affectus medii a *natura* ipsa insiti suapteque natura *laudabiles*." Ex quo apparet non solum posse dari, sed dari *de facto* actus moraliter bonos ex sola natura, seu sine ulla gratia.

2° Favet *Scriptura* tum V. tum N. T. Nam, inter alia, legimus (Exod. I, 21): *Quia timuerunt obstetrices Deum*, (parcendo masculis infantibus contra jussum Pharaonis), *ædificavit eis domos* (scil. Deus prosperitatem eis tribuit). (Matth. V, 47-48) dicitur: *Si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti.* Quæ verba, etsi non expresse a

1—I-IIæ, Q. XVIII, a. 9.

nantia. Atqui non omnia opera peccatorum sunt h[ujus]modi. Ergo. – Ad majorem: Plura peccatorum directive conformia sunt legi morum, v.g. eleemo[syna] ... [edu]care familiae. Nam peccator potest habere intentionem [faci]endi actum summa ad finem convenientem, quamvis non [for]maliter.

bonis gentilium operibus excludant omne auxilium gratiæ, tamen obvio sensu nobis in argumentum cedunt, nisi necessitas talis auxilii aliunde persuadeatur.

3° Ex *Patribus* pauca recitare sufficiat. Inquit *S. Basilius* (Hom. 9 in Hexam.) : " Sunt et apud nos virtutes *secundum naturam*, ad quas familiaritas ipsi animæ non ex doctrina hominum, sed *ex ipsa natura inest*." *S. Augustinus*, cæteris rigidior, ait et ipse, loquens de Gentilium operibus (l. de Sp. et Litt. c. 27) : " Quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus ; quamquam si discutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur." Ergo S. Doctor non negat *aliqua* saltem bona etiam ex recto fine fieri ab infidelibus. Ita quoque sentiunt *S. Hieronymus, S. Prosper, S. Fulgentius*, etc, prout videre est ap. Bellarminum (l. V, c. 9).

4° *Ratio a S. Thoma* inducitur, quia homo in statu naturæ lapsæ vulneratus, non tamen totaliter corruptus, comparari potest *infirmo*. Infirmus autem potest per seipsum aliquem motum habere. Ergo poterit homo lapsus virtute suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, v. g. ædificare domos, plantare vineas gratiâ providendæ familiæ, reddere mutuum, honorare parentes, etc.—*a)* Neque enim impossibile est ethnicis, semel ac sibi innotuerit haberi naturæ Auctorem supremumque Finem, ad hunc finem seu Deum *explicite* ordinare nonnullas suas actiones. Nec etiam explicita illa ultimi finis intentio omnino requiritur ad sanam cujusque actus moralitatem, sed sufficit intentio *implicita*, qualis datur quando fit opus ea lege qua ratio dictat esse faciendum [1].—*b)* Præterea, congrua illa cogitatio, quam *Vasquez* æstimat actualem Dei gratiam, gratia proprie non est, sed pertinet ad generalem Dei motionem qua unicuique cooperatur secundum modum, proportionem et exigentiam ejus [2].—*c)* Tandem quod ad sententiam a *Ripalda* propositam attinet, hic auctor confundit ordinationem mere *materialem, contingentem* et *extrinsecam* actuum naturalium ad finem supernaturalem

1—Cf. Cajet. in II-IIæ, Q. X, a. 4.
2—Cf. Joan. a S. Thoma, Disp. XIX, a. 3.

cum ordinatione *formali, per se* et *intrinseca* quæ sola actibus nostris modum supernaturalem imprimit subindeque exigit speciale auxilium gratiæ. [1]

Conclusio 2ª.—HOMO IN STATU NATURÆ LAPSÆ NEQUIT PERFICERE TOTUM BONUM NATURALE ABSQUE GRATIA SANANTE, NEQUE IN QUOCUMQUE STATU ULLUM POTEST BONUM SUPERNATURALE AGERE ABSQUE GRATIA ELEVANTE.—Hæc thesis ex toto dirigitur contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* ; qua autem parte respicit bonum naturale, adversarios quoque habet quosdam antiquiores theologos, inter quos numerant *Durandum, Gabrielem*, et *Scotum*.

1ª *Pars*, quamvis non sit simpliciter de fide (Suarez, l. I, c. 26), tamen negari nequit sine temeritatis et erroris nota.

Nam 1º clamantem Ap. audimus (Rom. VII, 23-25) : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (scil legi naturali) ... *Quis me liberabit de corpore mortis hujus ? gratia Dei per J. C.*

Revera 2º *a)* hæc est dolenda peccati originalis consequentia ut homo plerumque in se persentiat contrarietatem et *luctam* mentis et carnis ; quo perseverante certamine inter oppositos appetitus, impossibile videtur quin quandoque homo deficiat et bona sensibilia rationis bono altiori et remotiori anteponat. —*b)* Eo magis, quia secundum hanc naturæ corruptæ conditionem *infirmus* dicendus est (Conc. Araus. II, c. 13) respectu naturæ integræ. Infirmus autem nequit, nisi debito medicinæ auxilio sanetur, omnes motus hominis sani perficere. Ergo.—*c)* Tandem sequeretur ex opposita sententia quod homo, " non obstante corruptione sua, non solum posset sibi prospicere in his quæ sunt necessaria vitæ naturali, sed etiam comparare virtutes intellectuales et morales cujuscumque generis, indefinito progressu. Huic hypothesi *historia* totius humani generis vehementer contradicit ; et experientia probat unumquemque individuum hominem ac societates deteriores in diem fieri, si relinquantur suæ naturali virtuti " (Satolli in h. art.).

3º Itaque, in statu naturæ lapsæ, requiritur ad faciendum totum bonum morale *gratia sanans* : de qua gratia utile erit

1—Cf. Suarez, *De Gratia*, l. I, c. 15.

nonnulla *subnotare.*—*a)* Et primo si quæratur *quid* sit, respondeo eam videri constituendam in speciali auxilio *entitative* naturali quo perfectius illustretur intellectus, excitetur ac moveatur voluntas, custodiatur homo a peccandi occasionibus, etc. in ordine ad finem naturalem.—*b)* Unde, *secundo,* ex natura rei certo *distinguitur* a gratia elevante seu entitative supernaturali. Quamvis autem, ut plurimum, merito credatur suppleri per auxilia supernaturalia, tamen improbabile non est quædam bona naturalia fieri per sola auxilia gratiæ sanantis, qua talis.—*c)* Addam *tertio* auxilia ista recte dici *indebita* et gratuita, licet substantialiter æquivaleant auxiliis naturæ puræ debitis ad naturalem finem assequendum, tum quia, in præsenti Providentiæ statu, ordinantur saltem extrinsecus ad finem supernaturalem, tum quia plerumque intrinsecus identificantur cum auxiliis supernaturalibus, tum quia, præter indignitatem culpæ originalis, sæpius jam subjecto hæret indignitas culpæ actualis [1].

2ª *Pars* concl. *de fide* est juxta verba *Conc. Araus. II* c. 7 : " Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit aut eligere posse confirmat... hæretico fallitur spiritu : " id intellige de homine in utroque statu, naturæ *integræ* et naturæ *lapsæ.*

1º Assertum nostrum evincitur ex manifestissimis *Scripturæ* sententiis. Nam (Joan. XIV, 6) ait Christus : *Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me.* Atqui quodlibet opus supernaturale ducit ad Patrem. Ergo sine gratia elevante et sanante propria nequit homo quidquam supernaturalis virtutis operari.—Idipsum conf. ex metaphora vitis et palmitum (Ibid. XV, 5) : *Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ; quia sine me nihil potestis facere.*—Ap. quoque dicit (Rom. IX, 16) : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* ; scil. velle et agere nostrum, etsi liberum, in ordine ad salutem principaliter est a gratia Dei misericordis (cf. S. Thom. *Comt.).*

2º *SS. Patres* in asserenda gratiæ necessitate ad quodcumque salutis opus unanimes sunt. Docet *Aug.* (l. de Corr. et Gr. c. 2) quod sine gratia Dei per J. C. homines " nullum

1—Cf. Mazzella, Disp. II, art. 6.

prorsus sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum". Et *S. Greg. M.* (in Ezech. h. 10, n. 45): "Ad bona, inquit, assurgere perfecte non possumus, nisi S. Sp. et præveniendo *elevet*, et subsequendo confortet [1]."

3° Enimvero, ex *fine* ultimo ad quem res tendunt attendatur oportet circa ipsas diversus gubernationis modus : siquidem ea quæ sunt ad finem, necesse est fini esse proportionata. Atqui homo ordinatur in finem qui ejus facultatem naturalem excedit adeoque dicitur supernaturalis. Ergo, in omni opere quo in talem finem contendit, necesse est ut ei divinitus adhibeatur auxilium supernaturale gratiæ (ex C. G. III, 147).

Cæterum, quod circa bonum generatim et *indetermine* mox disputavimus, in singulis articulis sequentibus specialiter determinabitur.

Solv. obj. — OBJ. 1 (cont. 1am concl.). — Nam legimus (Luc. VI, 43): *Non est arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala, faciens fructum bonum* ; cf. Matth. VII, 18 ; XII, 33.—(Rom XIV, 23): *Omne quod non est ex fide peccatum est.*—(1 Joan. II, 16): *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Ergo.

RESP. ad 1m arborem malam, qua significatur malus homo, ideo dici non facere fructum bonum, *a)* vel quia, *ut mala* et ex cupiditate agens, nihil boni efficit voluntas, *b)* vel quia, *ut in pluribus*, fructus ejus operum mali sunt, *c)* vel quia nullum opus in peccato factum meritorium est *vitæ æternæ.*—Ad 2m dico nomine fidei intelligendam esse, non virtutem qua in Christum credimus, sed conscientiam ; qua reclamante quidquid fit peccatum est.—Ad 3m resp. sensum Joannis esse *a)* vel in mundo non reperiri nisi *objecta* luxuriæ, avaritiæ et superbiæ, quæ tamen nemo concupiscere tenetur, *b)* vel in amatoribus mundi, *qua tales*, omnia peccata ad hos tres fontes revocari.

OBJ. 2.—S. August. ait (l. I Retract. c. 15): "Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas."—Item (Ep. 1[illegible]): "Si ita est, nullus locus adjutorio gratiæ reservatur, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium

1—Vid. plura ap. Knoll, P. IV, S. I, c. 2, a 1.

valere."—Amplius (l. de Gr. et Lib. Arb. c. 18) docet "sine charitate nihil bene fieri." Ergo.

RESP. ad 1^{m} sermonem ibi esse, non de actu voluntatis, sed de *potentia* quæ plena quodammodo est amore proprio et in malum inclinata.—Ad 2^{m} resp. eam esse S. Augustini mentem, hominem ex solo voluntatis arbitrio non posse *vivere sine omni peccato.*—Ad 3^{m} dico nihil fieri *salubriter* seu utiliter ad salutem sine charitate. [1]

OBJ. 3 (cont. 2^{am} concl.).—Illud est in hominis potestate cujus ipse est dominus. Atqui homo est dominus omnium suorum actuum. Ergo potest facere omne bonum sine gratia.

RESP. *D. M:*...cujus est dominus dominio independentiæ a superiori motore, *C;* dominio libertatis tantum, *N.—C.d.m.* —*Neg. conseq.*

Homo dominus est *dominio libertatis* omnium suorum actuum moralium propter deliberationem rationis quæ potest flecti ad unam vel ad aliam partem. Verumtamen dominium istud exerceri non potest nisi *dependenter a Deo* vel communiter *movente,* vel *sanante* naturam ad totum morale bonum agendum, vel eam *elevante* usque ad bonum supernaturale.

OBJ. 4.—Unumquodque potest magis in id quod fit secundum naturam quam in id quod fit præter naturam. Atqui homo per seipsum potest patrare peccatum, naturæ rationali adversum. Ergo a fortiori, etc.

RESP. *D. M:*... quam in id quod fit præter naturam efficienter, *C;* deficienter, *N.—C.d.m:*... et id fit per modum deficientiæ, *C;* efficientiæ, *N.—Neg. conseq.*

Homo potens facere bonum aliquod connaturale non ideo valet per seipsum *efficere* bonum præternaturale vel supernaturale, a bono tamen naturæ per seipsum *deficere* potest peccando, quia, sicuti nihil sibi relictum potest suum esse retinere quod a Deo accepit, ita omnis causa secunda sponte in defectum actus cedit nisi a primo motore moveatur.

OBJ. 5.—Homo potest per seipsum verum cognoscere. Atqui voluntas sequitur intellectum. Ergo, etc.

RESP. *D. M:*... verum supernaturale, *N;* naturale, *S.d:*

1—Plura alia objicit et solvit cl. Bellarminus, l. V, c. 10-12.—Cf. quoque S. Thom *de Veritate,* Q. XXIV, a. 12.

tamen cum aliquo auxilio divino, *C* ; absque tali auxilio, *N.* —*D.m* : quatenus nihil est volitum nisi præcognitum, *C* ; quasi ex peccato major non sit corruptio naturæ quantum ad appetitum boni quam quantum ad cognitionem veri, *N.*—*Neg. conseq.*

Recolatur illud poetæ :

" Video meliora proboque ; deteriora sequor."

ARTICULUS III.

Utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia.

Semel statuto quid possit voluntas lapsa respectu boni in genere, videndum est quænam sit ejus habitudo ad summum bonum quod est Deus, humanorum actuum *finis*.

1° Distinguitur duplex Dei amor, *naturalis* et *supernaturalis*, prout diligatur Auctor naturæ vel Auctor gratiæ; quod certo constat tum ex ratione, tum ex damnata prop. 34ª Baii.—Præterea amor Dei dupliciter se habet : vel per modum *actus primi* et innatæ inclinationis, vel per modum *actus secundi* et eliciti.—Hic autem actus secundus ad Deum ferri potest sive *implicite*, sive *explicite* ; sive quoque indeliberate et *necessario*, prout illum sub communi ratione Boni attingat, sive elective et *libere*.—Amor Dei liber rursus dispertitur in *absolutum* et *conditionatum*, qui est mera velleitas.—Absolutus vero potest esse de Deo per meram complacentiam ut est in se summe bonus, et sic dicitur *inefficax* ; vel potest respicere Deum secundum quod est finis sibi media subjiciens, et sic vocatur *efficax*, sive *adæquate*, sive *inadæquate*, prout omnia simpliciter, vel non omnia, in Deum referantur.—Tandem amor Dei potest esse efficax vel virtualiter et *affective* per voluntatis propositum omnia subordinandi Deo, vel formaliter et *effective* per executionem illius propositi in singulis.

2° *Præsupponimus a)* ex dictis in art. præc. contra Pela-

gianos hominem solis naturæ viribus non posse diligere Deum *supernaturaliter*, ut definivit *Conc. Arausic.* c. 25.—*b)* Quod vero ad amorem Dei *naturalem* pertinet, poterat quidem homo in statu *naturæ integræ* elective diligere Deum super omnia per seipsum cum solo auxilio generali Dei moventis : siquidem in ejus potestate erat operari virtute propria totum bonum suæ naturæ proportionatum ; connaturale autem est creaturæ rationali, utpote nobiliori creationis parti, seipsam cunctaque alia in Deum, communem finem, ordinare.—*c)* Sed in statu *naturæ lapsæ*, quamvis concedatur hominem ex seipso posse diligere Deum aut implicite tantum, aut explicite per modum velleitatis, aut etiam absolute per solam complacentiam inefficacem, dubitatur num possit absque speciali auxilio diligere Deum super omnia amore electivo *efficaci*.

3° Dubium istud intelligendum est non de potentia *physica* quam certe habet homo lapsus ad quemlibet actum naturalem, sed de potentia *morali* et proxima, suppositis impedimentis quæ dilectioni Dei super omnia corruptiva ordinis in Deum obsistant.—Re hisce terminis definita, theologi in duas scinduntur sententias : quarum una (quæ in Cong. *de Auxiliis* acre controversa est), duce *Molina* [1], concedit possibilitatem in homine lapso amoris Dei efficacis *affective*, etsi non effective : alia vero cum *Suarezio* et plerisque *Thomistis* eamdem possibilitatem negat, quamvis isti ab invicem dissentiant in explicando auxilio gratiæ ad amorem illum necessario.

Conclusio.—HOMO LAPSUS NON POTEST EX SEIPSO DEUM, UT NATURÆ AUCTOREM, EFFICACITER DILIGERE SUPER OMNIA, NEQUE AFFECTIVE, NEQUE EFFECTIVE ; BENE TAMEN POTEST CUM AUXILIO GRATIÆ SANANTIS, QUIN NECESSARIUM SIT AUXILIUM ELEVANS.

1ª *Pars* 1° doctrinam *S. Thomæ* indubie profert, contra ac Mazzella post Molinam insinuat : amor enim Dei efficax *effective* nihil aliud est quam perseverantia illius amoris usque ad observationem legis. Cum ergo S. Doctor neget in seq. art. hominem lapsum posse ex seipso diligere Deum secundum constantem legis naturalis observationem, sequitur,

1—Concord. Q. XIV, a. 13, D. 14, m. 3.

ne redundantiam inutilem admittamus, negari in art. 3 efficaciam amoris *affectivam.*

2° Non desunt *rationis* momenta validissima.—*a)* Et vere, eatenus homo integer poterat per sua naturalia diligere Deum super omnia, quatenus libenti propensione pronus erat ad subjiciendum in omnibus bonum particulare quodcumque bono communi quod est Deus. Atqui ex corruptione naturæ lapsæ homo e contrario non levem experitur inclinationem ad bonum *privatum*, quod in plerisque sequi paratus est. Ergo.—*b)* Huc accedit, actum diligendi Deum super omnia *virtualiter* saltem præcontinere observantiam totius legis plenumque de gravioribus tentationibus triumphum, juxta illud (Joan. XIV, 15): *Si diligitis me, mandata mea servate.* Atqui, quamvis majus quidpiam sit de facto legem implere quam id sibi mente proponere, tamen ille dilectionis actus, omnium præstantissimus summæque efficaciæ, repugnare videtur *statui potentiæ debilitatæ*, tam multis impedimentis obnoxiæ, subindeque impotentis ad omnia præcepta collective servanda. Ergo.

3° Addere possumus *S. August.* verba (Ep. 107 ad Vitalem) : " Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus."—Quæ vero nonnulli auctores e Scriptura, Patribus et Conciliis in eamdem thesim conferunt, non satis ad rem esse videntur, cum magis respiciant amorem Dei supernaturalem.

2ª *Pars concl.* sibi vult gratiam *sanantem*, ut re vel ratione distinctam a gratia elevante, sufficere ad amorem Dei naturalem.

1° Revera, *a)* ad hoc ut homo lapsus Deum super omnia naturaliter diligat, requiritur et sufficit auxilium quo reparentur naturæ vires intra sphæram propriam. Atqui hujusmodi est gratia sanans, quæ præcise sumpta deficit ob ordine gratiæ elevantis et caritatis: quippe caritas Deum attingit sub ratione objecti beatificantis, inducens inter Ipsum et hominem amicabilem quamdam societatem cum promptiori et delectabiliori dilectionis sensu ; natura autem, quantumvis perfecta, diligit Deum super omnia, prout est principium et finis naturalis boni (resp. ad 1). Ergo.—*b)* Hinc *S. Thomas* (*de Ver.* Q. XXIV, a. 12 ad 16) concedit præceptum diligendi Deum posse, quoad substantiam præcepti et sine modo

meritorio gloriæ, impleri absque gratia gratum faciente seu absque caritate : quod non excludit auxilium gratiæ sanantis.

2⁰ Quamvis gratia sanans, et auxilians naturam ad diligendum Deum naturaliter, formali ratione distinguatur a gratia elevante, non plane constat apud theologos *an de facto una seorsim ab altera impertiatur.*—*a)* Equidem certum est amorem Dei transcendentalem, scil. ut est naturæ et gratiæ auctor, necnon amorem Auctoris naturæ prout hic fide innotescit, haberi non posse absque aliqua gratia elevante.—*b)* Amor autem Dei simpliciter naturalis, licet *ex natura rei* etiam in statu præsenti separabilis sit ab amore caritatis, tamen *ex lege Dei* ordinantis rectius æstimatur de facto conjungi cum gratia gratum faciente. Id sane consonat menti *S. Thomæ* qui (I–IIæ, Q. LXXXIX, a. 6) docet puerum, statim ac ætatem discretionis attigerit et seipsum in debitum finem ordinaverit faciens quod in se est, per gratiam consequi remissionem peccati originalis. [1]

Solv. obj. (contra amorem Dei vi naturæ integræ aut sanatæ).—Obj. 1.—Diligere Deum super omnia est caritatis actus, ut patet ex Conc. Arausic. II, c. 25. Atqui caritas est donum Sp. Sancti (Rom. V, 5). Ergo.

Resp. *D. M:* Diligere Deum *sicut oportet*, i. e. supernaturaliter et meritorie... *C;* diligere Deum naturaliter tantum, *N.*—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Nulla natura potest supra se ipsam. Atqui diligere Deum super omnia est tendere in aliquid supra seipsum. Ergo.

Resp. *D. M:* Nulla natura potest ferri ex se in actum excedentem proportionem suæ virtutis, *C;* nulla natura potest ferri in objectum quod sit supra se, modo suæ virtuti proportionato ideoque imperfecto respectu talis objecti, *N.*—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Amor Dei nonnisi summus esse potest. Atqui natura nequit impendere Deo summum amorem ; secus inutilis esset gratia. Ergo.

Resp. *D. M:...* quantum ad gradum dilectionis seu *appretiative*, *C;* quantum ad motivum diligendi et dilectionis modum seu *specificative* et *intensive*, *N.*—*C.d.m:...* secun-

1—Cf. de tota hac controversia Exim. Suarez, l. I, c. 29–37.

dum altiorem diligendi rationem et modum quæ conveniunt caritati, in quantum attingitur Deus ut beatificans et maxima fervoris intensitate, *C*; natura nequit impendere Deo summum amorem appretiative, scil. eum omnibus præferendo, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum homo sine gratia per sua naturalia legis præcepta implere possit.

1° Nemo, post superius exposita, inutilem censeat præsentem articulum: ex una enim parte, minus patent præcepta legis quam tota boni amplitudo; ex altera parte, impositio præcepti libertatem ligans specialem difficultatem voluntati ingerere videtur, præsertim cum tentatio insurgit; demum opportunitas heic offertur melius determinandi habitudinem virium liberi arbitrii ad bonum.

2° *Prænotandum* est *a)* circa *præcepta legis*, alia esse quæ nonnisi *supernaturali* actu impleri valeant, v. g. præcepta fidei, spei et caritatis; alia vero esse talia quæ *naturaliter* possint impleri.—Porro mandata hujusmodi observare contingit dupliciter: primo quantum ad *substantiam operis*, prout scil. homo operatur quod objective et moraliter honestum est; secundo etiam quantum ad *agendi modum*, quatenus opus fiat ex caritate ideoque meritorie [1]. Hanc distinctionem quia rejecerat Baïus (prop. 51), a S. Pio V et Greg. XIII damnatus est.

b) Tentationes, mandatorum observationi contrariæ, duplicis generis sunt: *leves* et *graves*.—Cum autem ex *triplici fonte* oriri queant, scil. ex carne, mundo et diabolo (Conc. Trid. Sess. VI, c. 13), juxta Cajet. (art. 2), in quantum sunt a dæmone, exeunt limites naturalium impedimentorum: nam invidiâ diaboli respectu celsitudinis supernaturalis mors introivit in orbem terrarum; quanquam quærendi locus maneat, num in statu naturæ puræ impedimentum aliquod

1—Cf. I-IIæ, Q. C, a. 9-10.



ejusmodi fuisset [1].—*D. Thomas* (2 S. D. XXVIII, Q. I, a. 2 ad 6) docet " aliud esse peccato resistere, aliud victoriam de peccato habere...ille enim proprie vincit peccatum qui potest pertingere ad hoc contra quod est pugna peccati ; " unde victoria de tentationibus ea simpliciter dicitur quæ *salutaris* est seu ex motivo fidei ducta.

3° *Pelagiani*, negantes naturæ corruptionem, dixerunt hominem sibi sufficere ad implenda omnia mandata divina : quorum error in eo *principaliter* fuit ut sufficientiam illam extenderent ad præcepta supernaturalia vel supernaturaliter implenda ; *secundario* autem in eo quoque decepti sunt quod æstimaverint omnia præcepta naturalia servari omnesque tentationes propulsari posse absque ullo gratiæ auxilio.—Nonnulli catholici, quos inter *Scotus*, *Durandus*, *Gabriel*, in hanc postremam Pelagiani erroris partem concesserunt, licet ab eis dissentirent negando hominem posse ex seipso *salubriter* servare præcepta naturalia. Alii ex opposito, ut *Greg. Arim.*, *Capreolus*, *Marsilius*, quibus accedere videntur recentiores *Augustiniani* [2], censent nullum legis præceptum observari posse ab homine lapso nullamque vinci tentationem sine auxilio gratiæ.—Media habebitur veritas.

4° Dubium certe non est quin homo in statu *naturæ integræ* potuerit ex se totam legem moralem quoad *substantiam operis* implere, tum quia lex hujusmodi non excedit proportionem naturæ, tum quia alioquin nequivisset homo a peccato abstinere, quod perfectioni illius status repugnat.—Verum jam ad doctrinam præcipue intentam properemus.

Conclusio 1ª. — HOMO LAPSUS SINE GRATIA SANANTE NON POTEST IMPLERE TOTAM LEGEM NATURALEM, ETIAM QUOAD SUBSTANTIAM OPERIS, NEQUE GRAVIORES CONTRA ILLAM TENTATIONES SUPERARE.

Sensus concl. est hominem lapsum, sine *sanatione* gratiæ, non posse *diu omnia* legis naturalis mandata implere omnesque saltem graves tentationes vincere, quamvis *quædam* mandata *confusim* sumpta, imo et *singula* servare valeat.—Conclusio, etsi non formaliter de fide, *theologice certa* est, tum propter *communem* Doctorum sensum, tum ob damna-

1—Cf. Suarez, l. I, c. 23, n. 25.
2—Vid. supra, art. 2.

tionem hæresis pelagianæ. Nam *Conc. Carthag. II* an. 415 (Ep. Syn. ad Innoc. I) testatur idcirco a se damnatos fuisse Pelagianos quod assererent hominem per propriam voluntatem implere posse Dei legem, " sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam." *Cœlestinus I* autem (Ep. ad Gall. c. 16), loquens de tentationibus *in genere*, ait: " Nemo, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit [1]."

Prob. concl. 1° ex *Scriptura*.—Nam Ap. sic conqueritur de infirmitate hominis in lege vel naturali vel mosaïca (Rom. VII, 14-16): *Scimus quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Si autem, quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est* [2], etc.—Legitur (Sap. VIII, 21): *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum*. Quare Psalmista (Ps. XVII, 32) victoriam in tentatione simpliciter Deo tribuit: *In te eripiar a tentatione;* unde illud (Matth. XXVI, 41): *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

2° *S. Augustinus* (l. de Sp. et Litt.), pertractans sententiam Apostoli (2 Cor. III, 6) *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, id intelligit non solum de lege scripta, sed etiam de naturali quæ, sine gratiæ auxilio, auget potius quam arceat peccatum; unde ait (c. 14): " Apparet igitur litteræ vetustatem, si desit novitas spiritus, reos facere potius cognitione peccati quam liberare a peccato...non quia lex malum est, sed quia mandatum bonum habet in littera demonstrante, non in adjuvante spiritu."

3° *Ratione* sic arguimus.—Constat ex dictis in art. 2 hujus quæst. hominem solis suis viribus non posse totum naturale bonum facere, quia natura peccato saucia et infirmata est. Atqui, quamvis non omne bonum possibile sub præcepto cadat, tamen de plerisque bonis sunt mandata divina vel

1—Cf. Bellarm., l. V, c. 5-7.
2—Cf. S. Thom. *Comt.* in h. l;—Cornely, *Curs. Script. Sac.*, *Ep. ad Rom.*

naturalia vel positiva; quæ ex ipsa indole legis, nativam libertatis cupiditatem cohibentis, necnon ex variis tentationum incitamentis peculiarem boni faciendi difficultatem ducunt. Ergo non *omnia* mandata naturalia ab homine lapso, sine gratia sanante, observari possunt.—Aliqua tamen, imo et *singula* legis præcepta (excepto summo præcepto amoris Dei super omnia), nil prohibet quominus dicantur naturæ lapsæ proportionata; *a)* siquidem moralis illa impossibilitas implendi totam legem, quam modo adstruximus, pendet ex causis generalibus internis vel externis, ideoque nonnisi in communi accipienda est. *b)* Eo vel magis, quia homo in singulis liberum retinet arbitrii usum. *c)* Jure ergo damnata est prop. 30ª Baii: *Ii fures sunt et latrones qui docent... tentationi ulli sine gratiæ illius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat aut ab ea non superetur.*

Conclusio 2ª.—HOMO, IN QUOCUMQUE STATU, SINE GRATIA ELEVANTE NON SOLUM ILLUSTRATIONIS SED ET ADJUTORII, NON POTEST IMPLERE ULLA MANDATA SUPERNATURALIA, VEL NATURALIA QUOAD MERITI MODUM, NEQUE ULLAM TENTATIONEM SALUBRITER SUPERARE.—Veritas hæc, e diametro opposita *Pelagianismo*, *fide* constat ex pluribus Ecclesiæ documentis, præsertim ex *Conc. Milev. II*, ex *Conc. Arausic. II* (c. 5-7), ex epistolis RR. PP. *Innocentii I* et *S. Zosimi*, tandem ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 1-3); quibus in documentis distincte asseritur necessitas *illustrationis*, *inspirationis* et *adjutorii* gratiæ.

1º Liquidum est *Scripturæ* suffragium. Nam, præter alia plura, legimus (Rom. XI, 24): *Si tu ex naturali excisus es oleastro et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suæ olivæ?* Ubi Apostolus pulcherrima metaphoræ specie docet cum Gentiles, tum Judæos a fide excisos, laturos esse nobiliores salutis fructus, quatenus olivæ, scil. gratiæ Dei, succum per intimam insertionem in singulis suis potentiis, veluti ramis, suscipient.—Accedit illud (1 Cor. XII, 3): *Nemo, in Sp. Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere: Dominus Jesus; nisi in Sp. Sancto.* Porro, quid boni facilius est quam pronuntiare nomen Jesu? Si ergo, absque gratia Sp. Sancti, nequit homo id facere, *a fortiori*

nullum poterit præceptum salubriter implere nisi adjutorium sanctum acceperit.

2° Vix memorare opus est *S. Augustinum* in eam veritatem inculcandam et vindicandam totas ingenii vires intendisse. Ait (l. de Hæres., hær. 88) " hoc pertinere ad hæresim Pelagianorum, ut credant sine gratia hominem posse facere omnia mandata divina ; " quæ gratia omnibus necessaria prædicatur " non solum ut *monstrante* ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut *præstante* ipsa faciant cum dilectione quod sciunt " (Aug. de Corr. et Gr. c. 2).—Hæreticis autem ac Rationalistis calumniantibus Augustinum fuisse illius doctrinæ *inventorem*, respondet ipse Hipponensis Doctor (cont. duas ep. Pelag. l. IV, c. 8) a se " rectam et antiquitus fundatam catholicam fidem adversus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemque defendi."

3° Alias (art. 2) jam confirmavimus hominem in quocumque statu non posse per seipsum, absque gratia elevante, quidpiam boni supernaturalis facere, ob proportionis defectum. Atqui disproportio illa attenditur penes *quamlibet hominis potentiam* respectu finis supernaturalis. Ergo tum illustratione, tum inspiratione et adjutorio gratiæ, homo indiget ad implendum quodcumque mandatum supernaturale, vel mandata naturalia secundum hunc meritorium agendi modum qui, licet non directe cadat sub præcepto, tamen intenditur a legislatore [1].

Solv. obj. (cont. 1^{am} concl.).—Obj. 1.—Dicit Ap. (Rom. II, 14) : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Ergo.

Resp. *D. antec :... quædam* mandata legis naturalis ex se adimplent, *C;* omnia, *S.d:* sine gratia elevante, *Trans ;* sine gratia sanante, *N.—Neg. conseq.*

Hanc postremam solutionem significavit *Augustinus* (l. de Sp. et Litt. c. 27) : " Nec moveat quod *naturaliter* eos dixit *quæ legis sunt facere*... hoc enim agit spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, *instauret* in nobis," scil. per gratiam sanantem quæ est secundum naturam.

Obj. 2.—Deus impossibilia non præcipit. Atqui præcipit

1—Cf. 2 S. D. XXVIII, Q. I, a. 3.

Deus etiam homini lapso implere totam legem moralem. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :*...implere omnia legis præcepta per seipsum, *N ;* implere singula, et, quando opus sit, petendo auxilium, *C.—Neg. conseq.*

Duo notentur.—1° Lex implenda imponitur eo modo quo reapse impletur, scil. secundum *singula* præcepta, non quasi ipsa præceptorum *collectio* directe sub imperio cadat. Porro singulorum præceptorum impletio non videtur etiam homini lapso impossibilis.—Cæterum 2° juxta dictum Philosophi (III Ethic. c. 3) " quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos possumus;" unde, cum homini præsto sit, præsertim in difficilioribus et si illud petierit, *auxilium gratiæ,* sub hoc respectu possibilis ei est omnium mandatorum observatio, quin excludatur necessitas divini adjutorii. " Firmiter creditur Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere : hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus " (S. Aug. l. de Nat. et Gr. c. 69).

Obj. 3.—Qui potest singula præcepta legis implere potest et totam legem, ex singulis conflatam. Atqui conceditur hominem lapsum posse per seipsum singula præcepta moralia implere. Ergo.

Resp. *D. M :* Qui potest singula præcepta implere secundum potentiam *expeditam* necnon disjunctive et *collective* simul...*C ;* qui potest singula præcepta implere cum quadam *difficultate* et *disjunctive* tantum...*N.—C.d.m.—Neg. conseq* [1].

ARTICULUS V.

Utrum homo possit consequi vitam æternam sine gratia.

1° Cum jam acceperimus ex art. 3 quomodo se habeat voluntas hominis ad finem suum, summa dilectione dignum, *necessitas gratiæ,* proxime inspecta quoad observationem divinæ legis, nunc universalius discutienda occurrit sub

1—Cf. Bellarm., l. V, c. 6 et 8.

ratione medii proportionati ad ultimum finem.—Quæritur itaque num homo, sine *gratia*, i. e. sine auxilio divino elevante et confortante vim suam activam, possit *consequi* vitam æternam; ita ut non tam potentia quam *potestas* hominis in dubium vocetur.

2° *Pelagiani* in hoc aliquando errasse referuntur quod admiserint in præsenti œconomia *beatitudinem* quamdam ultimam, mediam inter regnum cœlorum et statum damnationis, atque bonis naturalibus sine gratia comparandam [1].

Conclusio.—NEQUIT HOMO SINE GRATIA ASSEQUI VITAM ÆTERNAM; QUAMVIS CONSEQUI VALEAT BONA QUÆDAM CONNATURALIA.—Prop. hæc bimembris, quoad primam et præcipuam partem, est *de fide* juxta verba *Trid.* (Sess. VI, c. 2): " Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per C. J. dari, ut *facilius* homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit... A. S."

1ª *Pars prob.*—1° Ex *Scriptura* (Rom. VI, 23): *Gratia Dei, vita æterna*; ubi *S. Augustinus* (de Gr. et Lib. Arb. c. 9): " Cum posset dicere et recte dicere, Stipendium autem justitiæ vita æterna; maluit dicere, *Gratia autem Dei, vita æterna*: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere."—Præterea legitur (Joan. III, 14-15): *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*; quibus ex verbis duo accipiuntur contra Pelagianos, nempe: *a)* non dari medium inter perditionem et vitam æternam; *b*) hanc autem comparari per fidem in Christum qui nobis necessariam gratiam passione sua promeruit.

2° *Ratione*.—Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi, prout manifesta rerum naturalium inductio ostendit. Ergo et ipsa *virtus activa* eamdem proportionem ad finem præhabere debet. Atqui vita æterna, ultimus finis noster in beatifica Dei visione consistens, longe superat naturam humanam viresque ejus activas naturales [2]. Ergo non potest homo per sua naturalia consequi vitam æternam, sed ad hoc exigitur altior virtus elevans et perficiens, non

1—Cf. Bellarm., *De Amiss. gr. et St. pecc.* l. VI, c. 1-3.
2—I-IIæ, Q. V, a. 5.

solum in ratione actus, sed et *in ratione principii*, potentias naturales, scil. exigitur virtus gratiæ [1].

2ª Pars (cont. Quesnelli propp. 55-56) uno verbo expeditur : homo enim, nativa sua virtute, potest in utroque ordine, physico et morali, opera sive speculativa sive practica perficere, quæ ab Auctore naturæ humanæque societatis provisore bona connaturalia, juxta proportionis legem, exspostulent.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Ex verbis (Matth. XIX,17) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* videtur quod ingressus in vitam æternam pendeat ab hominis voluntate. Atqui quod a nostra voluntate pendet, per nos ipsos possumus. Ergo.

RESP. *D. M:...* quatenus voluntas libere exercet actum perductivum ad vitam æternam, *C;* quasi ad talem actum non egeat præparari et moveri a Deo per gratiam, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Vita æterna est merces homini retribuenda secundum opera ejus. Atqui homo dominus est suorum operum. Ergo.

RESP. *D. M :...*secundum opera naturaliter facta, *N ;* secundum opera per divinum auxilium in ordinem divinæ mercedis sublimata, *C.—Trans. min.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Vita æterna est ultimus finis humanæ vitæ. Atqui res, homine inferiores, possunt per sua naturalia consequi finem suum. Ergo a fortiori, etc.

RESP. *D. M :...*finis connaturalis, *N;* finis supernaturalis et gratuitus, *C.—D.m...*et earum inferioritas prohibet ne ad altiorem finem evehantur, *C;* possent ad finem æternæ vitæ elevari, *N.—Neg. conseq.*

1° Nobilioris conditionis est natura quæ potest consequi perfectum bonum, licet ad hoc indigeat exteriori auxilio, quam natura quæ non potest, sed quoddam bonum imperfectum propria virtute consequitur ; v.g. melius est dispositus ad sanitatem qui, juvante medicina, perfectam sanitatem obtinere valet quam qui, sine tali auxilio, perfecta sanitate carere cogitur.—Quocirca 2° creatura rationalis, quæ potest, mediante divino auxilio, bonum supernaturale vitæ æternæ assequi, certe præstat creatura irrationali quæ hujusmodi boni non est capax, sed ad finem mere naturalem et imperfectiorem propria vi pertingit. [2]

1—Cf. C. G. III, 147.
2—I-IIæ, *loc. cit.*

ARTICULUS VI.

Utrum homo possit seipsum ad gratiam præparare per seipsum absque exteriori auxilio gratiæ.

1° *Præsupponimus*, ex dictis in art. præc., non posse humanam voluntatem præparari ad meritorie operandum Deoque in gloria fruendum sine habituali gratiæ dono, quo in ratione principii activi tam excelso fini proportionata constituatur.— Verum quæstio est de præparatione ad consequendam ipsam gratiam habitualem.

2° Etenim *a)* aliud est *gratia habitualis*, perficiens animam ejusque potentias secundum rationem permanentis doni supernaturalis, aliud est gratia *actualis* transitorie tantum hominem adjuvans.—*b)* Præterea præparatio seu *dispositio* ad gratiam habitualem multipliciter haberi potest, scil. vel *negative* vel *positive*, prout removeatur obex peccati vel ponatur conditio utcumque ducens ad consecutionem gratiæ. Quæ conditio si naturâ suâ ad effectum conferat, dispositio erit *per se*, *simpliciter* et *formalis*; si vero conditio non per se, sed per adjunctum auxilium consequendo effectui deserviat, dispositio erit *per accidens* tantum, *secundum quid* et *materialis*.— *c)* Porro, cum constet posse hominem solis naturæ viribus aliquod peccatum vitare et aliqua legis naturalis præcepta observare, patet eo ipso dispositionem mere *negativam* et *materialem* naturæ humanæ esse quadantenus possibilem absque auxilio gratuito; at vero præsens dubium intelligendum est de præparatione *positiva* et *formali*.

3° In ipso tractatus exordio præfati sumus *Semipelagianos* sensisse *initia fidei* et *salutis* a solo esse libero arbitrio, quamvis consummationem salutaris operis a gratia Dei repeterent: contra quos stabit seq. veritatis propositio et demonstratio.

Conclusio.—UT HOMO SE AD GRATIAM HABITUALEM PRÆPARET, INDIGET NON QUIDEM ALTERO GRATIÆ HABITU, SED AUXILIO GRATIÆ ACTUALIS.—Dico : *non altero gratiæ habitu* quia secus procederetur in infinitum.

Thesis est *de fide*, prouti constat ex decretis *Conc. Arausic.*

II, necnon ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 3): " Si quis dixerit, sine præveniente Sp. S. inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse *sicut oportet*, ut ei justificationis gratia conferatur; A. S."

1° Non pauca sunt *Scripturæ* effata ad hanc veritatem spectantia. Sic legimus (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Si enim homo seipsum ad gratiam præparare posset, certe non indigeret *trahi* ab alio.—Huc pertinent textus in Conc. Arausic. adducti, v. g. (can. 3): " Si quis *invocatione* humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaïæ prophetæ (LXV) vel Apostolo idem dicenti (Rom. X) *Inventus sum a non quærentibus me* etc." Et (can. 6): " Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus...resistit Ap. dicenti (1 Cor. IV) *Quid habes quod non accepisti?* " Cf. can. 4, 7, 8.

2° Innumeros *traditionis* testes habemus, quorum agmen ducit *S. Augustinus*, præcipuus Semipelagianismi debellator. Sic (l. de Præd. Sanct. c. 2), loquens de iis quæ ad religionem et pietatem pertinent, ait: " Sicut nemo sibi sufficit ad *incipiendum* vel perficiendum quodcumque opus bonum... ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est." *S. Joan. Chrys.*, cujus mens dubia nonnullis visa est, docet (Hom. 13 in Joan.) " gratiam Dei *semper* in beneficiis *priores* sibi partes vindicare." Et *S. Hieronymus* (Ep. 130): " Ipsumque quod nostrum est sine Dei miseratione nostrum non est." Item *S. Bernardus* (l. de Gr. et Lib. arb.): " Conatus nostri et cassi sunt, si non adjuventur, et nulli, si non excitentur."—Dubiis ex quibusdam Patribus desumptis respondere licet: *a)* unam alteramve dissentientem vocem in communi concentu non esse audiendam; *b)* quosdam antiquiores Patres ante exortam pelagianam hæresim minus caute esse locutos; *c)* quosdam etiam, e quibus S. Cyprianus, S. Irenæus, S. Joan. Chrys., id sibi aliquando proposuisse ut potestatem liberi arbitrii contra Fatalistas vindicarent; *d*) tandem alios, ut Theoderetum, Photium, Theophylactum, dum de gratia loquerentur, plenam et perfectam intellexisse, non in-

choatam ac rudem quæ prima nominatur, cujus plerumque mentionem non habuerunt (ita Petavius, l. 9 de Deo, c. 4)[1].

3° *Ratione* jam cum *D. Thoma* procedamus.—Idem est præparare se ad gratiam et ad Deum, gratiæ auctorem, converti, sicut homo aversus a lumine solis per hoc se præparat ad recipiendum istud lumen quod oculos versus solem convertit. Atqui nemo potest ad Deum converti nisi Deo ipso convertente per actualem gratiam, qua interius animam moveat bonumque propositum inspiret[2]. Ergo. *Prob. min.* Omne agens agit propter finem secundum statam agentium finiumque correspondentiam, ideoque cunctos effectus ad suum finem convertit. Ergo necesse est ut ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicujus inferiorum moventium; v. g. animus militis convertitur ad quærendum victoriam ex imperio ducis exercitus, ad sequendum autem vexillum alicujus aciei ex jussu tribuni. Atqui Deus est ultimus omnium finis: tum *communiter* et *naturaliter* secundum communem illam boni intentionem qua unumquodque modo suo appetit Deo assimilari; tum *specialiter* et *supernaturaliter* secundum quod justi cupiunt Deo adhærere eoque immediate frui. Ergo, quemadmodum nihil in finem omnium communem contendere potest absque communi influxu Auctoris naturæ; ita nemo potest, etiam inchoative, supernaturalem finem petere absque gratuito auxilio Largitoris gratiæ[3].

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicitur (Zachar. I, 3): *Convertimini...et convertar ad vos;* et (Prov. XVI, 1): *Hominis est animam præparare.* Atqui hæc reponunt opus conversionis et præparationis ad gratiam in ipso homine. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m:...* eo sensu quod conversio illa fit libere, *C;* quasi libertas hominis in tali opere non exerceatur sub influxu gratiæ actualis, *N.—Neg. conseq.*

In his similibusque sententiis commendatur liberum arbitrium, cujus causâ homini præcipitur ut se ad Deum convertat, sed tamen non excluditur gratia præveniens; quemadmodum in aliis locis (Jerem. XXXI, 18): *Converte me, et*

1—Cf. Knoll, Perrone, etc.
2—Cf. *De Veritate,* Q. XXIV, a. 15.
3—Cf. Cajet. in h. art.

convertar, quia tu Dominus Deus meus, et (Thren. V, 21) : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur*, commendatur gratia præveniens, quin excludatur liberi arbitrii cooperatio. Creata enim voluntas non potest ad Deum converti, nisi Deo ipsam ad se convertente [1].

Obj. 2.—Homo faciens quod in se est se præparat ad gratiam, juxta illud (Luc. XI, 13) : *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Atqui facere quod in se est pertinet ad naturam. Ergo.

Resp. *D. M* :...dispositione materiali et per accidens tantum, *C*; dispositione formali, *S.d*: faciens quod in se est cooperando gratiæ, *C*; solis naturæ viribus, *N*.—*C.d.m* : facere quod in se est seu in propriæ potentiæ viribus...*C*; libere assentiri gratiæ....*N*.—*Neg. conseq.*

Quodcumque bonum naturale ab homine factum non est de se nisi dispositio mere *materialis*, cui *per accidens* tantum gratia accedere potest : nos vero loquimur de dispositione *formali*.—Verum cum dicitur homo *facere quod in se est*, id communius intelligitur de voluntate libere consentiente, prout adjuvatur gratuito auxilio Dei moventis et dirigentis : siquidem nihil homo potest facere nisi proportionaliter a Deo moveatur, secundum illud (Joan. XV, 5) : *Sine me nihil potestis facere.* Et sub hoc sensu facienti quod in se est Deus non denegat gratiam [2].

Obj. 3.—Homo indigens gratia ut se ad gratiam præparet pari ratione indigebit altera præparatione ad illam, et ita porro. Atqui id infert processum in infinitum : quod repugnat. Ergo.

Resp. *D. M* : Homo indigens gratia habituali ut se ad habitualem gratiam præparet, pari ratione...*C*; homo indigens sola gratia actuali primi moventis ut se ad habitualem disponat...*N*.—*C.d.m*.—*Neg. conseq.*

Objectio hæc procedit de gratia *habituali*, ad quam requiritur aliqua præparatio, quia omnis forma subjectum dispositum exposcit. Sed hoc quod homo gratuito a Deo moveatur non præexigit aliquam aliam motionem, cum Deus sit primum movens disponens animam ad formam gratiæ [3].

1—Cf. Conc. Trid. (Sess. VI, cap. 5).
2—Cf. infra, Disp. IV.
3—Vid. plura ap. Bellarm. l. VI, c. 4-6, et Knoll, Sect. I, c. II, a. 1.

ARTICULUS VII.

Utrum homo possit resurgere a peccato sine auxilio gratiæ.

1º Ad determinandum *quæstionis statum*, adverto *a)* peccatum transire actu, manere tamen reatu; cum vero homo possit per seipsum *ab actu peccandi* cessare, dubium est num etiam per seipsum et absque auxilio gratiæ *a statu peccati* resurgere valeat.—*b)* Resurgere autem a peccato intelligi potest dupliciter, nempe vel *secundum quid* vel *simpliciter*, prout peccati ruina reparetur vel quoad naturæ bonum tantum vel quoad bonum gratiæ ad quod impræsentiarum creatura intellectualis ordinatur [1].—*c)* Porro, licet præcise et absolute sufficiat gratia *sanans* ad restituendum hominem in quamdam rectitudinem *naturalem*, nihilominus secundum exigentiam finis supernaturalis ad quem ordinamur, ideoque pro præsenti providentia *simpliciter*, nequit homo a peccato resurgere absque gratia *elevante:* in cujus rei demonstrationem mox incumbendum est.

2º *Supponimus* contra Lutheranos per hanc gratiam *posse* Deum revocare hominem a peccato in justitiam: siquidem, etiam post peccatum, manet in anima potentia saltem obedientialis ad esse et bonum supernaturale [2].—Tota quæstio est de *necessitate* divini auxilii.

Conclusio.—HOMO NULLO MODO POTEST RESURGERE A PECCATO PER SEIPSUM SINE AUXILIO GRATIÆ.—Hoc *fide* est tenendum contra *Pelagianos* post *Conc. Arausic. II* (can. 4, 14, 19) et *Conc. Trid.* (Sess. VI. cap. 5 et can. 1, 3). Canon 19 *Arausic.* id habet: "Cum natura humana sine Dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?"

1º In Scripturis legimus (Is. XLIII, 25): *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et (Gal. II, 21): *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*; id est, si absque gratia et per

1—Cf. Cajet. in h. loc.
2—Cf. C. G. III, 156.

solas naturæ vires, observata lege, justitia obtineri potest, supervacanea fuit mors Christi : quod christianæ religionis systemati repugnat.

2° Opportuna sunt *S. Augustini* verba (de Pecc. mer. et remiss. l. II, c. 19) : "Quod vitium nisi adjuvante gratia superetur, ad justitiam nemo convertitur ; nisi operante gratia sanetur, justitiæ pace nemo perfruitur. Cujus autem gratia vincitur et sanatur, nisi illius cui dicitur : *Converte nos, Deus sanitatum nostrarum, et averte iram tuam a nobis?*" [1]

3° Subit *rationalis* probatio ex *effectibus* formalibus peccati : qua enim ratione gratia tollat peccati essentiam, infra loquendo de justificatione dissertabitur.

Resurgere a peccato sibi vult, hominem redintegrari in eis quæ peccando amisit. Atqui homo peccans triplex detrimentum incurrit, scil. maculam, corruptionem naturalis boni, et reatum pœnæ : [2] quæ tria per gratiam tantum aboleri possunt. Ergo. *Prob. min.* per partes.

a) Imprimis peccator *maculam* contrahit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Atqui decor ille, in anima proveniens ex illustratione divini luminis refulgentis per splendorem rationis et cœlestis sapientiæ radios, reparari non potest nisi Deo denuo illustrante per lumen gratiæ sanantis et elevantis. Ergo necesse est ut dicamus cum Psalte (Ps. L, 8) : *Asperges me hyssopo et mundabor ; lavabis me et super nivem dealbabor.*

b) Secundo per peccatum corrumpitur *bonum naturæ*, in quantum natura hominis deordinatur, voluntate Deo non subjecta ; hoc enim sublato ordine, quia voluntas omnium potentiarum moralitatem regit, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Atqui communis ille naturæ ordo per subjectionem voluntatis ad Deum restitui nequit nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente sibique per gratiæ efficaciam subjiciente (cf. art. præc.). Recte igitur Deus refertur dicens (Ezech. XXXVI, 26) : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum.*

1—Ps. LXXXIV, 4.
2—Cf. I-IIæ, Q. LXXXV-LXXXVII.

c) Denique habetur *reatus pœnæ*, per quem homo peccando mortaliter æternam meretur damnationem. Porro reatus pœnæ æternæ remitti non potest nisi a Deo, in quem est offensa commissa, et qui hominum judex existit, secundum id quod legitur de Christo (Col. II, 13-14): *Donans vobis omnia delicta ; delens quod adversus nos erat chirographum decreti... et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.*—Itaque, ad hoc ut homo a peccato resurgat, requiritur gratiæ auxilium et quantum ad *habituale* donum, et quantum ad interiorem Dei *motionem.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Illud quod præexigitur ad gratiam fit sine gratia. Atqui resurgere a peccato præexigitur ad illuminationem gratiæ, juxta illud (Eph. V, 14): *Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Ergo.

Resp. *D. M:* Illud quod præexigitur ad gratiam secundum actum liberi arbitrii fit sine gratia *habituali, C;* sine gratia *actuali, N.—D.m:* Resurgere a peccato *inchoative* et per conatus liberi arbitrii proportionaliter *moti* a Deo præexigitur vel tempore vel natura ad illuminationem gratiæ, *C;* resurgere a morte peccati *totaliter* et per *solum* liberum arbitrium præexigitur... *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Peccatum virtuti opponitur, sicut morbus sanitati. Atqui homo, principium vitæ retinens, potest per virtutem naturæ resurgere de ægritudine ad sanitatem, sine medicinæ auxilio. Ergo.

Resp. *D. M:* Peccatum veniale...*C;* peccatum mortale... *N.—Trans. m.—Neg. conseq.*

Peccatum *mortale* id efficit ut avertat hominem ab ultimo fine; qui quum sit principium totius ordinis et vitæ moralis, patet naturam non posse a peccati statu liberari absque gratia.—Hæc autem gratia non solum *sanans*, sed et *elevans* esse debet ut homo consequatur *sanitatem supernaturalem* ad quam naturalis ratio et voluntas nullam proportionem habet. Unde natura lapsa indiget ut ei denuo lumen gratiæ infundatur, sicut si corpori mortuo resuscitando denuo infunderetur anima.

Obj. 3.—Quælibet res naturalis potest redire per se ipsam ad statum convenientem suæ naturæ, v. g. lapis sursum projectus. Atqui peccatum est quiddam contrarium naturæ. Ergo etc.

Resp. *D. M:* Quælibet res, integra manens, potest redire... *C;* etiam amissa integritate et proportione ad illum statum... *N.— C.m.—Neg. conseq.*

Quando res seu natura manet *integra*, potest per se ipsam reparari in eo quod est sibi conveniens et proportionatum; sed in id quod superexcedit suam proportionem restitui non potest sine exteriori auxilio. Sic igitur humana natura, defluens per actum peccati, suaque per corruptionem integritate orbata, nequit per seipsam reparari nec ad bonum sibi *connaturale*, neque multo minus ad bonum *supernaturalis* justitiæ consequendum.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo sine gratia possit non peccare.

Peccatum aut *præteritum* est a quo homo lapsus liberari indiget, aut *futurum* quod præcavere jubemur; quam ob rem, ostensa sub primo respectu necessitate gratiæ, idipsum jam altero sub respectu determinandum venit.

Et 1° præloquar hominem secundum statum *naturæ integræ* potuisse, etiam sine gratia habituali, non peccare nec mortaliter nec venialiter. Ratio est quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo quod est secundum naturam; quod certe homo naturâ viribusque integer vitare poterat, licet indigeret proportionali auxilio Dei conservantis et moventis.—At quæstio præsens instituitur de statu *naturæ corruptæ*.

2° Quæritur non de potentia *physica* et remota ad vitandum peccatum, sed de potentia *morali* et propinqua.—Cum vero homo corruptus considerari possit vel *post* acceptam ex gratia sanationem secundum mentem vel *ante* illam, duo idcirco distinctis conclusionibus statuenda occurrunt.

Conclusio 1ª.—In præsenti naturæ statu, licet homo justificatus possit cum auxiliis actualibus ordinariis abstinere ab omni peccato mortali, tamen non valet sine extraordinario auxilio seu privilegio omnia peccata venialia vitare.

1ª *Pars* constat ex decreto *Conc. Milevitani* (can.3) : " Quicumque dixerit gratiam Dei, qua justificamur per J. C. D. N., ad solam remissionem peccatorum valere, non etiam *adjutorium* conferre *ne peccata committantur*, A. S. " Quibus accedunt definitiones *Trid.* (Sess. VI, cap. 11 et can. 18) necnon (can. 22) : " Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel *cum eo non posse ;* A. S."—Ratio est, quia homo, per gratiam habitualem ad *ordinem debiti finis reductus, principium* habet unde tota vita sua moralis in rectitudine servetur atque a peccati mortalis deviatione abstineat, suppositis tamen auxiliis gratiæ *actualis* de quibus in art. seq.

2ª *Pars* et præcipua hujus concl. definita est contra *Pelagianos* a *Conc. Milev.* (can. 6-7), necnon a *Conc. Trid.* cujus hæc sunt verba (Sess. VI, can. 23) : " Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse *in tota vita* peccata *omnia*, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia ; A. S."

Prob. — 1° Ex *Scriptura* (2 Paralip. VI, 36) : *Neque enim est homo qui non peccet.* Et (Ps. CXLII), 2) : *Ne intres in judicium cum servo tuo ; quia non justificabitur* (i. e. non invenietur justus) *in conspectu tuo omnis vivens.* Item (Jac. III, 2) : *In multis offendimus omnes.* Quæ omnia communiter a Patribus de peccatis venialibus exponuntur.

2° Ex *traditione.* Testem appello præ aliis *S. Augustinum* qui (l. de Nat. et Gr. c. 36) ait : " Excepta S. V. Maria de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem...si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus ?... nonne una voce clamassent : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* [1] " ? Ita *S. Hieronymus, S. Greg. M., S. Fulgentius,* etc [2].

3° *Ratione* S. Thomæ.—Homo justus in præsenti vita sanatur quidem secundum mentem, nondum tamen appetitu

1—1 Joan. I, 8.
2—Cf. Suarez, l. IX, c. 8.

carnali totaliter refecto. Unde Ap. in persona hominis reparati dicit (Rom. VII, 25): *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Atqui homo, in tali statu constitutus, et cum auxiliis gratiæ ordinariis, non potest quin venialiter labatur, corruptioni sensualitatis obsequens: cujus motus *singulos* quidem reprimere potest, et ex hoc habent de voluntario et de peccato; *non* autem *omnes*, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, neque etiam ratio semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus compescendos aut vitandos.

Expl. doctrina.—1° Non negamus justum, cujus vires habituali gratia reparatæ sunt, posse cum gratia actuali ordinaria, saltem *ad breve tempus*, omnia venialia vitare: quod explicite tradit *S. Thomas* (III, Q. LXXIX, a. 4 ad 2). Loquens enim de textu 1 Joan. I, 8, ait: "Illud verbum non est intelligendum, quin aliquâ horâ possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus." Conclusio itaque exponatur oportet vel de *tota vita*, ut definivit *Conc. Trid.*, vel de *diuturno tempore*, ut theologi communiter docent [1].

2° *a)* *Singula* quidem peccata venialia homo justus declinare potest; quæ cum distributive, seu unum post aliud, occurrant, de illis singillatim vitandis præceptum datur; at fieri non potest, *moraliter* loquendo, quin homo in aliquo *indeterminate* deficiat.—*b)* Proclive est autem inferre, impotentiam illam moralem frequentius se prodere quoad venialia subreptitia et *semideliberata* quam quoad *deliberata.* Imo non desunt qui probabile existimant, viros eximiæ sanctitatis posse absque speciali privilegio, saltem longiori tempore, omnia venialia *deliberata* vitare.

3° *a)* Constat ex *Trid.* et *S. Aug.* speciale illud privilegium fuisse in tota sua plenitudine *B. M. Virgini* concessum: quod ut dogma catholicum habendum est [2].—*b)* Quærentibus autem num aliquis Sanctus, præter Dei Matrem, fuerit tali privilegio insignitus, respondeo cum Mazzella (Disp. II, a. 5): *primo*, si agatur de solis venialibus *deliberatis*, credi potest *Apostolos* post Sp. Sancti adventum,

1—Cf. Knoll, Sect. I, c. II, a. 3.
2—Cf. III, Q. XXVII, a. 3-4.

aliosque sanctos in majori suæ perfectionis gradu, illa amplius non commisisse. *Secundo*, si agatur de aliquo vitæ tempore et de *speciali materia*, probabilissimum est *S. Joseph*, præsertim post matrimonium, nihil contra castitatem venialiter admisisse neque ex deliberatione neque ex subreptione; quod asseri potest etiam de *Angelico Doctore* post celebrem victoriam in materia castitatis reportatam. Idem teneto de *S. Joan. Baptista* quoad peccatum linguæ. *Tertio*, si sermo sit de omnibus simpliciter venialibus et pro quocumque tempore, probabilior est *communisque sententia* quæ negat exceptionem factam in gratiam B. M. Virginis apud alios sanctos obtinuisse.

Conclusio 2ª.—HOMO, NISI PER GRATIAM JUSTIFICANTEM REPARETUR, SINGULA QUIDEM PECCATA MORTALIA VITARE POTEST, DIU TAMEN ABSQUE PECCATO MORTALI MANERE NON POTEST.—Id contra *Pelagianos* assertum invenitur ab *Innocent. I* (Ep. ad Conc. Milev.): " Negantes, ait, auxilium Dei, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina affirmant, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat."

Prob. 1º ex *Scriptura.*—Nam huc revocari possunt verba (Ps. LXX, 10): *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* et alia (Ps. CXVII, 13): *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* (Cf. supra art. 4, concl. 1).

2º Ex *Patribus.*—*S. August.* (l. de Perf. just. c. ult.) ait: " Quisquis negat nos orare debere ne intremus in tentationem (negat hoc autem qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed, sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem), ab auribus hominum removendum et ore omnium anathematizandum esse non dubito. " Accedit illud *Greg.* (25 Mor. c. 9): " Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, mox *suo pondere* ad aliud trahit. "

3º *Ratione.*—Juxta *D. Thomam* (I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 6), cum homo lapsus usum rationis habere inceperit, primum quod ei cogitandum occurrit est deliberare de seipso [1] secundum quod naturaliter beatitudinem appetit. Et si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam conse-

1—Cf. Cajet. in h. loc.

quetur remissionem originalis peccati; si vero non ordinet se ipsum ad debitum finem, *secundum quod in illa ætate est capax discretionis*, peccabit mortaliter. Atqui existens in peccato mortali, sibi relictus, non potest quin mox in alia peccata mortalia decidat.

Prob. min.—a) Nam sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo et in ipso finem voluntatis constituere. Atqui inferiori appetitu non totaliter subjecto rationi, esse non potest quin contingant inordinati motus *veniales*. Ergo etiam ratione hominis non totaliter subjecta Deo, consequens est ut contingant multæ inordinationes *mortales*.—*b)* Sane, potentia vitandi omne peccatum mortale consistit in subjectione voluntatis ad Deum, quatenus per finem debitum regulantur omnes actus humani: siquidem effectus universalis, ut vitatio omnis peccati mortalis, postulat causam *universalem* quæ esse non potest nisi causalitas honesti finis in quo cor firmatum sit et cui omnia subjiciantur. Atqui sicuti affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis. Ergo consequens est ut privatio subjectionis ad Deum per peccatum mortale privet potentia propinqua vitandi in posterum omnem lethalem culpam [1].—*c)* Præterea, pronum est ut homo operetur secundum sollicitationem finis præconcepti et inclinationem habitus præexistentis, nisi præmeditatio efficax rationis contrarium suadeat. Atqui ex una parte homo lapsus, qui jam finem suum in creaturis seu in amore sui usque ad contemptum Dei defixit, tum finaliter, tum subjective et dispositive ad malum inclinatur; ex altera parte in tam multis maximeque in repentinis quæ accidunt, possibile ei non est illam continuo exercere vigilantiam qua ponderatim discutiat quidquid velle vel agere oporteat. Ergo nequit contingere ut *diu* permaneat quin operetur secundum indolem voluntatis deordinatæ a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur [2].

Subnotetur posse hominem lapsum *singula* peccata mortalia, etsi non omnia, declinare (sicut et de venialibus dictum est): quia numquam determinatur ad malum, sed in singulis

1—Cf. Cajet. in h. art.
2—Cf. C. G., III, 160.

divisim sumptis seu in particularibus casibus indeterminatis potest, pro libero suo arbitrio, ex præmeditatione rationis agere præter ordinem finis præconcepti et præter inclinationem habitus; eo ferme modo quo *infirmus*, quin valeat sine casu totum iter hominis sani peragere, aliquos tamen gressus confusim in quacumque parte viæ facere potest.—Insuper præsto est voluntati humanæ *auxilium* Dei transiens quo in difficilioribus custodiatur, si velit, a peccato mortali, necnon disponatur ad gratiam justificantem, ex qua valeat non solum naturaliter sed et supernaturaliter præcepta servare et Deum super omnia diligere.

Solv. obj. (cont. 2am concl.)—OBJ. 1.—Nullus peccat in eo quod vitare non potest. Atqui homo lapsus, antequam reparetur per gratiam, dicitur vere peccare. Ergo vitare potest omne peccatum saltem mortale.

RESP. *D. M*:...in eo quod vitare non potest ullo modo, *C*; in eo quod vitare non potest ex proprio defectu quoad omnes actus, dum tamen potest quoad singulos, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1º Licet ille qui est in peccato non habeat hoc in propria potestate quod omnino vitet peccatum, potest tamen *hoc* vel *illud* peccatum vitare; unde quodcumque committit, voluntarie committit, et ita non immerito ei imputatur ad culpam (C. G. l. c.).—Eo magis 2º quia ex ejus *culpa* est non solum quod se in quadam peccandi necessitate posuerit, sed etiam quod se nunc ad habendum gratiam non præparet qua posset omne peccatum mortale aversari [1].

OBJ. 2.—Ad hoc peccator corripitur ut non peccet. Atqui correptio divina non debet dici frustranea. Ergo.

RESP. *D. M*:...quatenus voluntas hominis requiritur ad vitandum peccatum, *C*; quia correptio sufficiens sit sine Dei auxilio, *N.—D.m*:... non debet dici sine effectu quodam externæ excitationis, *C*; per se efficaciter in animam agit, *N.—Neg. conseq.*

Utiliter peccator corripitur, " ut strepitu correptionis *forinsecus* insonante ac flagellante, Deus in illo *intrinsecus* occulta inspiratione operetur et velle" (S. Aug., l. de Corr. et Gr. c. 6).

1—Cf. Mazzella, Disp. II, a. 6, p. 255-56.

Obj. 3. — In potestate hominis est eligere bonum vel malum, juxta illud (Eccli. XV, 18) : *Ante hominem...bonum et malum : quod placuerit ei dabitur illi.* Atqui aliquis peccando non desinit esse homo. Ergo.

Resp. *D. M* : ... in statu naturæ integræ, *C* ; in statu naturæ corruptæ, *S.d* : quatenus homo libertate sua propriæ sortis est artifex, *C*; quasi omne bonum velit et ab omni malo abstineat absque auxilio gratiæ, *N*. — *C.m.* — *Neg. conseq.* [1].

ARTICULUS IX.

Utrum ille qui jam consecutus est gratiam per seipsum possit operari bonum et vitare peccatum absque auxilio gratiæ.

1° Cuique perspicuum est hominem in gratia existentem non indigere alio gratuito auxilio, per modum doni *habitualis*, ad recte vivendum.—Nemo est etiam qui non videat justum, gratiæ virtutumque infusarum viribus instructum, *plura* posse *bona moralia* operari quam extra gratiam.—Quæstio autem movetur, utrum justus in gratia habituali constitutus possit quæ operanda sunt in ordine salutis operari quæque vitanda sunt mortalia vitare absque alio gratiæ actualis auxilio, seu, quod idem est, num sine tali auxilio recte vivere diuque in bono permanere valeat.

2° Auxilium gratiæ actualis aliud est *generale*, aliud *speciale*, aliud *specialissimum*.—Auxilium *generale* nomino quod datur unicuique secundum exigentiam suæ naturæ ideoque, in re supernaturali, quod confertur secundum proportionem hominis elevati quidem per gratiam et virtutes infusas, sed retinentis multiplicem defectibilitatis causam.—Auxilium *speciale* generali addit plura beneficia interna vel externa quibus Providentia corruptioni naturæ subvenit.—*Specialissimum* vero illud est quo homo usque in finem vitæ præservatur ab instabilitate nativa sui liberi arbitrii.—

1—Cf. *De Verit.*, Q. XXIV, a. 12.

De hoc in art. sequenti; nunc vero de duobus primis auxilii generibus.

3º Necessitatem gratiæ actualis ad singulos actus salutares et ad perseverantiam in bono negarunt *Pelagiani* et *Semipelagiani*; quos moderni *Rationalistæ* sequuntur.—Catholici theologi, licet omnes præfatæ gratiæ necessitatem admittant, non omnes eodem modo illam intelligunt. *a)* Non pauci (vid. Mazzella, p. 214) tenent sufficere ad perseverandum in bono auxilia communia, quin *specialia* sensu a nobis exposito concedant; alii cum *Suarez*, *Billuart*, etc., specialia quoque tuentur. *b)* Præterea non defuere olim *theologi* (teste Ripalda) qui negarent gratiam actualem, ut *elevantem*, requiri in homine justo ad omnes actus salutares, eaque in sententia fuisse videtur Molina (Concord. Q. XIV, a. 13, D. 8 et 38). *Alii*, ut Petavius refert (de Pelag. et Semip. hær. c. X, n. 12), quos nec ipse damnat, reposuerunt gratiam illam in sola illustratione mentis, qua *mediate* et *moraliter* tantum voluntas afficiatur. *Vera* autem *sententia* est quæ gratiam *physice immediateque* influentem in singulis actibus tum intellectus tum voluntatis propugnat: de quibus tamen uberior sermo erit, quando loquemur de natura gratiæ actualis.

Conclusio.—INDIGET JUSTUS AD SINGULOS ACTUS SALUTARES MOTIONE DEI SUPERNATURALI; INDIGET QUOQUE NON SOLUM GENERALI, SED ET SPECIALI AUXILIO GRATIÆ INTERNÆ ET EXTERNÆ AD DIU PERMANENDUM IN BONO.

1ª *Pars* profert, *ad singulos actus salutares requiri aliquod auxilium gratiæ elevantis* distinctum a gratia habituali, et videtur certa *fideique proxima*.—Nam ex *Ecclesiæ* definitionibus [1] constat gratiam Dei, nulla facta distinctione inter justos et peccatores, dari ad recte vivendum in *omnibus actibus* et *cogitationibus* (Zosim. R. P.), in *singulis motibus* (Cœlestin. I R. P.), ad *singulos actus* (Conc. Diospolit.), *in omni opere bono* (Conc. Araus. II, can. 25), secundum *illuminationem*, *inspirationem* et *adjutorium* (Id. can. 7 et 25). Accedit Conc. Trid. (Sess. VI, c. 16): "Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam *caput* in membra et tanquam *vitis* in palmites in ipsos justificatos

1—Cf. Mazzella, p. 189-190.

jugiter virtutem influat; quæ virtus *bona* eorum *opera* semper antecedit et *comitatur* et subsequitur," etc.

Sane 1° præter ea quæ retulimus (art. 2, concl. 2), sequentia in *Scripturis* leguntur quæ necessitatem gratiæ actualis etiam in justis adstruunt. (Eph. II, 10): *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Et (Heb. XIII, 20-21): *Deus omnis pacis... aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram se per J. C.*

2° Ex *traditione* accipiantur verba *S. August.* (l. de Nat. et Gr. c. 26): "Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus *adjuvetur*, recte non potest vivere." Hinc *S. Hieronym.* (Ep. 132 ad Ctesiph.): "Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum."

3° En *ratio ex mente S. Thomæ.*—Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute primi Motoris applicantis et moventis *proportionato* influxu activitatem creaturæ. Atqui activitas hominis justi se habet secundum rationem potentiæ elevatæ per formam gratiæ habitualis ad genus *supernaturale.* Ergo necesse est ut proportionata Dei motio characterem habeat auxilii supernaturalis seu actualis gratiæ.—Ratio hæc, ut patet, necessitatem gratiæ actualis vindicat universalissime, ideoque non solum respectu hominis præsentis, sed etiam respectu Adami [1] et ipsorum Angelorum.

2ª *Pars* concl. innititur suffragio *Conc. Arausic.* (can. 10): "Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis est semper implorandum ut ad finem bonum pervenire, vel *in bono possint opere perdurare;*" necnon *Conc. Trid.* (Sess. VI, can. 22), ubi sanxit justificatum *sine speciali auxilio Dei* in accepta justitia perseverare non posse.

Et jure quidem.—Nam 1° id suadent verba Psalmistæ Deum orantis (Ps. CXVIII, 35-37): *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuo-*

1—Contra ac sentit Molina (Q. XIV, a. 13, D. 4).

rum, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua.

2° Licet natura humana per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea *corruptio* et infectio quantum ad *carnem*, unde servit *legi peccati* (Rom. VII, 25). Remanet etiam quædam ignorantiæ *obscuritas* in intellectu præsertim practico, secundum quam *quid oremus, sicut oportet, nescimus* (Rom. VIII, 26); cum enim tam varii sint rerum eventus, neque nos ipsos perfecte cognoscamus, quid nobis expediat plane scire nequimus, juxta illud (Sap. IX, 14): *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Atqui *speciales* illæ hominis præsentis *infirmitates* specialia, et a generalibus quoque distincta, auxilia postulant quibus Deus nos dirigat, moveat atque protegat. Ergo.—Propterea, etiam renati in filios Dei monentur quotidie recitare *Orationem dominicam* cujus quot petitiones, tot veritatis intentæ demonstrationes accipi possunt.

Solv. obj.—Obj. 1.—Gratia, ne bona aut imperfecta dicatur, implere debet illud ad quod datur. Atqui gratia habitualis ideo confertur ut possimus bonum facere malumque vitare. Ergo.

Resp. *D. M* :...in ratione principii formalis et activi, *C*; ad exclusionem alterius auxilii actualis, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Gratia habitualis, quia datur ad perficiendum hominem secundum esse et *posse* operari supernaturaliter, nullatenus excludit, verum potius includit quasi complementum gratiam actualem quæ adjuvet secundum ipsum *agere.*—Quapropter ex hoc inferri nequit gratiam habitualem vel vanam vel imperfectam esse; siquidem etiam in statu gloriæ, ubi forma gratiæ tam perfecta erit, homo divino auxilio indigebit.—Hic autem aliqualiter gratia imperfecta est, in quantum non totaliter sanat: unde deduximus necessitatem *specialis* auxilii.

Obj. 2.—Per gratiam habitualem ipse Sp. Sanctus in nobis habitat. Atqui Sp. S. sufficiens est ut nos ad bene operandum inducat. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :...quatenus solum effectum formalem habitualis doni progignit in nobis, *N*; quatenus præter hunc effectum nos quoque movet ac protegit, *C.—Neg. conseq* [1]

1—Cf. Knoll, Sect. I, c. II, a. 1, n. 409.

ARTICULUS X.

Utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum.

1º *Perseverantia* tripliciter dicitur: *a)* vel pro *constantia* qua firmatur homo contra irruentes tristitias, sicuti per continentiam firmatur contra concupiscentias; *b)* vel pro stabili *proposito* perseverandi in bono usque in finem; *c)* vel pro ipsa boni *continuatione*. — Primo et secundo sensu accepta, perseverantia est habitus seu habitualis dispositio quæ, sicuti cæteræ virtutes, cum gratia infunditur.—Verum nos hic inquirimus de perseverantia sub tertio sensu.

2º Perseverantia sic intellecta duplex est: *imperfecta et initialis*, de qua supra (art. præc.) diximus; *perfecta et finalis*, secundum quam aliquis *simpliciter* perseverare dicitur, et de ista quærimus, num requirat singulare donum gratiæ.—Rursus aliud est *posse* perseverare, et aliud perseverare *actu*. Potentia quidem perseverandi [1] sufficiens habetur in gratia habituali et auxiliis actualibus eidem consequenter annexis; sed dubitatur utrum præter ea auxilia necessarium sit specialius quoddam et insignius beneficium quo justus *actu* perseveret.

Conclusio.—AD PERSEVERANDUM ACTU USQUE AD FINEM VITÆ JUSTUS INDIGET SPECIALISSIMO GRATIÆ AUXILIO.—Hoc est *de fide*, ut patet tum ex *Conc. Arausic.* (can. 10), tum ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 13): " Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; quod quidem aliunde haberi non potest nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere." Hinc (can. 16) sancitur " *magnum* illud usque in finem *perseverantiæ donum* ".

Revera 1º id significant *SS. Litteræ*, puta (Ps. XVI, 6): *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et (1 Pet. V, 10): *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

1—Cf. Cajet. in h. loc.

2° Præ cæteris *Patribus* dignus est qui audiatur *S. Augustinus*, sic contra *Semipelagianos* arguens (l. de Don. Persev. c. 2) : " Cur perseverantia ista poscitur a Deo (nempe per Orationem dominicam), si non datur a Deo ? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate ?" Vide totum librum. Idem (l. de Corr. et Gr. c. 6) ait : " Negare quidem non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem *magnum* esse *Dei munus ;* nec esse nisi ab illo de quo scriptum est : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* [1] ".—*Preces Ecclesiæ* in publicis orationibus constanter a Deo petentis donum finalis perseverantiæ mire idipsum confirmant.

3° Perseverantia considerari potest vel in iis, sive infantibus, sive adultis, qui statim post acceptam primam gratiam sanctificantem decedunt, vel in justis qui post gratiæ acceptionem aliquamdiu vivunt. Atqui in utroque casu perseverantia singulare est Dei donum.

Prob. min. per partes.

a) Etenim quod ad *priores* attinet, tam opportuna *conjunctio mortis cum statu gratiæ* ejusmodi est quæ non mere contingenter, sed speciali Providentiæ statuto ab ipso vitæ et gratiæ Domino procurari censenda est, juxta illud (Sap. IV, 11 etc) : *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... placita enim erat Deo anima illius ; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

b) Quantum vero ad *alios*, conclusionis veritas ostenditur dupliciter : *de facto* et *de jure.*

De facto quidem : multis enim datur gratia, tum habitualis, tum actualis, quibus non datur in bono usque ad finem perseverare.

De jure vero ; et hoc non solum ex speciali conditione humanæ naturæ post casum Adæ multiplici infirmitate laborantis, sed universalius ex *instabilitate* et *nativa indole liberi arbitrii* (C. G. III, 155).—Nam quod de se *variabile* est, successive et multis motibus agens, ad hoc quod figatur

1—Jac. I, 17.

in bono secundum immutabilem ordinem ad finem, indiget peculiari auxilio primi moventis immobilis. Atqui hujusmodi est liberum hominis arbitrium. Ergo.—Insuper, potestas liberi arbitrii se extendit ad id quod eligitur ut *nunc operandum.* Atqui perseverare non dicit aliquid ut nunc operabile, sed *continuationem operationis per totum tempus.* Ergo, ut homo finaliter in bono permaneat, requiritur singularis Dei providentia qua per auxilia, sive *interna*, sive *externa*, singulæ nostræ actiones efficaciter dirigantur ad felicem exitum.

4⁰ Postremum argumentum sumamus ex *comparatione* inter Adamum et hominem præsentem (resp. ad 3).—Facilius homo per gratiæ donum perseverare poterat in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possimus, quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, nondum est consummata quantum ad carnem. Atqui primus homo, qui sic acceperat donum per quod haud ægre perseverare *posset*, non tamen accepit *ut perseveraret* in felici sua conditione, prouti eventus probavit. Ergo *a fortiori* ad perseverandum usque in finem egemus nunc specialissimo Dei auxilio; quod quia multi per Christi beneficium accipiunt, ideo donum Christi majus dicitur quam delictum Adæ (Rom. V).

DISPUTATIO TERTIA

DE ESSENTIA ET DIVISIONE GRATIÆ

Quanquam his in terris ratio naturalis non valet gratiam Christi e mysterii caligine penitus eruere, plura tamen, ducibus Ecclesiæ Doctoribus, disputari solent, quæ nonnihil juvant ad ejus indolem, dignitatem ac sublimitatem quadantenus capessendam.—Cum autem divisio sit quoddam instrumentum analyticum cujus ope essentiales rerum conceptus plurimum clarificantur, idcirco sub eodem disputationis capite tum de *essentia*, tum de *divisione* gratiæ, in duabus quæstionibus agemus.

QUÆSTIO PRIMA

DE ESSENTIA GRATIÆ

Quatuor ex ordine post D. Thomam quæremus: nempe an gratia sit aliquid *intrinsecum* vel extrinsecum tantum (art. 1); et posito quod sit quidpiam intrinsecum, *quid generice* illud sit (art. 2); et dato quod principaliter se habeat per modum habitus ad quem actus ordinatur, num sit *habitus entitativus* distinctus ab habitibus operativis (art. 3); tandem notio specifica gratiæ complebitur ex consideratione *subjecti* (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum gratia ponat aliquid in anima.

1° Nonnullos exstitisse refertur [1] asserentes gratiam nihil creatum esse in anima, sed esse solum in Deo; quos quidem jure nominaveris antecessores *Novatorum*, de quibus infra

1—*De Verit.*, Q. XXVII, a. 1.

dicemus adstruendo effectum gratiæ potissimum qui est justificatio.

2° Communi loquendi usu tripliciter gratia accipi consuevit: scil. *active* pro dilectione alicujus, puta si dicatur miles habere gratiam regis; *formaliter* seu objective pro dono gratis dato, quo sensu dicimur gratiam aliquam facere; *passive* quoque ex parte donatarii gratias agentis suo benefactori.—Quæstio est itaque num gratia, quam in superioribus necessariam ad salutem pronuntiavimus, activum tantum ex parte Dei, vel etiam *formalem* seu objectivum sensum ex parte hominis præ se ferat, inducens in eo reale beneficium divinitus collatum.

Conclusio.— GRATIA, SIMPLICITER ET COMMUNI SIGNIFICATU, IMPORTAT QUIDDAM SUPERNATURALE IN HOMINE A DEO PROVENIENS; quod *de fide* est ex *Trid.* (Sess. VI, can. 11).— Dico *simpliciter*, ad excludenda dona mere naturalia, quæ non solent dici gratia neque reapse sunt nisi secundum quid [1] (contra *Pelagianos* subdole gratiam pro natura intelligentes).— Dico etiam *communi significatu;* quandoque enim gratia Dei active sumitur pro ipsa æterna Dei dilectione aut pro beneficio prædestinationis gratuitæ.

Prob. concl. — 1° Ex *Scriptura.* Nam legitur (1 Tim. IV, 14): *Noli negligere gratiam quæ in te est.* Et (1 Joan. III, 9): *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.*

2° *Ratione.*—Gratia, simpliciter sumpta, ea est qua Deo grati et accepti sumus, quatenus ab Ipso diligimur secundum bonum æternum et simpliciter cuique præstitum. Atqui gratia hujusmodi non dicit solum amorem extrinsecum, sed etiam quidpiam *intrinsecum* et *supernaturale:* ergo. *Decl. min. a)* Primum differentia attendenda est circa gratiam Dei et gratiam hominis. Etenim, sicuti scientia Dei est causa rerum, non causata a rebus, ut nostra; ita voluntas ejus seu dilectio est *effectrix* boni et non a bono causata. Nostra autem voluntas, utpote mota ex bono præexistente, non causat totaliter dilectione sua rei bonitatem, sed præsupponit ipsam vel in parte vel in toto. Cum ergo ex hoc quod dicitur

1—Cf. Ep. Episc. Afric. ad Innoc. I, et S. August. (de Gestis Pelagii c. 6; de Prædest. Sanct. c. 5, n. 10, et Serm. 26, n. 4).

aliquis gratiam hominis habere, intelligitur in illo esse quidpiam homini gratum; multo magis gratia Dei importat in creatura bonum *intrinsecum*, secundum dilectionis effectivæ modum et rationem. *b)* Porro duplex est Dei ad creaturas dilectio: una quidem *communis*, secundum quam esse donaque naturalia rebus elargitur; alia autem *specialis*, secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturæ seu *supernaturaliter* ad participationem divini boni. Atqui hanc specialem dilectionem consequitur gratia *simpliciter;* quandoquidem secundum illam vult Deus creaturæ bonum æternum et perfectum, quod Ipse est immediate possidendus. Ergo.

Sequitur Deum esse vitam animæ, non eo modo quo anima est vita corporis seu *formaliter*, sed per modum *causæ efficientis* perficiendo subjectum formâ quadam in eo producta (resp. ad 2).

ARTICULUS II.

Utrum gratia sit qualitas animæ.

Juxta mirabilem S. Thomæ ordinem quem sus deque vertunt cum claritatis præjudicio plures theologi moderni, accepta communiori gratiæ notitia, progrediendum est ad ejus naturam intimius perscrutandam.—Nonnulla *prænotentur*.

Et 1° quia gratia, quæ nunc principaliter accipitur ut gratum faciens, dispescitur in *actualem* et *habitualem* secundum duplicem effectum divinæ dilectionis, de utroque gratiæ genere disserendum est, prout ipse S. Doctor viam aperuit. Quæritur itaque quid sit gratia, actualis et habitualis, quave ratione in entium categoriis collocanda sit?

2° " Non diffitemur (recte monet Em^{us} Satolli) quod gratia est ens supernaturale, et hoc sub respectu videtur *excedere* omnia prædicamenta, sicut Deus et quæcumque divina; verum hæc singulis concepta rationibus ad prædicamenta, saltem *proportionis analogia*, reducuntur."

3° Cum ens dividatur in substantiam et accidens, non

defuere qui æstimarent, ut *Petrus Lombardus* inter antiquos et *Rosminius* [1] inter modernos, gratiam saltem habitualem esse ipsam *Dei* vel *Sp. Sancti substantiam:* quod tamen alienum esse a vero, ex eo patescit quia vel substantia divina dicitur informare animam humanam, et id pantheisticum est; vel dicitur tantum eam inhabitare, et id conceditur quatenus Deus, mediante aliquo dono creato, hominem sibi gratum efficiat [2].—Hoc autem donum nequit esse *substantia creata* vel pars substantiæ; quia tunc productio gratiæ speciem seu naturam animæ mutaret.—Manet ergo quod gratia sit *accidens*, sive ut qualitas per modum actus primi, sive ut actio per modum actus secundi.

4° At de modo quo id intelligendum sit, non una sententia est.

Quod ad *gratiam actualem* attinet, dum omnes catholici fatentur eam sitam esse in quibusdam illustrationibus, inspirationibus et auxiliis quibus homo in suis actibus moveatur, nonnulli, inter quos recensentur *Vasquez* et *Montesinos*, posuerunt quidem tum mediatas et externas tum *immediatas* et internas illustrationes intellectus (contra Pelagianos), tamen non admiserunt nisi *mediatas* inspirationes voluntatis. Inter eos vero qui cum illustrationes tum inspirationes immediatas concedunt, non pauci ex schola *Molinistica* sentiunt gratiam actualem objective sumptam partim seu initialiter consistere in actibus *indeliberatis* et non liberis intellectus et voluntatis, completive autem in actibus liberis et deliberatis. Alii [3] ex schola *Banneziana* reponunt gratiam actualem in præmotione seu *qualitate* quadam transeunter impressa potentiæ intellectus vel voluntatis, quæ distinguitur ab operatione nostra sicut causa ab effectu, quæque, comitante proportionato Dei influxu simultaneo, efficit tum motus initiales, subitos et indeliberatos (quos tamen aliqui ex illis volunt esse liberos), tum motus posteriores deliberatos. Alii tandem de schola *Cajetano-thomistica* opinantur gratiam actualem internam nihil esse aliud quam ipsam operationem liberam intellectus et voluntatis, prout hæc habitudinem dicit

1—Cf. *L'Accad. rom. di S. Tommaso*, Vol. IV, p. 395-400.
2—Cf. II-IIæ, Q. XXIII, a. 2.
3—Joan. a S. Thoma, Billuart, etc.

ad Deum supernaturaliter influentem : cui sententiæ libenti animo adhæremus.—Si vero quæratur de *supernaturalitate* actuum qui sub gratia actuali ponuntur, licet quidam arbitrati sint supernaturalitatem illam constitui per modum quemdam mere accidentalem, plerique tamen theologi veriori sensu statuunt characterem supernaturalem actuum salutarium esse *substantialem* [1].

Quod spectat ad *gratiam habitualem*, explosa opinione quod sit substantia, vix reperire [illegible]m theologum catholicum qui negaverit eam iness[illegible]ma velut quidpiam creatum physice *permanens*, li[illegible]eadem fidei certitudine constet eam esse *qualitatem* e[illegible] *habitum*.

Conclusio 1ª.—GRATIA ACTUALIS, SECUNDUM TRIPLICEM ILLUSTRATIONIS, INSPIRATIONIS ET ADJUTORII DIVINI RATIONEM, ALIUD NON EST QUAM IPSA ANIMÆ OPERATIO, QUÆ FIT DEI INFLUXU SUBSTANTIALITER SUPERNATURALIS.—Agitur præcipue de gratia *interna*, ad quam *externa* quæque, puta suasio, exemplum, occasio etc, conducit et reducitur : tres sunt concl. partes.

1ª *Pars*, prout describit in genere gratiam actualem, *de fide est*; nam *Conc. Milevit II*, ab Innoc. I, a Conc. œcum. Carthag. (418) et a Zosimo R. P. probatum, definivit (can. 4) per gratiam nobis præstari " ut quod faciendum *cognoverimus*, etiam facere *diligamus* atque *valeamus*. " *Conc. Arausican. II* (can. 7 et 10) vocat gratiam actualem *illuminationem*, *inspirationem* et *adjutorium* : cui consentit *Trid.* (Sess. VI, cap. 5).—Quemadmodum autem ex Conc. præsertim Arausic. II (can. 7) *fide* constat illuminationem gratiæ *immediatam* esse, non autem mediatam tantum per externam prædicationem, ita quoque *proximum* saltem *fidei* videtur quod inspiratio divina sit immediata : nam juxta *Cœlestinum I* (Ep. ad Episc. Gall. c. 9) " *omnis motus* bonæ voluntatis ex Deo est."

Et sane 1º hunc sensum præseferunt sequentes *Scripturæ* textus ; scil. *a)* quoad *illustrationes* (2 Cor. IV, 6) : *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Et (1 Cor. III, 7) : *Neque qui*

1—Cf. Mazzella, Disp. I, art. 2.

plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus; quasi diceret Apostolus externum ministerium plantantis et irrigantis fidem nihil valere sine interna et immediata Dei actione.—*b)* Quoad *inspirationes* (Ps. CXVIII, 32): *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Unde *S. August.* (in h. Ps. Serm. 17, n. 3): " Docet Deus suavitatem, inspirando delectationem... Docet scientiam, insinuando cognitionem ": cf. quæ retulimus Disp. II, Quæst. un., a. 9.—*c)* Quoad *adjutorium* divinum (1 Cor. XV, 10): *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

2º Accedit *rationis* comprobatio. — *a)* Homo indiget supernaturaliter moveri a Deo tum ad cognoscendum, tum ad volendum, tum ad agendum; ita ut motio illa coaptari debeat indoli cujusque potentiæ, scil. intellectus, voluntatis et virium exsecutricium. Atqui motio Dei influens in intelligendi actum se habet ut illustratio; motio in voluntatem, ut inspiratio; motio vero in vires exsecutivas, veluti adjutorium. Ergo.—*b)* Quia vero omnes potentiæ mox recensitæ carent ex se proportione ad finem supernaturalem, consequitur in singulis necessariam esse certoque esse ponendam *immediatam* Dei actionem [1].

2ª *Pars* concl. progreditur ad definiendam naturam gratiæ actualis; et dicimus eam esse ipsam *liberam animæ operationem,* prout hæc habitudinem claudit ad Deum, principium et finem supernaturalis ordinis: quam quidem sententiam, ex ipso D. Thoma acceptam, ut *veriorem* pronuntiamus.

Prob. directe.

Et 1º sententia illa saltem innuitur in *Sacris Documentis.* Nam legitur (Phil. II, 13): *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate;* ubi intelligi datur gratiam actualem ex parte principii seu *active* esse substantialem Dei actionem, ex parte autem termini seu *passive* nihil aliud esse quam ipsum velle et operari nostrum.—*Conf.* ex *Conc. Milevit. II* (can. cit.) decernente quam necessaria sit gratia Christi, " cum sit utrumque donum Dei, et scire quid facere debeamus, et diligere ut faciamus." Ex quo inferre licet: "ergo gratia actualis consistit in dono transeunte quod est *scire* et *diligere.*"

1—Vid. plura ap. Mazzella, Disp. I, a. 4.

2° Huc pertinent verba *S. August.* (l. de Don. Persev. c. 8): "Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem"; et alia (in Ps. 102, n. 16): "Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam... vocat per intimam cogitationem"; ubi gratia actualis exhibetur velut pia liberaque cogitatio dispositiva ad justificationem.—Non dissentit *S. Prosper* (in lib. c. Collat. c. 7): "Si nemo, inquit, venit nisi attractus, omnes qui quocumque modo veniunt attrahuntur... Trahit timor: *principium* (enim) *sapientiæ est timor Domini.* Trahit lætitia, quoniam *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi...* Trahit desiderium, quoniam *concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Trahunt delectationes: *quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua.*" Atqui homo trahitur ad Deum gratia actuali: ergo gratia actualis consistit in timore, lætitia, desiderio, delectatione, scil. in liberis nostris actibus.—Addatur hanc esse *S. Thomæ* mentem, cum doceat in præs. art. de motione divina: "Et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ."

3° Subit *ratio* S. Doctoris.—*a)* Juxta principium Aristot. (3 Phys.), "actus moventis in moto est motus" (cf. *de Deo uno*, Disp. VI, Q. I). Atqui Deus supernaturaliter movet hominem per gratiam actualem. Ergo gratia actualis in homine aliud non est quam motus ipse seu actus animæ.—*b)* Neque objiciatur (cum Mazzella aliisque) gratiam illam esse constituendam in aliquo distincto ab operatione libera, eo quia, juxta Trid., potest homo Deo excitanti *assentire* vel *dissentire:* siquidem libera hæc assentiendi vel dissentiendi facultas optime in nostra sententia exerceri potest, tum circa gratias *externas* quæ moraliter tantum voluntatem movent, tum quoque circa gratias *internas*, quatenus homo seipsum ad unum determinans sub influxu Dei (motivo, non prædeterminativo) potestatem servat in singulis actuum suorum momentis se subtrahendi gratiæ, nec alia quam suppositionis necessitate stringitur.

Prob. indirecte, rejectis scil. oppositis sententiis. Et 1° *opinio Molinistica*, in quantum reponit gratiam actualem in actibus *indeliberatis non liberis*, probari nequit.—*a)* Quamvis enim motus hujusmodi admitti possint in appetitu inferiori necnon in intellectu maxime pro primo intelli-

gendi actu in aliqua actuum serie, tamen id repugnat indoli propriæ voluntatis quæ est libertatis sedes. Audiatur *S. Thomas* (I–IIæ, Q. X, a. 4): " Ad Providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet *secundum eorum conditionem*...Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus *contingens* et non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur."—*b)* Præterea Cœlestinus I (Ep. ad Episc. Gall. cap. 9) ait " quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit:" quibus certe continetur gratia actualis. Atqui motus animæ nequit dici simpliciter *sanctus, pius, bonus*, nisi sit actus moralis seu liber, secum ferens voluntarium hominis obsequium erga Deum. Ergo.—*c)* Cæterum doctrina Molinæ, tollens *efficaciam intrinsecam* gratiæ actualis, in gravem scopulum offendit quem infra indicabimus.

2° *Opinio Banneziana* et ipsa probanda non est.—*a)* Præterquam quod enim nonnulli ejus patroni primos voluntatis actus necessarios ponunt, omnes consentiunt in explicanda gratia actuali secundum qualitatem transeuntem præviam: quod neque verbis S. Thomæ, neque distinctioni, quam tradit, habitualis et actualis gratiæ per *qualitatem* et *motum* animæ consonat.—*b) Frustra* quoque multiplicantur influxus divini, cum unus, actioni nostræ identicus, sufficiat. Neque requiritur, ut volunt, supra dicta qualitas ad elevandam potentiam, quæ habitibus supernaturalibus careat, ad ordinem superiorem: siquidem sufficit elevatio actus per influxum agentis supernaturalis, quod est Deus [1].—*c)* Demum prævia illa qualitas *determinativa* est humanæ voluntatis: quod omnino abnuimus, ut videbitur infra.

3ª *Pars* concl. habet gratiam actualem elevantem taliter illabi actibus salutaribus ut eos efficiat intrinsece et *essentialiter supernaturales:* ita communiter.

1° Id requiritur ut actus illi, *qua morales* et liberi, proportionem habeant ad finem supernaturalem.—2° Illi actus

1—Cf. Mazzella, Disp. I, art. 5.

dici debent entitative et essentialiter supernaturales qui tum a principio supernaturali dependent, tum etiam ab *objecto formali supernaturalis* ordinis *specificantur*. Atqui actus salutares, sub influxu actualis gratiæ positi, hujusmodi sunt, quatenus a Deo quidem supernaturaliter agente procedunt, ad Deum quoque ex supernaturali motivo tendunt. Ergo tenendum est gratiam actualem penitus ingredi, penetrare et transformare actus nostros, adeo ut naturalis substantia illorum actuum modificetur per characterem supernaturalem, sicuti genus, indifferens ad plures species, per modum differentiæ specificæ essentialiter determinatur [1].

Conclusio 2ª.—ADMITTENDA EST GRATIA AB ACTUALI DISTINCTA PER MODUM DONI PERMANENTIS, QUOD RATIONEM HABEAT QUALITATIS ET HABITUS.—Gratiam illam esse donum de se permanens, *Suarez* ut verum *de fide* existimat post *Conc. Trid.* (Sess. VI et VII). Quod vero donum illud dicendum sit qualitas et habitus, jam ut *probabilius* pronuntiaverat *Conc. Viennense* sub Clemente V, eligens præ opposita sententiam de infusione virtutum et *informantis* gratiæ *quoad habitum*; nunc vero *certa* doctrina est apud omnes.

Prob.—1º Gratia Dei in *Scriptura* quasi *lux* quædam designatur, quatenus est principium spiritualis visionis ; ait enim Ap. (Eph. V, 8) : *Eratis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino*. Dicitur alibi *semen* vitæ æternæ, juxta illud (1 Joan. III, 9): *Semen ipsius in eo manet.* Dicitur quoque *sigillum* et *pignus* (2 Cor. I, 22) : *Signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Tandem exhibetur ut *fons aquæ salientis* (Joan. IV, 14). Atqui nomina illa, *lux, semen, sigillum, pignus, fons* certo certius exprimunt statum quemdam qualitativum et habitualem. Ergo.

2º *Patres* vel implicite vel etiam *explicite* idipsum senserunt. Nam *S. Cyrill. Alex.* (l. 9 in Joan.) docet per gratiam ita communicari Spiritum "ut *qualitas* veluti quædam divinitatis in nobis insit, et in Sanctis habitet ac perpetuo maneat". Et *S. Ambrosius* (l. 6 Exam. cap. 8): " Pictus es ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes

1—Cf. *Ibid.*, art. 2.

artificem atque pictorem, noli bonam delere *picturam*, non fuco sed virtute fulgentem, non cera expressam sed gratia."—Hinc in *Catech. Trid.* (de Bapt. n. 50) gratia describitur " divina qualitas in anima inhærens ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit."

3° En *ratio* S. Thomæ.—Conveniens non est Deum minus providere his quos diligit ad supernaturale bonum habendum quam creaturis naturali bono donatis. Atqui creaturis naturalibus sic providet ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam eis largiatur formas et virtutes activas quibus connaturaliter et facile ad prædictos actus inclinentur, secundum illud (Sap. VIII, 1): *Et disponit omnia suaviter.* Multo magis igitur illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum infundit aliquas formas seu qualitates habitusque supernaturales quibus suaviter et prompte ad tale bonum tendant: quarum formarum princeps et parens est gratia habitualis [1].

Solv. obj. (cont. 2^{am} concl.)—OBJ. 1.—Nulla qualitas agit in suum subjectum. Atqui gratia agit in animam justificando ipsam. Ergo.

RESP. *D. M*:... efficienter, *C*; formaliter seu per modum causæ formalis, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Gratia nobilior est quam natura animæ. Atqui anima est substantia. Ergo a fortiori gratia.

RESP. *D. M*:... quantum ad rationem speciei, *C*; quantum ad modum essendi, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1° In se quidem seu secundum *specificam* suam rationem nobilior est gratia quam anima, quatenus longe perfectius participat divinam bonitatem cujus est altissima expressio (cf. art. seq.).—At enim 2° participatio hæc divinæ bonitatis quæ est ipsum esse subsistens, unum prorsus et incommunicabile, fieri non potest in eodem perfectionis ordine nisi *accidentaliter*, quia secus multiplicaretur Divinitas. Unde gratia *ex parte subjecti* imperfectiorem essendi modum habet quam anima in seipsa subsistens.

OBJ. 3.—Qualitas, quando desinit esse in subjecto, cor-

1—Vid. plura in C. G. III, 150.—Cf. quoque Bellarm., *de Gratia et lib. arb.* l. I, c. 3-5.

rumpitur. Atqui repugnat gratiam corrumpi, quia ex nihilo creata in nihilum redigenda foret. Ergo.

Resp. *D. M* :... proprie, *N*; eo sensu quod subjectum desinit esse in actu secundum illud accidens, *C*.—*D.m* :... corrumpi improprie per modum accidentis, *N*; proprie eo modo quo substantia creata annihilatur, *C*.—*Neg. conseq.*

1° Quia accidentis est inesse subjecto, sicuti qualitas proprie non fit, ita *nec proprie* corrumpitur, sed subjectum tantum secundum illud accidens ab esse desistit : id applicandum est gratiæ.—Neque 2° obstare debet Scripturæ dictum (Gal. VI, 15) *Nova creatura*, quasi scil. gratia creetur subindeque proprie non perimatur nisi per annihilationem, quæ qualitati repugnat. Etenim gratia creari dicitur *secundum quid* tantum, quatenus homines secundum ipsam in novo esse constituuntur ex nihilo meritorum suorum, verum hæc divina qualitas fit dependenter a præjacente subjecto.

ARTICULUS III.

Utrum gratia sit idem quod virtus.

1° *a)* Constat dari gratiam ab actuali auxilio distinctam per modum *habitus* de se stabilis animæque inhærentis.—At habitus alius est *entitativus* seu ordinatus ad esse, alius *operativus* qui respicit operari ; unde dubitatio, num gratia habitualis dici debeat idem quod *virtus* seu habitus operativus bonus.—Dubium quidem intelligendum est non de virtute *acquisita*, spectante ad ordinem naturalem, sed de virtute *infusa* et supernaturali, præsertim de caritate.—Quæstio hæc intime connectitur cum doctrina philosophica de distinctione reali inter animam et ejus potentias [1].

b) Tres referuntur sententiæ, quarum una *Durandi* solo nomine gratiam a caritate distinguit ; altera *P. Lombardi*, *Henrici Gandav.*, *Molinæ* [2], *Bellarm.* [3] etc, distinctionem

1—Cf. I, Q. LXXVII, a. 1.
2—Q. XIV, a. 13, D. 38.
3—*De Gr. et lib. arb.*, l. I, c. 6.

rationis agnoscit, quatenus gratia dicatur secundum quod facit hominem Deo gratum, virtus autem secundum quod perficit ad bene operandum ; tertia demum *S. Thomæ* aliorumque plurium affirmat distinctionem *realem*.

2° Juxta hanc, quæ verior est, opinionem compertum habemus gratiam esse habitum entitativum ab operativo distinctum. Quare mox se præbet opportunitas quærendi *quid* sit in sua *specie ultima* habitus ille entitativus supernaturalis, quave ratione dici possit *participatio divinæ naturæ*, cum alii aliter id interpretentur.—Ex quo clarius elucescet ineffabilis illa atque vere incomparabilis dignitas ad quam gratia justum elevat et sublimat.

Conclusio 1ª.—GRATIA HABITUALIS REALITER DISTINGUITUR A VIRTUTE SEU A CARITATE.—Id saltem *probabilius* dicendum est, prout etiam insinuatur a *Conc. Vienn.* (Clem. de SS. Trin.), a *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7 et can. 11), necnon a *Conc. Mogunt.* (cap. 7 de Justif.) ; ubi distincte nominantur gratia informans et virtutes vel dona vel ipsa caritas.

1° Argᵐ probabile duci potest ex *Scriptura*, scil. (2 Cor. XIII, 13) : *Gratia D. N. J. C., et charitas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis.* Et (1 Tim. I, 14) : *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione* ; quibus in locis gratia et charitas tanquam duæ res exhibentur.—Neque obiiciatur in aliis textibus eosdem effectus, qui gratiæ communius tribuuntur, proprios quoque *charitatis* prædicari, puta expellere peccata, reddere Deo gratum, constituere filium Dei, facere hæredem vitæ æternæ, etc. Nam *a)* certum est gratiam non esse eumdem habitum cum *fide*, et tamen nonnunquam Scriptura tribuit fidei eosdem gratiæ effectus. *b)* Præterea, quæ ad gratiam immediate pertinent de charitate prædicari possunt vel quia hæc virtus inseparabiliter gratiæ conjungitur, vel quatenus actu suo munus exercet causæ dispositivæ respectu gratiæ ipsius vel causæ meritoriæ respectu vitæ æternæ.

2° Inter *Patres* occurrit citandus *S. Augustinus* (l. de Don. Persev. c. 16) : " Si gratia prævenit fidem, quoniam prævenit voluntatem, profecto prævenit omnem obedientiam, prævenit etiam *charitatem*, qua una Deo veraciter et suaviter obeditur." Porro hic sermo est non solum de gratia actuali, sed quoque de gratia illa qua prædestinati " fiant obedientes

atque permaneant," seu de gratia habituali.—Notanda insuper sunt verba *Catech. Trid.* (de Baptism. n. 51): "Huic autem (luci gratiæ) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur."

3° *Ratione* cum *D. Thoma* tripliciter argumentari fas est. *a)* Primo ex *habitudine inter gratiam et virtutes.*—Ea necesse est realiter ab invicem distingui, quorum unum propria ratione dicitur *in ordine* ad aliud præexistens. Atqui virtus infusa dicitur in ordine ad gratiam præexistentem. Ergo. *Decl. min.* Virtus, cum sit qualitas dispositiva subjecti, dicitur in ordine ad aliquam naturam præsuppositam, in quantum scil. subjectum disponitur secundum quod congruit suæ naturæ. Unde, quemadmodum virtutes acquisitæ per actus humanos sunt dispositiones hominis secundum naturam qua homo est; ita virtutes infusæ, altiori modo et ad altiorem finem datæ, disponunt hominem per respectum ad altiorem naturam, scil. ad ipsam naturam divinam in anima participatam. Atqui participatio illa divinæ naturæ vocatur gratia habitualis, secundum illud (2 Pet. I, 4): *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ergo.

b) *Secundo* ex *regeneratione.*—Per receptionem gratiæ, veluti novæ altiorisque naturæ, dicimur regenerari in filios Dei. Atqui regeneratio, sicut generatio, terminatur ad esse; virtus vero tendit ad agere. Ergo gratia ita distinguitur a virtute ut hæc nonnisi dispositive vel manifestative ad esse supernaturale referatur.

c) *Tertio,* ex *analogia* naturalium et supernaturalium.—Juxta suavem Providentiæ dispositionem, sicuti se habent virtutes acquisitæ ad lumen rationis, ita proportionaliter se habent virtutes infusæ ad lumen gratiæ. Atqui lumen naturale rationis est aliquid præter virtutes acquisitas quæ perficiunt hominem ad agendum secundum luminis illius exigentiam. Ergo lumen gratiæ realiter discriminatur a virtutibus infusis quæ disponunt hominem ad ambulandum secundum normam divinæ lucis (Eph. V, 8): *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate*[1].

1—Cf. *De Verit.*, Q. XXVII, a. 2.

Conclusio 2ª.—GRATIA DEFINIRI POTEST DIVINÆ NATURÆ PARTICIPATIO PHYSICA ET FORMALIS-MAJOR SEU IMPORTANS OBJECTIVE, NON SUBJECTIVE, CONVENIENTIAM CUM DEO QUODAMMODO UNIVOCAM.

Præmittenda.—1º *a)* Participatio divinæ naturæ distingui potest in *moralem*, et *physicam*, prout consideretur vel sola moralis rectitudo qua voluntas creata imitatur divinam justitiam, vel physica et supernaturalis entitas quam gratia ponit in anima.—*b)* Participatio autem physica *virtualis* tantum dicitur, si res participet id quod solum est virtualiter-eminenter in suo principio; dicitur vero *formalis*, quatenus suscipiatur id quod est formaliter in alio [1].—*c)* Amplius participatio formalis duplex esse potest, scil. *minor* et *major*, in quantum forma participata in participante reperiatur vel *analogice* tantum eo modo quo anima rationalis participat Dei intellectualitatem, vel *univoce* sive simpliciter sive saltem ex parte, videl. ex parte objecti, ea ratione qua duæ potentiæ conveniunt in uno eodemque objecto attingendo.

2º Gratiam esse *aliquam* naturæ divinæ participationem nullus (ait Billuart) negat propter expressa Scripturæ et Patrum testimonia. Sed quæ sit quove pacto intelligi debeat, dubitatur.—*a)* *Quidam* dicunt esse tantum moralem participationem sensu supra exposito, *alii et communius* physicam participationem docent. *b)* Quamvis autem juxta hos omnes, gratia nobilius participet divinam naturam quam anima ad imaginem Dei facta, plurium tamen, ut *Curiel*, *Suarez*, *Mazzella*, sententia est non posse per gratiam participari Deum sub ratione actus puri et infiniti; contra vero, alii affirmant; alii demum cum *Joan. a S. Thoma*, *Satolli*, etc, adhibita distinctione inter gratiam objective et subjective spectatam, id concedunt sub respectu objectivo tantum: cui sententiæ adhæremus.

Prob. concl. per partes.

1ª *Pars* est de participatione *physica*: quæ *certa* dici potest.

Nam 1º gratia in *Scripturis* nuncupatur *semen* divinum, quo spirituali nativitate *filii* Dei constituimur, juxta illud (1 Joan. III, 9): *Omnis qui natus est ex Deo peccatum*

1—Cf. De Deo, Disp. II, q. I, a. 1.

non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Porro semen est realis participatio naturæ quam communicat; filiatio quoque nostra adoptiva in reali quodam naturæ divinæ consortio fundatur, ea proportionali lege qua in humanis adoptio eamdem naturam in adoptato et adoptante supponit. Ergo.

2° Gratia, cum sit forma physica et supernaturalis a Deo producta, aliquam Dei perfectionem physice participare debet. Atqui, utpote prior virtutibus earumque fundamentum et radix, participet necesse est quod in Deo prius intelligitur et sub conceptu naturæ.[1] Ergo.

2ª *Pars* versatur circa participationem *formalem*, cujus multi propriam indolem ignorare videntur.—Dico igitur: *gratia est participatio formalis-major divinæ naturæ ipsiusque esse infiniti secundum convenientiam objectivam, non tamen subjectivam et entitativam.*

1° *a)* Nisi gratia formaliter participaret divinam naturam objectivâ saltem univocæ rationis convenientiâ, nihil peculiare præ se ferret sententia S. Petri (2 Epist. I, 4): *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*; siquidem et ipsa anima rationalis assimilatur naturæ Dei secundum supremum gradum intellectivum convenientiâ formali-analogicâ.—*b)* Præterea, *filiatio adoptiva* justorum præsupponere videtur communicationem naturæ divinæ, non absolute sed aliqualiter specificam, vi cujus homines *deificati* consequi valeant modo suo hæreditatem Filii Dei naturalis.—*c)* Hinc resultat maxima illa Deum inter et hominem conjunctio quam Christus tantopere commendat (Joan. XVII, 21) rogans *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.*

2° Definitio gratiæ sumenda est ex principali ejus effectu formali, qui velut nota differentialis habetur. Atqui principalis effectus gratiæ (quem alii, puta facere hominem justum, Deo gratum, filium adoptivum, templum Dei, præsupponunt) est participatio divinæ naturæ; qua quidem participatione homo in consortium divini esse secundum formalem et veluti specificam conformitatem objectivam vocatur. Ergo. *Ostend. min.* Deus primo constituitur per ipsum esse sub-

1—Cf. Gonet, *De Gratia*, Disp. II, a. 4.

sistens [1], in quo omnes essendi gradus radicantur, et cujus suprema nobilitas est gradus intellectivus. Ergo id participat formaliter et quasi specifica ratione, saltem objective, naturam divinam quod, tanquam remotum principium, creaturam ordinat ad consequendum intellectu et voluntate ipsissimum objectum divinum a quo specificatur Dei intellectus et voluntas. Atqui hujusmodi est gratia habitualis, remote quidem per se, proxime vero per virtutes ordinans hominem ad immediatam Dei intellectionem et dilectionem. Ergo gratia participat Deum secundum formalem et quasi univocam (objective) convenientiam sub respectu *naturæ* seu ipsius esse, dum fides participat ipsum sub respectu veri, caritas sub respectu boni, etc.—*Conf*: quia gratia se habet, non ad instar intelligibilis repræsentationis Dei, quem certe nulla creata species repræsentare potest [2], sed veluti virtus radicalis ordinata ad divinum objectum; unde sicuti nostra intellectualitas respicit pro objecto quidditatem sensibilem et intellectualitas Angeli quidditatem spiritualem, ita intellectualitas gratiæ fertur in quidditatem divinam. Atqui virtutes specificantur et definiuntur per habitudinem ad objecta. Ergo.

Dixi in concl. *objective*, non tamen subjective.—Etenim, quamvis gratia, ex parte Dei spectata, formaliter et quodammodo specifice participet naturam divinam ipsumque esse infinitum, tamen *subjective* et *entitative* aliquid est creatum, accidentis indolem præ se ferens; unde ex hac parte seu secundum essendi modum nonnisi analogice cum Deo convenit, neque idcirco animam ordinare potest ad intelligendum et amandum Deum eo modo infinito quo Deus se ipsum intelligit et amat [3].

3° Huc accedit auctoritas *S. Thomæ* qui non solum gratiam vocat *assimilationem (de Ver.* Q. XXVII, a. 6), participationem et *expressionem* divinæ naturæ (hic art. 2 ad 2), sed etiam ait *(ibid.)*: " Id quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem." Quibus verbis certe continetur doctrina a nobis exposita: quippe significatur gratiam, etsi subjective intra limites acci-

1—Cf. *De Deo*, Disp. II, Q. I, a. 4.
2—Cf. *Ibid.*, Disp. III, Q. II, a. 2.
3—Cf. Joan. a S. Thoma in h. art.

1 Ad paginam 130.

...ticipatio, in genere est actio per quam aliquid ...it partem in perfectionibus alicujus.

...viditur in: a/.-Moralem, et b/.-Physicam

...RALIS: habetur quando participans habet perfecti... entis participati per imitationem tantum, non per ...am ipsi inhaerentem, V.G. homines peccatores dicun... filii diaboli.

...YSICA:-illa est quae convenit ex natura rei par...patae, vel illa quae fit per entitatem receptam, ...inctam a participante et a participato, conveniens ...n cum participato non imitatione tantum sed ex na... rei, v.g. filius participat naturam patris sui phy...

...icipatio physica est: virtualis vel formalis.

...RTUALIS:-quando forma participata est in parti...o modo virtuali eminenti, v.g. semen virtualiter ...dit arborem.

...RMALIS:-quando forma participata est formaliter ...rticipato et in participante, v.g. aer participat ... formaliter.

...cipatio formalis est: minor vel major.

...MALIS-MINOR:-quando forma participata est in ...cipante analogice tantummodo, i.e. non de eodem ...e, v.g. intellectualitas est in homine et in Deo ...liter sed analogice.

...MALIS-MAJOR:-quando forma participata est in ...cipante univoce et est in participato, v.g. natu... ...tris in filio.

...lis -major est: simpliciter vel secundum quid.

...ALIS-MAJOR SIMPLICITER:-quando forma participa... ...bjective et objective est in participante et in ...cipato, v.g. natura humana in filio per respectum ...trem.

...LIS-MAJOR SECUNDUM QUID:-quando forma participa... ...m objective, vel solum subjective est in participante et in ...pato, v.g. luna in sole et in luna.

Major objective: illa est quâ forma participata est in participante secumdum eamdem rationem univocam specifice quoad speciem, sed non univocam quoad modum essendi, ita tamen ut subjectum participans mediante forma participata sit capax tendendi ad idem ens ad quod participatum tendit tanquam ad objectum specificans actum suum.
His definitionibus datis, ponatur thesis:

GRATIA DEFINIRI POTEST PARTICIPATIO PHYSICA ET FORMALIS-MAJOR NATURAE DIVINAE IMPORTANS OBJECTIVE CONVENIENTIAM CUM DEO QUODAMMODO UNIVOCAM.

Ia. Pars probatur: EST PARTICIPATIO PHYSICA.

a/.-De fide.-"Si quis dixerit hominem justificari sola imputatione justitiae Christi vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur et aliis inhaereat, anathema sit."

b/.-S. Scriptura:-Gratia dicitur "semen ipsius Dei" (Joan. I. 3).-"Ut efficiamini consortes divinae naturae" (Petrus).-"Nisi quis renatus fuerit a Spiritu Sancto".-"Dedit eis potestatem filios Dei fieri" (Joan. I.)-Atqui haec omnia intelliguntur de participatione physica. Ergo.

c/.-Ratione:-Participatio physica est illa quae convenit ex natura rei participatae, vel illa quae illa quae fit per entitatem receptam, distinctam a participante et a participato, conveniens tamen cum participato non imitatione tantum sed ex natura. Atqui gratia est hujusmodi: nam Deus non debet minus diligere hominem in ordine supernaturali quam in ordine naturali. Jamvero in ordine naturali, Deus creaturis concedit aliquod esse permanens, distinctum a se quo creaturae non tantum moventur sed etiam formas permanentes habent ad connaturaliter operandum

i: ordine ad finem ~~supernaturalem~~ ad quem ordinan-
tur.Ergo homo destinatus ad finem supernaturalem
ebet apud se habere formam proportionatam,unde
otest dici quod gratia est participatio quaedam
hysica.

Ia.Pars probatur: ~~EST~~ PARTICIPATIO FORMALIS.

a/.-S.Scriptura:-(2Petri,I.4.)-"Per eum (Chris-
tum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit,ut
er haec efficiamini divinae consortes naturae."
tqui natura sequitur formam ex qua resultat.Ergo
omo per gratiam formam Dei suscepit.

b/.-St.Thomas:-"Id quod est substantialiter in
eo,accidentaliter fit in anima participante divi-
am bonitatem."Atqui id quod est in Deo significat
ssentiam seu naturam seu formam.Ergo essentia vel
orma divina est in homine per gratiam.

c/.-Ratio:-Participatio physica-formalis habe-
ur quando forma participata est formaliter in
articipante et in participato.Atqui per gratiam
orma participata dicitur secundum eamdem ratio-
em specificam de Deo et de homine:nam per grati-
 radicaliter homo constituitur capax obtinendi
eidantibus virtutibus idem objectum formale quod
ttingit Deus.Jamvero objectum formale specificat
ctum et facultatem a qua procedit actus.Ergo per
ratiam anima hominis constituitur in eodem esse
 ipse Deus,quamvis accidentaliter.

ta Bene:Dico accidentaliter:nam substantia ipsa
i,cum sit actus purissimus,non posset communica-
 ut sic,nisi modo pantheistico,quod repugnat.Po-
st tamen per modum formae distinctae a forma di-
na informare animam humanam ipsique novum esse
ibuere.

Ia Pars probatur:PARTICIPATIO FORM.-MAJOR.

a/.-S.Scriptura:-(2Petri,I.4.)-"Ut efficiamini

divinae consortes naturae."Si participatio natur
Dei per gratiam non daret homini convenientiam cu
Deo univocam,scil.secundum eamdem speciem,quae co
municat creaturae esse novum et quasi divinum,non
possent intelligi haec verba Sancti Petri.Nam si
forma participata per gratiam daret solummodo con
venientiam analogicam cum Deo,quia jam analogice
convenit homo cum Deo in ordine naturali,verba S
Petri sine sensu essent,nihil reale exprimerent.De
facto vero,juxta omnes Scripturae interpretes,pl
significant quam dicunt.

"Videte qualem caritatem dedit nobis Pater,u
filii Dei nominemur et simus."Atqui filiatio sup
nit convenientiam univocam.

b/.-Ratio:-Participatio physica formalis-maj
habetur quando forma participata est in particip
te univoce et est in participato.Atqui per grati
homo participans fit univoce,communicans cum Deo
tem objective.Habetur communicatio univoca inter
homines et Deum si objectum formale specificans
operationem divinam et operationem hominis sancti
est omnino idem in se,quamvis diverso gradu perf
tionis attingatur a Deo et ab homine.Atqui quamv
Deus attingat se meliori modo quam homo,quia obj
tum formale intellectus Dei identificatur cum i
facultate et natura Dei,ita ut seipsum etiam com
prehendat,attamen per gratiam homo ad hanc eleva
onem evehitur ut essentia Dei objectum formale v
luntatis.Ubi vero habetur operatio formalis iden
ca specifice,ibi habetur natura identica.Ergo pe
gratiam homo participat naturam Dei formaliter
univoce.

Nota Bene:-Si quis quaerat cur gratia dicitur ad
tare hominem ad tales operationes faciendas,qua

- - - - - - - - - - -

sunt operationes ipsius Dei,respondetur:-Juxta communem theologorum sententiam,~~dicere~~ quod anima univoce per gratiam participat ad esse divinum est licere quod gratia ~~exhibit~~ ponit in anima humana quasi radicem operationum divinarum quae secus non explicarentur.Atqui communi~~s~~ theologorum sensu,res ita se habet:nam tres sunt praecipuae Dei operationes:a/.-se intelligere; b/.-se diligere;c/.-omnia propter se agere.Atqui homo vi gratiae haec tria habet:a/.-~~se~~ intelligit Deum,sub ratione entis perfectissimi in essendo;b/.-diligit Deum,summe bonum,non quatenus apparet ex creaturis,sed quatenus sese manifestat sub lumine rationis;c/.Omnia facit propter Deum.

IVa Pars probatur:FORMALIS-MAJOR OBJECTIVE.

Ratio:-Participatio physica formalis-major objective illa est qua forma participata est in participante secundum eamdem rationem univocam non quoad modum essendi,sed tamen quoad speciem,ita tamen ut subjectum participans mediante forma participata capax sit tendendi ad idem ens ad quod participatum tendit tanquam ad objectum specificans actum suum.Atqui gratia habitualis est hujusmodi:nam per gratiam anima remanens creatura ita elevatur in sua natura et per virtutes in suis facultatibus ut apta sit attingere idem objectum quo intellectus et voluntas Dei specificantur.

Va Pars probatur:PARTICIPATIO NATURAE DIVINAE.

a/.-S.Scriptura:-"Ut efficiamini divinae consortes naturae"-(2Petri.)-Atqui ex una parte textus Petri ad naturam divinam refertur;ex altera parte nihil pugnat contra sensum obvium.Er-

Interpretanda est S. Scriptura sensu obvio, nisi adsit ratio suadens contrarium. Atqui ....

go gratia est participatio ad naturam Dei.

b/.-Ratio:-Natura significat essentiam qua tum ad operationem adaptatur. Ergo qui operationem propriam alicujus anturae exercet merito dicitur hanc naturam habere saltem participative. Atqui homo per gratiam exercet operationes Dei proprias. Ergo habet apud se naturam Dei, saltem participative

COROLLARIUMI I.-Homo per gratiam potest dici similis Deo entitative, per qualitatem permanentem, operative per virtutes et praesertim fidem, qua participatur cognitio Dei, caritatem, diligendo Deum.

COROLLARIUM II.-Si aliae dentur definitiones gratiae, videndum est antequam admittantur: nam vel istae definitiones sunt gratiae repugnantes, ut definiti a Protestantibus data, quando dicunt gratiam esse imputationem sanctitatis Christu; vel sunt conformes doctrinae catholicae et possunt ad definitionem Sti. Thomae reduci, v. g. quando gratia dicitur indumentum justitiae, vel vestimentumsalutis.

COROLLARIUM III.-Unde patet sacramentorum dignitas maxima, maxima quae Dei misericordia.

Hermas Roy.-Di

8 Février 1916.

dentis creati conclusam, nihilominus ad ipsam divinam substantiam, utique formali convenientia, objective pertingere [1].

Solv. obj. (cont. 1^am concl.).—Obj. 1.—Juxta Aug. gratia salutifera est " fides quæ per dilectionem operatur " (l. de Sp. et Litt. c. 14 et 32). Atqui fides ista est virtus. Ergo.

Resp. *D. M:*... quasi gratia sit ipsa fides identice, *N;* sic nominatur, quatenus actus fidei formatæ primus est in quo gratia gratum faciens manifestatur, *C.—D.m :*... formaliter, *C;* quin ordinem dicat ad gratiam, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Cuicumque convenit definitio, convenit et definitum. Atqui definitio virtutis, nempe quod sit " bona qualitas mentis qua recte vivitur, " convenit gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M :* Cuicumque convenit definitio immediate et in recto...*C ;* mediate et in obliquo...*N.—C.d.m :*...convenit gratiæ *immediate* tanquam principio proximo boni operis, *N ;* *mediate* tanquam radici bonitatis in homine, *C.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Gratia gratum faciens non potest esse nisi in prima specie qualitatis. Atqui in prima qualitatis specie bonus habitus mentis est virtus. Ergo.

Resp. *D. M :*...proprie, *N*; reductive, *C.—D.m :* bonus habitus immediate operativus...*C ;* quicumque bonus habitus, *S.d :* in opinione antiquorum philosophorum, *C;* absolute, *N.—Neg. conseq.*

Gratia *reducitur* ad primam speciem qualitatis ; nec tamen idem est ac virtus, cum non immediate referatur ad actum, sed ad quoddam *esse* spirituale constituendum. Ideo autem veteres philosophi posuerunt in prima specie qualitatis habitus mentis solummodo operativos, quia, gratiam ignorantes, non cognoverunt nisi illa animæ accidentia quæ ordinantur ad actus naturæ humanæ proportionatos *(de Ver.* Q. XXVII, a. 2 ad 7).

1—Pulchre *S. Augustinus,* de hoc argumento dissertans, scribit (Ep. 140 ad Honor. c. 4, n. 10) : " Descendit ergo ille (Filius Dei) ut nos ascenderemus, et manens in natura sua factus est particeps naturæ nostræ, ut nos manentes in natura nostra efficeremur participes naturæ ipsius. Non tamen sic: nam illum naturæ nostræ participatio non fecit deteriorem ; nos autem facit naturæ illius participatio meliores."

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit in essentia animæ sicut in subjecto, an in aliqua potentiarum.

Sub hoc articulo, qui non est nisi *corollarium* præcedentis, quæstio proponitur de subjecto, non qualicumque, sed *proprio* et *immediato* gratiæ habitualis.—Ubi eos *adversarios* habemus qui realem distinctionem gratiæ et virtutum negant.

Conclusio.— GRATIA SUBJECTIVE INSIDET IN ESSENTIA ANIMÆ, SECUNDUM QUOD HÆC EST IN SPECIE INTELLECTUALIS VEL RATIONALIS NATURÆ.—Utraque pars vi gaudet *illationis theologicæ.*

Prob. 1ª *pars.*

1º Ex *regeneratione*.—Per gratiam habitualem regeneramur in filios Dei. Atqui generatio, qua genitum in esse constituitur, per prius terminatur ad essentiam quam ad potentias. Ergo gratia pro subjecto immediato habet essentiam animæ, non potentias ejus.

2º Ex *ratione propria gratiæ.*—Omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis, eam disponens et inclinans ad debitam operationem. Atqui gratia, ut constat ex supra dictis, realiter distinguitur a virtute, quatenus non jam ad agere, sed ad *esse supernaturale* immediate ordinatur. Ergo sibi exigit subjectum anterius potentiis, scil. ipsam animæ essentiam.—*Conf:* sicut enim homo secundum potentiam intellectivam participat *cognitionem* divinam per virtutem fidei, et secundum potentiam voluntatis divinum *amorem* per virtutem charitatis, ita etiam secundum animæ essentiam participare censendus est nobili similitudine *naturam* divinam; quippe, quæ in divinis unita sunt in creatis discreta inveniuntur.

3º Ex *proportione* inter gratiam et essentiam animæ (resp. ad 1–2).—Sicut ab essentia animæ effluunt potentiæ quibus mediantibus opera vitæ agit, ita a gratia effluunt virtutes potentiarum perfectivas, per quas mediate opera meritoria perficit. Atqui secundum hoc gratia comparatur ad potentias humanas ut movens ad motum, non ut accidens ad subjectum. Ergo.

Prob. 2ª pars.

Utar ratiocinio *cl. Satolli.*—Anima secundum essentiam differt specie ab aliis animabus brutorum et plantarum ; ita tamen quod in sua perfectiva simplicitate eminentius contineat totam virtutem essendi et operandi quæ in aliis divisim invenitur. At gratia convenit animæ in quantum humana est, capax *vitæ intellectivæ* et *divinæ.* Itaque, licet una eademque sit essentia animæ, qua est homo intelligens, sentiens et vegens ; attamen dicendum est animam esse subjectum gratiæ, in quantum est specie intellectualis vel rationalis.—Unde non potest esse gratiæ subjectum quælibet anima, si sumatur gratia in sensu proprio et simpliciter. Potest solum fieri, plantas et animantia bruta ordinari a Deo *instrumentaliter* ad aliquid altius quam ferat propria natura ; possunt etiam in propria singulis specie quamdam *perfectionem particularem* amplius accipere per divinam Providentiam, tum ut manifestentur opera Dei in illis, tum ad profectum hominis, in cujus utilitatem condita sunt.

QUÆSTIO SECUNDA

DE DIVISIONE GRATIÆ

In ipso tractatus limine indigitavimus plerasque divisionis species quæ circa gratiam communiter fieri solent, atque plura quoque ea de re, data occasione, in superioribus quæstionibus protulimus. Nunc præstat in trutinam vocare præcipuas quasdam ac specialiores partitiones quas S. Thomas explicite vel implicite sub præsenti quæstione proponit, quæque utrumque donum, tum habituale tum actuale, veluti potentiam et actum unde integratur gratiæ opus, secundum diversa rationum effectuumque momenta dividunt.

Gratia imprimis considerari potest respectu *finis* in quem datur, et sic dispescitur in *gratum facientem* et *gratis datam* (art. 1), quarum unaquæque pro diversa habitudine ulterius divisibilis est.—Nam gratia gratum faciens, si spectetur ordo ad *voluntatem*, dividitur in *operantem* et *cooperantem* necnon in *excitantem* et *adjuvantem* (art. 2); sin vero spectetur ordo ad *effectus* sibi succedentes, aut hoc est ratione *successionis*, unde gratia *præveniens* et *subsequens* (art. 3), aut ratione *efficaciæ*, unde gratia *sufficiens* et *efficax* (art. 4). Gratia quoque gratis data novem speciebus subjecta est (art. 5).—Quibus absolute perspectis, non remanet nisi consideratio *comparativa* inter unum et aliud gratiæ genus (art. 6).

ARTICULUS I.

Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem et gratis datam.

1° Em^{us} Satolli circa hanc divisionem advertit, ejus membra poni secundum quamdam *analogiam duarum specierum* sibi oppositarum sub genere unius rationis communis, quæ tamen se habent ut prius et posterius respectu finis quem per se gratia intendit.

2° Quoad vocum determinationem, pauca *prænotentur*.—*a)* Et primum gratia *gratum faciens* hic intelligenda est non *stricte* tantum pro ea qua formaliter justificamur et grati Deo reddimur, sed *late* pro ea quæ, quocumque modo, sive antecedenter, sive formaliter, sive consequenter, per modum habitus vel auxilii actualis, ad justificationem sui subjecti pertineat.—*b)* Secundo, quamvis dona naturalia sint aliquo modo *gratis data*, scil. non ex meritis personalibus collata, tamen naturæ jam constitutæ debita sunt; dona autem supernaturalia, quippe quæ utroque debito, tum naturæ tum personæ, carent, specialius sibi nomen gratiæ gratis datæ vindicant. Unde mirandum non est hanc gratuitatem assumi pro specie gratiæ (resp. ad 2).

Conclusio.—CONVENIENTER GRATIA DIVIDITUR IN GRATUM FACIENTEM ET GRATIS DATAM.—Ita theologi *communiter*.

1° Divisio hæc in *Scripturis* continetur, quæ utrumque gratiæ attribuunt, nempe *gratum facere* et *gratis dari*. Nam ait Ap. (Eph. I, 6): *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo*. Et (1 Pet. IV, 11): *Unusquisque, sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*.

2° Haud obscure *S. Basilius* divisionem illam et divisionis rationem tradit, dicens (de Spir. S. c. 9): "Quemadmodum illustria ac perlucida corpora radio illius (solis) illabente, tum ipsa splendida fiunt, tum alium splendorem a seipsis diffundunt; sic spiritum ferentes animæ a spiritu illustratæ, tum ipsæ spirituales efficiuntur, tum in alios gratiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, mysteriorum intelligentia, etc."

3° Sic argumentari licet.—*a)* Opera Dei optimo ordine consistunt, quatenus quædam per alia in finem communem aguntur, omnia vero a primo principio in illum finem promoventur. Ergo eadem ordinatio tribuenda est gratiæ, ut scil. per eam non solum accipiens justificetur, sed etiam is alios in Deum reducat. Atqui gratia, per quam homo ea donatus Deo conjungitur et justificatur, vocatur *gratum faciens*; alia vero, per quam unus homo alterius saluti cooperatur, dicitur *gratis data*, prout nomen generis ignobiliori speciei reservatur. Ergo. *Decl. min.* ex eo quod *per se primo* gratia gratum faciens refertur in bonum ipsius recipientis,

gratis data vero in bonum et utilitatem aliorum ; licet secundario gratia gratum faciens vergat in profectum alienum, gratis data vero in utilitatem habentis. Igitur posterior gratia, scil. gratis data, nonnunquam in peccatoribus reperiri potest, cum peccatores, etiamsi suam negligant, possint aliorum salutem procurare, ad instar eorum qui arcam Noë fabricaverunt, et tamen aquis diluvii submersi sunt.

b) Conf. ratio hæc S. Thomæ ; Apostolus enim (1 Cor. XII-XIV), de gratiis gratis datis et excellentiori gratia gratum faciente edisserens, comparat Ecclesiam corpori in cujus bonum multiformis gratia Dei confertur. Porro sicuti in corpore *physico* quædam hominis potentiæ ordinantur ad perfectionem individui, ut vis nutritiva et augmentativa, aliæ vero ad conservationem speciei, ut potentia generativa ; ita in corpore *sociali* bona duplicis generis sunt, quædam propria uniuscujusque personæ, et quædam directe in bonum aliorum et communitatis ordinata. Ergo duplicis speciei gratiam distingui conveniens est.

ARTICULUS II.

Utrum gratia convenienter dividatur per operantem et cooperantem.

1° Dividenda hic est gratia *gratum faciens*, cum habitualis tum præsertim actualis, per respectum ad humanam voluntatem, antequam aliæ partitiones ex parte effectuum accipiantur.—Quia vero divisioni in *operantem* et *cooperantem* gratiam affinis est altera gratiæ *excitantis* et *adjuvantis*, utraque propterea sub eodem capite investigabitur.

At vero 2°, *a)* licet omnes in admittenda gratia *operante* et *cooperante* conveniant, magna tamen in explicanda hac divisione opinionum confusio est. Omissis levioribus discrepantiis, tres præcipuas, juxta ea quæ supra de natura gratiæ actualis retulimus, in medium producemus. Schola *Molinæ*, quam sectantur *Suarez, Mazzella,*[1] etc, docet gratiam operan-

1—*De Gratia*, Disp. I, a. 5-6.

tem et cooperantem, entitative eamdem, distingui pro diverso munere et influxu, quatenus nempe operans dicitur quæ prævenit liberum nostrum arbitrium per actus indeliberatos intellectus et voluntatis, cooperans vero quæ arbitrio jam consentienti coagit nova actione quam alii identificant cum libero consensu, alii ab eo modaliter secernunt. Schola *Bannezii*, prout eam interpretatur *Joan. a S. Thoma* (Disp. XXIII), reponit gratiam operantem et cooperantem in duabus Dei motionibus seu qualitatibus transeunter impressis quarum una pro effectu habet motus subitos et indeliberatos, alia vero, adjecto influxu concomitante, producit motum liberum.—Opinio *S. Thomæ* [1] et *Cajetani*, cui proxime accessit *Bellarminus* (l. I, cap. 14), et quam præ aliis egregie exponit et tuetur *Card. Satolli*, [2] dum ponit eamdem entitative gratiam [3] ex duplici munere operantem et cooperantem denominari, ita divisionem istam de gratia actuali explicat ut tum cooperans, tum quoque operans gratia cum libero voluntatis actu consistat, imo sit ipsemet actus liber diversimode ad Deum moventem relatus.

b) Quod ad gratiam *excitantem* et *adjuvantem* attinet, *plerique* ex diversis theologorum scholis nullam realem differentiam inter hanc gratiæ divisionem et præcedentem agnoscunt; aliquod tamen discrimen admitti posse, breviter ostendemus.

3° Memorandum est, claritudinis causa, gratiam sumi posse vel *active* seu ex parte Dei agentis, vel *objective* et ex parte termini in quo constituitur per substantialem Dei actionem; a qua actione semel ac secernatur et distincta sumatur, ut in præsenti argumento, solum remanet ut sit vel qualitas vel actio potentiæ creatæ.

Conclusio 1ª.—GRATIA DIVIDENDA EST IN OPERANTEM ET COOPERANTEM; QUÆ DIVISIO PRIMUM ET PRÆCIPUE GRATIÆ ACTUALI, DEIN VERO GRATIÆ HABITUALI CONGRUE ADAPTATUR.—Thesis hæc, ut patet, tum generaliter de præfata *divisione*, tum specialiter de divisionis *modo* proponitur.

Prob. concl. generaliter.—Et 1° in hanc distinctionem

1—Salvo tamen meliori judicio.
2—*De gratia Christi prælectiones*, Q. III.
3—Cf. *De Verit.*, Q. XXVII, a. 5.

quadrant verba Ap. (Phil. II, 13): *Deus est qui operatur in vobis et velle* (gratia operans) *et perficere* (gr. cooperans). Et (1 Cor. XV, 10): *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*—2° Idipsum concinne declarat *S. August.* (l. de Gr. et Lib. Arb. c. 17), de Deo dicens: " Cooperando perficit quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur." Assentiuntur *S. Prosper*, *S. Bernardus*, etc.—Immo 3° favet *S. Cœlest. I* (Epist. ad Gallos) docens " agere Deum in nobis ut quod vult et velimus et agamus; ut et nos cooperatores simus gratiæ Dei." Cf. quoque *Conc. Arausic. II* (can. 4 et 9) et *Trid.* (Sess. VII, cap. 16 et can. 4).

Prob. concl. *specialiter* et per partes.

1ª *Pars* est *de gratia actuali*, sive quæ antecedit, sive etiam quæ sequitur justificationem; licet sub primo respectu distinctio proposita clarius pateat: sic proceditur.—Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra est mota, et non movens, solus autem Deus movet, operatio Deo attribuitur; et secundum hoc dicitur gratia *operans*. In illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ; unde habetur gratia *cooperans*. Atqui duplex ille effectus Dei moventis in creaturis rationalibus reperitur secundum genus causæ finalis et efficientis. Ergo *Min. ostenditur*.

Primo secundum genus *causæ finalis* (resp. ad 3).—Homo non potest in ordine salutis quidpiam velle et exequi nisi ex præsupposito fine supernaturali. Atqui ante quamcumque actuum seriem, præsertim si in peccato jaceat, homo est in potentia ad finem supernaturalem, neque idcirco ad illum se movere potest, sed indiget ut a Deo illustrante et inspirante moveatur. Ergo prima illa illustratio et inspiratio dicenda est gratia *operans*, qua voluntas, jam constituta in actu vel formali vel virtuali volendi finem, seipsam sub influxu gratiæ *cooperantis* ad alia movere potest.

Secundo, quoad genus *causæ efficientis*.—Est enim in nobis duplex actus: unus quidem *interior* et *elicitus* a

voluntate, cujus est accipere initium et continuationem, quique distinguitur secundum varios motus voluntatis, fruitionis et intentionis respectu finis, consensus vero, electionis et usus respectu mediorum [1]; alius autem est actus *exterior* et imperatus a voluntate. Atqui *a)* si comparetur actus interior, generatim sumptus, ad actum exteriorem, voluntas educta de sua potentialitate, et ad genus operis meritorii per Dei gratiam evecta, se habet ut mota, Deus autem ut movens, præsertim cum homo incipit bonum velle quod prius nolebat, et ideo gratia illa vocatur *operans*. Cum autem voluntas, jam per actum interiorem formata, imperat potentiis inferioribus et executivis, freta tamen auxilio Dei sive interius confirmantis voluntatem sive exterius obstacula removentis, gratia *cooperans* denominatur. *b)* Præterea, si spectetur solus actus interior, res ita se habet quod actus ille ut *incipiens* est quidem voluntatis, sed non se ultro in illum moventis; actus vero ut *consequens* procedit a voluntate quæ jam in actu posita sub agente Deo se sponte movet vel se in operatione continet (Satolli in h. l.): unde in primo casu necessaria est gratia *operans*, in altero vero sufficit gratia *cooperans*.

Tertio, subjiciam (contra adversos theologos) actum voluntatis sub gratia operante positum non solum intrinsecum et vitalem sed etiam *liberum* esse, quatenus Deus movet mentem nostram secundum modum ejus. Unde voluntas sub illo influxu dicitur mota potius quam se movens, non quasi non habeat spontaneitatem vitæ et libertatis, sed quia, carens spontaneitate agentis *præhabentis in se* omne sui motus principium, indiget hic et nunc a Deo recipere id ex quo opus suum supernaturale vel meritorium perficiat. Hæc est aperta *Cajetani* sententia *(Comm.* in h. art.) et in eamdem conferri possunt verba *S. Fulgentii* (l. 2 ad Monim. c. 10): " Prævenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur bene volentem operando in illo operis facultatem ".—Neque arbitrandum est aliter sentire *D. Augustinum* dicentem (*loc. cit.*): " Ut velimus, *sine nobis* operatur " ; quippe sensus est : sine nobis actum bonum incipientibus, non vero sine nobis consentientibus. Unde idem *Aug.* (Tract. 72 in Joan.) : " Ipsum

1—Cf. I-IIæ, Q. VIII-XVI.

credere in Christum opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non tamen sine nobis." Eodem criterio pensanda sunt verba *S. Gregorii* (Mor. l. X, c. 11): "Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus agat nobiscum." Prioritas enim illa gratiæ operantis aliud non est quam præveniens seu liberalis divini motus largitio ad quem voluntas potentialiter tantum se habet, et cui libere obsequitur.—Ex his aliisque supra dissertis (Q. I, a. 2) confutatæ manent oppositæ nobis sententiæ.

2ª *Pars* additur de *gratia habituali*, quæ et ipsa convenienter dispescitur in *operantem* et *cooperantem*.—Sane duplex est gratiæ illius effectus sicut et cujuslibet alterius formæ, scil. esse et operatio; sic v. g. caloris effectus est facere formaliter calidum et exterius calefacere. Atqui gratia habitualis, in quantum animam sanat vel justificat et gratam Deo *formaliter* facit, effectum hunc ipsa sola operatur absque libero arbitrio, quippe qui vel antecedit vel sequitur; in quantum vero principium est *effective* operis meritorii remote quidem per se, et proxime per virtutem, importatur operatio liberi arbitrii. Ergo sub primo respectu gratia habitualis est *operans*, sub altero vero *cooperans*.

Conclusio 2ª.—GRATIÆ OPERANTI ET COOPERANTI AFFINIS DISTINCTIO ADMITTENDA EST SECUNDUM GRATIAM EXCITANTEM ET ADJUVANTEM. Cf. Conc. Trid. (Sess. VI, cap. 5-6 et can. 4).

1º *Scriptura* utriusque generis gratiæ meminit: *excitantis* quidem (Eph. V, 14): *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*; et (Apoc. III, 20): *Ecce sto ad ostium et pulso*; *adjuvantis* vero (Ps. LXXVIII, 9): *Adjuva nos Deus salutaris noster*, et (Rom. VIII, 26): *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.*

2º Inter *Patres* referatur *S. Augustinus* (l. 2 de Pecc. Mer. c. 18): "Quod, inquit, ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus." Ita quoque *S. Bernardus* (l. de Gr. et Lib. Arb.).

3º Juxta cl. Satolli, gratia *excitans* tripliciter sumi potest: scil. *moraliter*, secundum quod ostendit tantum, interne vel externe, veritatem ad quam voluntas inclinetur; *physice*, quatenus reducit voluntatem de potentia ad actum, præsertim eam eruendo de somno peccati; *perfective* quoque, si volun-

tatem jam actuatam sublevet in altiorem gratiæ gradum aut in motum intensiorem. Porro, in primo et secundo casu, gratia excitans vel est ipsa gratia operans, vel ad eam reducitur; tertio autem sensu, est gratia cooperans secundum uberiorem influxum.—*Adjuvans* vero gratia pertinet vel reducitur ad gratiam cooperantem, ejusque sub nomine intelliguntur omnia Dei auxilia interna et externa, quibus justi, jam gratia excitati, reguntur, sustentantur et in finem promoventur.

Ex dictis *apparet* distinctionem illam gratiæ excitantis et adjuvantis ad solam gratiam *actualem* spectare, non ad habitualem; ex quo a distinctione gratiæ operantis et cooperantis discriminatur.

Solv. obj. (cont. 1am concl.)—Obj. 1.—Gratia est quoddam accidens. Atqui accidens non potest agere in subjectum. Ergo nulla est gratia operans.

Resp. *C. M.—D.m:* accidens per modum motionis non est ipse actus subjecti, *N;* accidens per modum qualitatis, *S.d:* non agit in subjectum effective, *C;* formaliter, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Gratia maxime operatur in nobis justificationem. Atqui gratia eam non operatur sine consensu liberi arbitrii. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:*...sine consensu liberi arbitrii veluti effectu, *C;* veluti concausa, *N.—Neg. conseq.*

Deus non sine nobis nos justificat, quia per motum liberi arbitrii, dum justificamur, Dei justitiæ consentimus, juxta illud Aug. (Serm. 15 de Verb. Ap. c. 11): " Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te ".—Verumtamen ille motus non est causa gratiæ, sed *effectus;* unde tota operatio ad gratiam pertinet.

Obj. 3.—Cooperari alicui videtur esse inferioris agentis. Atqui gratia principalius in nobis operatur quam liberum arbitrium. Ergo gratia non debet dici cooperans.

Resp. *D. M:* Cooperari per modum causæ ministerialis... *C;* per modum causæ primæ adjuvantis causam secundam, cui operandi principia præstituerit, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 4.—Divisio debet fieri per opposita. Atqui operari et cooperari non opponuntur. Ergo.

Resp. *D. M:* Divisio totius *universalis... C;* divisio totius *potestativi* seu causæ secundum suos effectus, *N.*—*D.m:...*scil. pertinent ad eamdem gratiam, *C;* neque distinguuntur secundum diversos effectus, *N.*—*Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum gratia convenienter dividatur in prævenientem et subsequentem.

1° Gratia ex parte effectuum *sibi succedentium* seu ratione ipsius successionis dispertiri solet in prævenientem et subsequentem; cui partitioni accedit altera minus vulgata secundum auxilium *sine quo non* et auxilium *quo:* de utraque dicendum est.

2° Sensu *restricto* quo plures gratiam prævenientem et subsequentem accipiunt, *præveniens* eadem est ac operans, *subsequens* vero eadem ac cooperans; et sic eam accepisse videtur *S. Gregorius M.* dicens (hom. 9 in Ezech.): "Ipse aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvans subsequitur ne inaniter velimus."—Simpliciter tamen latius patet illa distinctio, prout *S. Thomas* aliique intellexerunt.

Conclusio.—Conveniens est partitio gratiæ in prævenientem et subsequentem, necnon in auxilium sine quo non et auxilium quo.

1ª *Pars* seu prima gratiæ divisio eruitur ex ipso *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 5) et clarius (cap. 16): "Quæ virtus (Christi) bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur."

1° Suffragatur *Scriptura.* Nam gratia Dei ex ejus misericordia provenit. Atqui legimus in Psalmis ex una parte (LVIII, 11): *Misericordia ejus præveniet me,* ex altera autem parte (XII, 8): *Misericordia tua subsequetur me.* Ergo.

2° Non minus liquida sunt *Augustini* verba (l. de Nat. et Gr. c. 31): "Prævenit ut sanemur, quia et subsequitur ut etiam sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequetur ut

glorificemur." Consentit *S. Fulgentius* (l. 2 ad Monim. c. 9): "Deus donat indigno gratiam, ut præveniente misericordia bonum velle incipiat, et subsequente misericordia bonum, quod vult, facere valeat."

3° Gratia, qualitercumque sumpta, congrue partitur in prævenientem et subsequentem secundum diversos effectus qui sibi ordine et causalitate quadam succedant, quique diversis hominum indigentiis correspondeant. Atqui S. Thomas, post Augustinum, quinque præsertim effectus ejusmodi, ab invicem distinctos, connumerat: ergo. *Decl. minor.* 1us namque effectus gratiæ actualis et habitualis est ut anima sanetur et justificetur; 2us est ut bonum velit ea finis intentione et mediorum electione ad quam virtus gratiæ justificantis primo inclinat; 3us est ut bonum quod vult actu tantum interno, exterius et efficaciter operetur; 4us est ut in bono totius humanæ vitæ perseveret; 5us tandem est ut ad gloriam consecutione finis perveniat.—Itaque gratia, secundum quod causat in nobis primum effectum, vocatur *præveniens* respectu secundi, et prout causat secundum, dicitur *subsequens* respectu primi.—Sicut vero idem effectus posterior est aliquo et prior altero, ita gratia nuncupari potest præveniens et subsequens secundum eumdem illum effectum respectu diversorum.

2ª *Pars concl.* seu altera gratiæ partitio sumitur ex verbis *S. Augustini* (l. de Corr. et Gr. c. 12): "Aliud est adjutorium *sine quo* aliquid non fit et aliud est adjutorium *quo* aliquid fit... Primo itaque homini... datum est adjutorium perseverantiæ (in statu innocentiæ), non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur."

1° Falsa et hæretica est *Jansenii* positio qui, ad suadendum suum errorem de irresistibilitate gratiæ, distinctionem illam S. Augustini arripere præsumpsit: quasi nempe adjutorium *sine quo non* fuerit gratia collata Angelis et primo homini, sufficiens quidem, sed cui potuerint resistere; auxilium *quo* vero sit gratia efficax Christi Salvatoris, lapsis donata, cui resistere nequeant [1].

1—Vid. plura ap. Billuart, Diss. II præamb. art. 4.

2º Missis aliis minus rectis dicti Augustiniani expositionibus,[1] hanc præ cæteris conformiorem litteræ et menti Doct. Hippon. commendabimus. Scilicet S. Augustinus hic non agit de gratia Christi in genere, sed de perseverantia, atque gratiam Adamo innocenti ad perseverandum concessam opponit non dono perseverantiæ, quod omnibus justis nunc datur, sed *perseverantiæ finali* quæ propria est prædestinatorum. Ergo auxilium *sine quo non* comprehendit omnia ea quæ ad bonam vitam ducendam et perseverandum aliquamdiu concurrunt et dici potest gratia præveniens respectu alterius; quippe auxilium *quo* significat ipsam perseverantiam finalem per modum magni doni subsequentis, quo caruit Adam innocens, gaudent vero multi posteri reparati.

Solv. obj.—Obj. 1.—Gratia est divinæ dilectionis effectus. Atqui Dei dilectio semper est præveniens, juxta illud (1 Joan. IV, 10): *Ipse prior dilexit nos.* Ergo.

Resp. *D. M* :...est effectus temporalis, *C;* coæternus dilectioni divinæ, *N.—D. m* :...in se, *C;* quin unus ex ejus effectibus possit alterum subsequi, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Gratia gratum faciens, de se sufficiens, est una tantum in homine. Atqui idem non potest esse prius et posterius. Ergo.

Resp. *D. M* :...secundum essentiam seu formæ rationem, quæ etiam in patriâ eadem numero perseverat, *C;* secundum effectus suos, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Infiniti sunt effectus gratiæ. Atqui infinita non congruit in species dividere. Ergo.

Resp. *D. M* :...possunt in infinitum multiplicari, *C;* quin reduci valeant ad aliqua determinata in specie et ad communiorem rationem prioris et posterioris, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

1—Cf. Satolli in h. art.

ARTICULUS IV.

De gratia sufficiente et efficaci.

1° Locus hic est denuo agitandi celebrem diuque controversam quæstionem de actione Dei in creaturis liberis, et doctrina jam alibi exposita (*de Deo*, Disp. IV) circa operationem Dei in genere modo applicanda subit ad operationem supernaturalem gratiæ.—Pauca quidem *D. Thomas*, nondum exortis Novatorum et Jansenistarum erroribus, de gratia sufficiente et efficaci nobis reliquit, quam tamen gratiæ distinctionem minime ignoravit, immo expresse proposuit, puta (*Comm.* in 1 Tim. II, 6); nos vero illam ex principiis S. Doctoris infra comprobabimus.

2° Antequam disputationis initium ordiamur, monitum lectorem volumus quæstionem, quæ præ oculis est, libera opinionum discrepantia intra cancellos catholici dogmatis versari ideoque abstinendum esse a severius taxanda una alterave theologorum sententia, v. g. quod Molinismus redolere dicatur Semipelagianismum vel Bannezianismus Calvinismum. Nam post acerrimas Congregationum *de Auxiliis* controversias, suspenso in aliud tempus judicio, Paulus V injunxit (1606) " ut in hujusce argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua vel censura notare audeat ".

3° Errores opinionesque enarrentur.

Hæreticorum positiones.—*a) Pelagiani* et *Semipelagiani*, negantes necessitatem gratiæ vel absolute vel saltem quoad salutis initium, non aliam vim sive sufficientem sive efficacem simpliciter admiserunt præter liberum arbitrium, ex quo repetebant, alii omnem, primum alii voluntatis consensum absque interiori prævenientis gratiæ auxilio.—*b) Novatores* e contra liberum arbitrium pessumdederunt; namque Lutherus ponere ausus est voluntatem nostram sub gratia *passive* tantum se habere, *Calvinus* vero et *Kemnitius*, doctrinam magistri sui mitigantes, docuerunt voluntatem agere quidem, sed *necessario*; unde in hoc systemate nulla datur gratia nisi *efficax* et necessitans. Nec multum differt *Jansenistarum*.[1]

1—Cf. Proœmium, ubi relatæ sunt 5 propp. damnatæ Jansenii.

positio; quorum theoria de duabus delectationibus, terrena una et mala, cœlesti vero bonaque altera, eo ducit ut concedatur sola gratia efficax per bonam delectationem necessario victrix. Quippe *sufficiens* gratia, si quam admittant [1], confert solum potentiam *absolutam* ad bonum, non vero *relativam* seu qua valeat homo contrariam delectationem superare, ideoque vere sufficiens non est. Huc pertinet prop. 6ª inter damnatas ab Alexandro VIII: "Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut possimus petere: A gratia sufficiente libera nos, Domine".

II°. *Catholicorum sententiæ*.—Hæ quidem, tametsi in magno sint numero, ad sequentia tamen revocari possunt capita.

a) Occurrit imprimis *Molinismus*, a *Molina* multisque tum antiquis tum recentioribus propugnatus; cujus systematis fundamentum est *scientia media*, qua Deus dicitur infallibiliter et determinate cognoscere futura libera conditionata ante omnem suæ voluntatis dispositionem. [2] Igitur, juxta Molinistas, [3] gratia efficax non distinguitur ex se a sufficiente neque est ab intrinseco efficax, sed *ab extrinseco* tantum seu a præviso creatæ voluntatis consensu: prævidet enim Deus per scientiam mediam, quibus auxiliis de se indifferentibus voluntas consensura sit vel dissensura; unde benevole decernit eam concedere gratiam quæ ex consensu libero reapse effectum consecutura sit. Quapropter in eo systemate non ideo voluntas consentit quia gratia est efficax, sed ideo gratia est efficax quia voluntas, utique præventa et adjuta, consentit.—Systema Molinæ *Suarez* per *congruismum* quemdam temperare voluit, quatenus efficacia gratiæ repetatur non a solo consensu dato, sed etiam a circumstantiis congruis temporum et personarum in quibus gratia confertur quasque Deus ipse ordinat; unde, juxta congruistas, discrimen aliquod *in actu primo* existit inter gratiam sufficientem et efficacem. Verum quia congruitas illa involvere nequit infallibilitatem effectus nisi per habitudinem ad prævisum consensum voluntatis, idcirco congruismus non differt essentialiter a Molinismo.—Alia *Molinismi temperatio* proposita est a *Lemoine*,

1—Vid. Billuart, Diss. V, a. 2;—Mazzella, Disp. III, a. 1.
2—Cf. Tract. nost. *De Deo*, Disp. IV.
3—Cf. Mazzella, Disp. III, a. 7.

Tournely, S. Alph. de Ligorio, etc, qui distinguunt duplicem gratiam, aliam ex voluntatis consensu efficacem, aliam efficacem ex se. Illam quidem dari censent ad opera faciliora, præsertim ad orationem ; qua gratia omnibus concessa si homo uti velit, impetrabit gratiam ex se efficacem ad reliqua opera difficiliora.

b) Sequitur *Bannezianismus* qui, dum rejicit scientiam mediam omnemque hypothesim scientia ilia suffultam, statuit imprimis Deum futura libera cognoscere in suis decretis prædeterminantibus summamque divinæ operationis efficaciam reponit in duabus motionibus quarum una sit *prædeterminans* voluntatem, alia autem simultanea [1]. Idcirco, in illo systemate, differentia qua gratia efficax a sufficiente distinguitur non solum *ab intrinseco* petitur, sed etiam quodammodo *formalis* est, in quantum superaddit gratiæ sufficienti, qua datur facultas agendi, qualitatem quamdam transeuntem qua voluntas physice præmoveatur ut agat.—Ita multi ex Thomistis.

c) Verior *Thomismi* forma quæ a *Cajetano, Satolli* aliisque exponitur, in eo cum Bannezii sententia convenit quod rejicit scientiam mediam, atque efficaciam divinæ operationis et gratiæ *intrinsecam* propugnat. Verum ab illa sententia differt, in quantum, licet non abnuat præmotionem quamdam moralem seu suasoriam, negat tamen prædeterminationem physicam voluntatis, solamque *cooperationem* Dei seu gratiæ efficacis intimam admittit [2]. Quare juxta istud systema, quod mentem S. Thomæ rectius promere videtur, differentia inter gratiam sufficientem et efficacem est intrinseca quidem, sed *effectiva*, qualis viget inter principium activum et ejus connaturalem actum, ad quem essentialiter ordinatur, quemque, nisi quidpiam obstet, assequitur.—*Thomassinus* [3] præfatæ sententiæ consentit ea parte qua respuit scientiam mediam et physicam prædeterminationem atque efficaciam gratiæ repetit ex vi ipsa divinæ actionis : quam mirificam gratiæ vim explicat per *varietatem, multitudinem* et *consonantiam auxiliorum* sive internorum sive externorum quibus Deus de

1—Cf. *De Deo*, Disp. VI.
2—Cf. *ibid.*
3—In op. *Mémoires sur la Grâce*, 4e Mém., ch. 62, 63, 86, 97, etc.

voluntate triumphat. Clarus ille theologus propius ad veritatem accessisse censebitur; quin tamen satis attenderit posse Deum una efficaci et intrinseca motione voluntatem libere convertere.—*Bellarminus* quoque plura profert, præsertim (de Gr. et lib. arb. l. I, cap. 12-14), veritati consonantia; quamvis aliunde in congruismum quemdam molinisticum, Suarezii ad instar, inclinet.

d) Tandem *Augustinianismus*, cujus *Berti* unus ex defensoribus fuit, mediam inivit viam inter Molinismum et Thomismum. Patroni illius systematis, male exponentes nonnulla Augustini verba, docuerunt quidem protoparentes ob suam perfectionem non indiguisse nisi gratia versatili et efficaci ex voluntatis consensu; verum, quod ad homines lapsos pertinet, gratiam *ex se efficacem* tuentur. Hanc efficaciam declarare prætendunt per sanctam *delectationem relative victricem* quæ infallibiliter, etsi *moraliter* tantum, agere dicitur, integram relinquens liberi arbitrii potentiam. Hinc tenent a gratia sufficienti efficacem differre secundum varios intensitatis gradus, cum prior, cui non desunt pii quidam motus, impar tamen sit ad superandam carnis cupiditatem, posterior vero eamdem cupiditatem vincat.[1]

4° Proximum est ut de utraque gratia, sufficiente et efficaci, singillatim agamus quærendo *an* et *quid* sint.

Conclusio 1ª.—ADMITTENDA EST GRATIA VERE MEREQUE SUFFICIENS; CUJUS INDOLES DESCRIBITUR ET DEFINITUR.—*Vere sufficiens* gratia dicitur quæ homini confert completam agendi facultatem non solum absolute, sed etiam relative seu attentis circumstantiis; *mere sufficiens* vero seu inefficax vocatur ea gratia quæ prohibetur per voluntatis resistentiam ne effectum intentum consequatur.

Prob. concl. per partes.

1ª *Pars* est *de fide* contra *Novatores* et *Jansenistas;* id constat tum ex *Conc. Arausic. II* (can. 25) et *Valent. III* (can. 2), tum ex *Conc. Trid.* dicente (Sess. VI, cap. 5) quod homo inspirationem divinam "abjicere potest," (cap. 11) quod "Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur," (cap. 13) quod "Deus, nisi ipsi illius

1—De opinionibus scholarum circa efficaciam gratiæ plura utilia reperies ap. Knoll, Sect. I, cap. III, a. 2.

gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet."—Accedunt propp. *Jansenii* et aliæ *Quesnelli* a RR. PP. damnatæ.

1° Ex *Scriptura* arguemus.—Legitur enim (Is. V, 4): *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* Porro, nisi Deus vere sufficiens gratiæ auxilium Judæis præstitisset, plura vineæ suæ facere debuisset atque frustra bonos pœnitentiæ fructus exspectasset. Item (Prov. I, 24-25) Deus ait: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum,* etc.—In N. T. Christus (Matth. XXIII, 37-38) exclamat: *Jerusalem, Jerusalem...quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta;* et (1 Thess. V, 19) Ap. inquit: *Spiritum nolite exstinguere.* Demum idem probat Stephani increpatio (Act. VII, 51): *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Sp. Sancto resistitis.*

2° Ex *Patribus* innumera fere sunt quæ adduci possent: [1] hæc sufficiant. *S. Ambrosius* (Serm. 19 in Ps. CXVIII, n. 4) ait: " Numquid si quis ostia domus suæ claudit, solis est culpa quod non illuminet domum ejus? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem; causari poterit quod sol justitiæ noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cœlestis arguere?" *S. Augustinus,* cujus nomine abusus est Jansenius, (l. III de Lib. Arb. c. 16) hæc habet: " Ex eo quod non accipit, nullus reus est; ex eo autem quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem." Cf. quoque (l. 83 Quæst. q. 68) et (l. de Sp. et Litt. c. 34). — Mens *S. Thomæ* aperte colligitur ex (I-IIæ, Q. CVI, a. 2 ad 2), ubi scribit: " Gratia N. T., etsi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono ut homo peccare non possit: hoc enim pertinet ad statum gloriæ. Et ideo si quis post acceptam gratiam N. T. peccaverit, majori pœna

1—Vid. Knoll, *loc. cit.* a. 4.

est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, et *auxilio sibi dato non utens*; nec tamen propter hoc dicitur quod lex nova iram operatur, quia, quantum est de se, *sufficiens* auxilium dat ad non peccandum."

3° *Ratione* evincitur gratia sufficiens seu inefficax, duplici ex capite.

a) Primo ex *utilitate* quam affert sive antecedenter sive consequenter (contra Jansenistas).—*Antecedenter* quidem: gratia enim illa effectus est sinceræ ac misericordis Dei voluntatis, qua salvare hominem intendit modo ei consentaneo, i. e. conditionate, seu nisi homo libere gratiæ resistat; unde importat reale auxilium sive actuale sive habituale, quo vera præstatur potentia operandi bonum: quæ certe tum *Dei munificentiam* erga nos, tum acceptam a Deo *perfectionem nostram* ostendunt.—*Consequenter* vero; quia, posita libera resistentia et culpa ejus qui gratia sufficiente uti poterat, jure Deus gratiam efficacem denegat, suamque in puniendo *justitiam* demonstrat.

b) Secundo ex *incommodis*[1] quæ sequerentur, deficiente gratia inefficaci.—1um est quod primus homo, gratia efficaci destitutus, non sua culpa cecidisset; - 2um est quod Deus amicos suos seu justos, quando peccant, desereret antequam deseratur ab eis; - 3um est quod nemo se merito posset reprehendere, quia gratiæ Dei non sit cooperatus, quantum potuit et debuit: quæ omnia repugnant.

2ª *Pars* versatur circa *naturam* gratiæ sufficientis: quam ex doctrina Em. Satolli, aliis commendabiliori, sequenti processu declarabimus.

1° *Sufficiens* gratia dicitur, respectu efficacis, completum principium ad eligendum et exequendum bonum salutare, propter quod datur, et quod reapse fit per influxum Dei efficacem, nisi voluntas obicem ponat. Atqui id *quadrupliciter* intelligere fas est, dispari tamen verborum proprietate: *a) primum* quidem, *generaliori* sensu et in ordine ad prædestinationem, gratia sufficiens potest significare justificationem et meritum; qua in hypothesi efficax gratia nuncupabitur donum perseverantiæ finalis et gloriæ. Et hoc, licet rariori, significatu præfata distinctio coïncidit cum alia secundum auxilium *sine*

1—Ita Bellarminus, l. I, cap. 11.

quo et auxilium *quo* ab Augustino tradita (cf. art. præc.). *b) Secundo*, distinctio eadem sumi potest pro gratia habituali et actuali, in quantum habitualis gratia sufficiens est ad vitanda gravia peccata et bene operandum, actualis vero est seipsâ efficax seu ipsa boni effectio ad quam altera ordinatur. *c) Tertio*, si de sola gratia habituali loquamur, hæc poterit dici sufficiens, in quantum est operans et perfectiva potentiarum ; efficax vero, ut est cooperans seu inclinans ad actum. *d)* Tandem *communius* distinctio illa accipitur de sola gratia actuali, et eam satis clare indicat *S. Thomas* in præs. quæst. (art. 3). Itaque isto sensu sufficiens gratia habenda est quæ est actualis operans seu qua Deus bonas cogitationes et sanctas affectiones primum in nobis excitat ; efficax vero qua Deus cooperatur libero arbitrio usque ad boni electionem et exterioris actus executionem.

2° Ut clarius pateat *habitudo* gratiæ *sufficientis ad efficacem*, tria subjiciam.—*a)* Imprimis gratia etiam mere sufficiens intelligenda non est velut aliquid iners et sterile ; siquidem quatenus informat animam (gratia habitualis) vel eam movet (gratia actualis), efficaciam sortitur sive formalem sive efficientem ; sufficiens tamen dicitur respectu ulterioris perfectionis ad quam de se conducit.—*b)* Hinc etiam ex ea parte qua ad perfectiorem actum ordinatur, quamdam efficaciam sibi vindicat ; imo radicaliter et prædispositive eadem dici potest ac gratia efficax. Verum, quia in subjecto plus minusve participatur secundum modum ejus, idcirco fieri potest et sæpe fit ut, obstante animæ indispositione liberaque hominis resistentia, vel nullum vel remissiorem effectum obtineat, quin gratiâ efficaci præcipue intentâ compleatur.—*c)* Igitur defectus gratiæ efficacis refundendus est, non in gratiam sufficientem quasi vere sufficiens non sit, sed in voluntatem hominis aut male aut minus dispositam quæ divinæ actionis cursum intercipit. His consonant verba *S. Thomæ* (1 S. D. XL, Q. IV, a. 2) : " Hominem carere gratia ex duobus contingit : tum quia iste non vult recipere, tum quia Deus non sibi infundit vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est ; sed quod iste careat gratia, non est bonum *simpliciter* :

unde hoc, absolute consideratum, non est volitum a Deo. Est tamen bonum ut careat gratia, si eam *habere non vult*, vel si ad eam habendam *negligenter se præparat*, quia justum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo quod hujus defectus absolute *prima causa* est ex parte hominis qui gratia caret; sed ex parte Dei non est causa hujus defectus nisi *ex suppositione* illius quod est causa ex parte hominis." 1

Conclusio 2ª.—ADMITTENDA EST, INVIOLATA MANENTE LIBERTATE HUMANA, GRATIA EFFICAX, QUÆ SUAM EFFICACIAM AB INTRINSECO DESUMIT, EAMQUE INFLUXU INTIMO AC PHYSICO, NON PHYSICE PRÆDETERMINATIVO, EXSERIT.

1ª *Pars*, scil. *dari gratiam efficacem* seu quæ effectum salutarem absque impedimento consequitur, *fide* tenenda est contra omnes gratiæ osores; neque longa demonstratione indiget.—Nam ex superius probatis (Disp. II) constat, sine gratia supernaturali nullum opus salutare perfici, imo nec initium fidei haberi, neque perseverantiam finalem obtineri posse. Atqui, teste Scriptura et Ecclesia, reperiuntur homines qui fidem supernaturalem tenent, opera salutaria perficiunt, et in bono perseverant. Ergo datur gratia efficax, quæ salutares istos effectus producit.

2ª *Pars* habet gratiam efficacem hujusmodi esse ut *non tollat liberum nostrum arbitrium*: quod *de fide* est contra *Novatores* et *Jansenistas*, prout maxime constat ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 5-6 et can. 4).

Revera 1° id veluti *corollarium* sequitur ex dictis *(de Deo*, Disp. V, Q. I, a. 8, et *de Gratia* procem.). Ibi enim, libertatem considerantes sub adspectu metaphysico et historico-morali, demonstravimus hominem sub Dei actione liberum retinere voluntatis arbitrium, quin peccatum Adæ proprietatem hanc creaturæ rationalis destruxerit. Atqui actio Dei supernaturalis seu per gratiam operantis eam proportionaliter servat habitudinem ad voluntatem nostram quam ipsa Ejus actio naturalis. Ergo etiam sub respectu *theologico* incolumis dicenda est libertas humana.

2° Præter alia *Scripturæ* testimonia jam *(loc. cit.)* allata, esto sequens de Hebræis fœdus cum Deo ineuntibus (Deut.

1—Cf. *De Malo*, Q. III, a. 1 ad 8.

XXVI, 17): *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias ceremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio;* quod certe intelligendum est de homine gratia efficaci prævento et adjuto: potestas autem *eligendi* in eo agnoscitur.

3° Ex *traditionis* thesauro depromam unam aliamve *Augustini* sententiam. Sic (l. 2 de Act. cum Felice Manich. c. 4) ait: " Habet unusquisque in voluntate aut *eligere* quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, et esse arbor mala." Et (l. de Sp. et Litt. c. 30): " Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus."

4° Huc spectant, *auctoritate* simul et *ratione* præcellentia, *Leonis XIII* verba (Encycl. *Libertas præstantissimum* [1]): " Princeps est atque excellit divinæ virtus *gratiæ;* quæ cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditioren efficit simulque tutiorem nativæ libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinæ vis gratiæ, quia ab ipso et animi et voluntatis nostræ Auctore manat, a quo res omnes convenienter naturæ suæ moventur. Immo gratia divina, ut monet *Angelicus Doctor*, ob hanc causam quod a naturæ opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores, vim, efficientiam singularum."—Præter hoc argumentum *a priori*, alia plura suppetunt tum ex *sensu intimo*, tum ex ratione *præcepti* et *prohibitionis*, *meriti* et *demeriti*, *præmii* et *supplicii*, quæ cum gratia necessitante incompossibilia sunt.

3ª *Pars* concl. adserit gratiam *de se efficacem* contra *Molinistas* et *Congruistas*, solidisque argumentis nititur, tum iis *communibus* quibus Dei in creaturis liberis operationem, generatim sumptam, descripsimus *(de Deo*, Disp. VI, a. 4-5), tum aliis *specialibus* quæ nunc præ lectorum oculis ac judicio producemus.

1° Præsto sunt *arg. biblica.*—In V. T. sic Deus loquitur (Ezech. XXXVI, 26–27): *Dabo vobis cor novum, et spiri-*

1—*De libertate humana.*

tum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum... Et faciam ut in præceptis meis ambuletis : quibus verbis Deus talem promittit gratiam quæ voluntatem rebellem in consentientem immutet et cum effectu salutari infallibiliter conjungatur.—In N. T. audiatur Apostolus (1 Cor. IV, 7): *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Porro, nisi gratia ex sese efficax foret, jam homo aliquid haberet in ordine salutis quod non accepisset, in quo gloriaretur, et quo seipsum ab altero, forte æquali gratia prævento at non consentiente, discerneret, nimirum haberet voluntatis consensum non a gratia efficaci effectum, sed effectorem hujus efficaciæ. Ergo.—Præterea legitur (Phil. II, 13) : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate :* unde sic arguo. Velle, communi loquendi usu, significat voluntatis actum libere positum. Atqui Deus dicitur suâ gratiâ velle illud operari. Ergo efficacia consensus a gratia, nedum gratiæ efficacia a consensu, repetenda est. (Vid. plura apud S. Alphonsum de Ligorio,[1] Knoll, etc.)

2° Facile comperitur *traditionem ecclesiasticam* doctrinæ nostræ favere.

a) Quantum enim ad *Patres*, non pauca ab eis prolata intrinsecam gratiæ efficaciam suadent ; hujusmodi sunt quæ refert Knoll (cap. III, a. 1) ex *S. Justino M.*, ex *Tertulliano, S. Basilio, S. Hieronymo*, etc. Nos vero in sola *Augustini* auctoritate immorabimur. Ait ille [2] (l. de Gr. et lib. arb. c. 16): " Certum est nos velle, cum volumus ; sed *ille facit ut velimus* bonum... Certum est nos facere, cum facimus ; sed *ille facit ut faciamus*, præbendo vires *efficacissimas* voluntati." Item (l. de Præd. SS. c. 8) : " Hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur ut *cordis duritia primitus auferatur.*" Et (l. de Corr. et Gr. c. 12) : " Tantum Sp. Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint quia sic volunt ; *ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint...* Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut

1—*Contr. hæreticos*, Sess. VI, n. 115 et seq.
2—Cf. quoque *De Deo, l. cit.*

divinâ gratiâ *indeclinabiliter* et insuperabiliter ageretur." Atqui gratia libero arbitrio permissa seu versatilis, qualem Molinistæ prædicant, nec ipsa primario facit ut velimus seu consentiamus, neque recte dicitur duritiam cordis frangere, neque vim habet de se efficacissimam et indeclinabilem. Ergo.

b) Quantum ad *Doctores*, eorum ducit aciem *Thomas Aquinas* qui, absque ullo scientiæ mediæ vestigio, tam alte divinæ operationis efficaciam extollit ut non possim non mirari quod cl. Mazzella (Disp. III, a. 9) eum in suas partes pertrahere contenderit. Sane, præter ea quæ (*de Deo*, Disp. IV-VI) passim attulimus, quæque mentem S. Doctoris palam ostendunt, en alia prorsus evidentia. Ait enim (*De Ver.* Q. XXII, a. 8): "Omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est a voluntate ut immediate agente, sed a Deo ut a primo agente, qui *vehementius* imprimit: unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita, et *multo amplius*, Deus. " Præterea (in III ad Eph. Lect. 7), distincto duplici gratiæ auxilio secundum exequendi facultatem et ipsam operationem, subdit: " Facultatem dat Deus infundendo virtutem et gratiam per quas efficitur homo potens et aptus ad operandum; sed *ipsam operationem* confert, in quantum operatur in nobis interius movendo et instigando ad bonum." Et (in Rom. IX, Lect. 3): " Manifestum est, inquit, quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus. Divinum autem beneficium non solum extendit se ad infusionem gratiæ qua homo justificatur, sed etiam ad *gratiæ usum:*" plura omitto. [1]—D. Thomæ consenserunt explicite vel implicite celeberrimi Doctores, tum qui prius vel simul cum ipso, tum qui posterius, ante exortas rixas Molinam inter et Bannezium, floruerunt [2]. Speciminis gratia, postquam alibi (*de Deo*, Disp. IV et VI) retulerim verba S. Bonaventuræ, hic recitabo quæ habet *B. Alb. Magnus.* Doctor Universalis ita imprimis scientiam Dei adstruit ut eam omnino independentem in suo esse a rebus futuris constituat (1 P. Sum. theol. Tract. XV, Q. 61,

1—Cf. præsertim C. G. III, 89.

2—Ita apud Thomassinum (Mémoires sur la Grâce, 2e Mém.) *Richardus a S. Victore, Card. Rob. Pullus, Ægidius Romanus, Capreolus, Gerson*, etc.

memb. 3) : quod est oppositum scientiæ mediæ, cui innititur Molinismus. Atque (ibid. Tract. XVII, Q. 67, m. 4, a. 2) ait : " Quia plus influit causa primaria, et per se influit, et a se influit, ideo secundaria et quod est et quod causa est habet a primaria, et tota constringitur et continetur ab ipsa." Et (in 2 Sent. D. XXIX, A.) docet primum hominem eguisse gratia operante et cooperante " non ut liberaret voluntatem suam, quæ peccati serva non fuerat, sed ut præpararet ad volendum efficaciter bonum, quod per se non poterat."

3º Dubitandum non est quin sententia de efficacia intrinseca gratiæ *conformior* sit *sensui Ecclesiæ :* quod multipliciter constat.—*a)* Enim vero notum est quantis laudibus quantaque æstimatione *Ecclesia* semper honestaverit doctrinam *S. Augustini* circa gratiam ; quam per se efficacem esse Hipp. Doctor procul dubio ratus est [1].—*b)* Præterea nonne obvium hunc sensum verisimilius præ se ferunt verba *Conc. Arausic II* (can. 9) : " Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, *ut operemur, operatur* " ; et (can. 20) : " Nulla facit homo bona, quæ non *Deus præstet, ut faciat* homo" ? Adde quæ retulimus ex *Conc. Milevit. II*, can. 4 (Disp. III, Q. I, a. 2).—*c)* Amplius *Benedictus XIII* sic Dominicanos (Brev. 1724) alloquitur : " Magno animo contemnite calumnias intentatas sententiis vestris de gratia præsertim *per se* et *ab intrinseco efficaci*, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas *laudabiliter* hactenus *docuistis*, et quas ab ipsis SS. Doctoribus *Augustino* et *Thoma* se hausisse et verbo Dei, summorumque Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur." Equidem exstat aliud Breve (1733) *Clementis XII*, in quo legimus : " Nolumus aut per nostras aut per ipsorum (Prædecessorum) laudes Thomisticæ scholæ delatas, *quas iterato nostro judicio comprobamus et confirmamus*, quidquam esse detractum cæteris catholicis scholis diversa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia sentientibus quarum etiam erga hanc S. Sedem præclara sunt merita, quominus senten-

1—" Negari non potest, ait *S. Alphonsus de Lig.* (*Magn. precat. adjum.* P. II, c. 4), S. Augustinum et S. Thomam docuisse, gratiam ex se et ex natura sua esse efficacem ; quod ex multis eorum textibus manifeste constat."

tias ea de re tueri pergant quas hactenus palam et *libere* ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce, docuerunt et propugnarunt." Quibus ex documentis duo nobis constant: scil. ex una parte Molinismum *libere* in scholis catholicis doceri posse; ex altera autem parte doctrinam thomisticam de efficacia intrinseca gratiæ *laudabiliter* teneri, in eamque RR. PP. fuisse inclinatiores.—*d)* Prætereundæ non sunt *precum formulæ* ab Ecclesia usurpatæ quæ certo nobis favent, nempe: *Ut Deus rebelles nostras ad se compellat voluntates; Ut applicet cor nostrum bonis operibus; Ut det nobis bonam voluntatem*, etc.—*e)* Tandem verba quibus gratiæ potestas describitur, sive in Litt. Encycl. *Leonis XIII* (*Libertas præstantissimum* seu *de Libert. hum.*) sive in *Catech. Trid.* (in art. 1 Symb. n. 24), ubi effertur ejus *intima* et *occultissima vis ad singula* pertingens, validum argumentum præbent [1].

4° Ratio tum *directe* tum *indirecte* vim intrinsecam gratiæ demonstrat.

Directe.—Namque non potest ulla creatura in actum prodire nisi ex influxu physico et intraneo Dei seu primæ causæ applicantis, moventis et regentis causam secundam proportionaliter ad finem [2]; quæ quidem divina motio in ordine supernaturali dicitur gratia actualis, nec aliud est quam ipsa libera operatio seu liber consensus hominis procedens sub diverso respectu a voluntate et a Deo [3]. Atqui motio ejusmodi, attingens et *esse* et *modum* actus, non solum est per se efficax, sed ipsa effectio. Ergo. *Conf. min:* quia unumquodque agit secundum formam qua est. Ergo Deus in creaturis operatur secundum rationem *esse* subsistentis qua constituitur perfectissima ejus actualitas. Atqui esse in sua eminenti comprehensione præhabet tum necessaria tum contingentia et libera. Igitur nil prohibet quominus divina actio, tam efficax et universalis, se extendat ad actum liberum, etiam *ut est liber*, et externis atque internis auxiliis sibi

1—Attendantur quoque verba ejusdem *Leonis XIII* (Encycl. *Satis cognitum* seu *de Unitate Eccl.*), ubi sub fine de Deo habet: "Qui maxime potest animos hominum permovere, et unde vult, et quo vult impellere."
2—*De Deo*, Disp. VI, Q. I, a. 4–5.
3—Supra, Disp. III, Q. I, a. 2.

infallibiliter subjiciat liberum humanæ voluntatis consensum.

Indirecte.—a) Systema enim Molinæ, repetens efficaciam gratiæ ab eventu seu a præviso voluntatis consensu, totum nititur *scientia media;* quam quidem scientiam objecto carere, neque cum perfectione divinæ mentis componi posse, ex ipsis S. Thomæ principiis suo loco *(de Deo,* Disp. IV, Q. I) demonstravimus.—*b)* In eodem systemate, gratia Dei exhibetur tanquam quidpiam indifferens, versatile, dependens a voluntatis creatæ actu. Atqui id nimis deprimit *excellentiam gratiæ*, imo Deum hominis pedisequum facit. Ergo.

4ª *Pars* est de *genuina intelligentia* doctrinæ circa gratiam *per se efficacem.*

Et 1º non placet *positio Banneziana*, qua inducitur efficacia per modum physicæ prædeterminationis. *a)* Id enim refragari videtur menti *S. Thomæ*, prout colligi potest tum ex textu ipso ejus operum (cf. *de Deo,* Disp. VI, Q. 4), tum ex Commentariis *Cajetani* (in I, Q. XIV et XIX) et *Silv. Ferrariensis* (in C. G.). Hunc audiamus *(Comm.* in C. G. IV, 22): "Considerandum est, inquit, quod dicitur aliquid agi ad aliquid, quando ad aliquid agendum ab altero movetur. Et si quidem actio illi *determinetur* ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum, sed agat præcise secundum inclinationem sibi ab altero *ad unum determinatam*, sic dicitur simpliciter agi, sicut bruta... Si autem actio non determinetur sibi ab altero, sed sic quidem moveatur ab altero sive *inclinetur* ad agendum quod tamen in potestate sua sit agere et non agere, sive agere hoc modo aut illo, tale dicitur agi non simpliciter sed secundum quid, quia *non determinatur* sibi actio ab extrinseco ad unum, sed ipsum *se determinat*, sed tamen aliqualiter *inclinatur* ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Sp. Sanctus nos ad agendum inclinat quod libere tamen operamur et ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi aut non sequi Sp. S. *inclinctionem* et *motionem*, ideo dicimur ab ipso agi non simpliciter, sed secundum quid; propter hoc dixit S. Thomas, quod per Sp. S. *quodammodo* agimur ut præcepta Dei impleamus."

b) Scholarum traditio, antequam theologi in extremas partes Molinismi et Bannezianismi distraherentur, videtur fuisse non minus a prædeterminatione physica quam a

scientia media aliena, communiter prædicans Dei divinæque gratiæ actionem secundum quamdam *coefficientiam* seu cooperationem atque intimam voluntatis inclinationem. Hujus rei testes existunt plurimi scriptores adducti sive a Thomassino (Mém. sur la Gr.), sive a Suarezio (de Gr. l. III, c. 35; l. V, c. 46-47); atque Eximius Doctor tot antiquiores theologos velut systematis Moliniani antecessores refert ea præsertim de causa, quia eos conspicit sententiæ Præmotionis physicæ infensos: nos vero in eorumdem theologorum scriptis plerumque agnoscimus doctrinam nostram de motione Dei physica et intrinsece cooperativa mediam inter Molinismum et Bannezianismum. Digna sunt quæ memorentur verba *Conradi* (ap. Suarezium, l. III, c. 35), ubi negat influxum Dei esse ita concipiendum " ac si prima causa in aliquo instanti attingat effectum et operationem causæ secundæ in seipsa, quasi habeat unam actionem præviam actioni creaturæ... sensus verus est (ait) quod secunda causa non producit nisi in virtute primæ, quæ secundam conjungit suo effectui et intimius attingit effectum quam secunda"; unde "*prius* attingit cooperando, *quia intimius* attingit."

c) Igitur aliud est Deum gratia sua *determinare* voluntatem nostram ad actum; aliud, Deum efficaciter influere actum illum ad quem voluntas *seipsam determinet.*—1um ægre componi potest cum germano conceptu potentiæ liberæ, cujus propria est indifferentia activa, eminens ac dominativa suorum actuum in *singulis* temporis et naturæ instantibus, cum sola determinatione suppositionis, quia, quando agit, necesse est eam agere.—2um vero, dum salvat dignitatem gratiæ, incolumem quoque libertatem nostram relinquit; quia, quamvis auxilia externa et interna, conspirantibus sub manu Dei plerisque causis secundis, talem influxum moralem et physicum exerceant ut voluntas, expeditior facta, infallibiliter consentiat, tamen suavis illa dispositio et inclinatio cum motione intime cooperativa nullam potentiæ determinationem inducit ideoque nequaquam libertatem lædit.

2° *Augustinianismus* id quidem laudabile habet quod gratiam *per se efficacem* admittit, saltem in præsenti hominis statu, quin provocet ad præmotionem physicam.—Verum explicatio, quam tradit, illius efficaciæ partim falsa, partim

insufficiens vel minus recta pronuntianda est. *Falsa* quidem est ea ex parte qua reponit efficaciam gratiæ in sola delectatione victrici; etenim constat homines sæpius timore, non delectatione, ad Deum converti, ipsique sanctiores viri quandoque gratia efficaciori ducuntur sine ullius delectationis experientia præsenti (Satolli, art. 3). *Insufficiens* est eadem explicatio, si delectationi tribuatur solus influxus moralis absque physica Dei motione intra voluntatem deliberatam; quod si, uti par est, physica etiam gratiæ efficacis actio agnoscatur, *impropria* dici debet Augustinianorum loquendi forma, eo quod amor delectationem præit et gignit ideoque sibi præcipue efficaciam gratiæ adsciscit. Neque profecto aliud S. Augustinus, ab Augustinianis citatus, significavit quam istam charitatis delectantis vim et principalitatem.

3° Itaque concludamus sententiam *Cajetano-thomisticam*, quam (Tract. *de Deo uno)* fuse explicuimus, quæque actioni cœlestis gratiæ proportionaliter applicanda est, aliis præferibilem esse, quippe quæ verius et tutius efficaciam divinæ operationis cum libera nostra voluntate componit.—Hanc sententiam olim professi esse videntur plerique *scholastici*; ad hanc accesserunt, saltem ex parte, *Bellarminus*, *Thomassinus*, etc; hanc hodie, post *Card. Pecci*, [1] pleniori sub luce posuerunt et propugnant *Satolli*, *Lorenzelli*, *Lepicier*, aliique plures.

Solv. obj. (cont. 3^{am} p. 2^{ae} concl.) OBJ. 1 ex *Scriptura*.—Dicitur (2 Cor. VI, 1): *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; quibus aliisque verbis similibus significatur gratiam consensu dato efficacem reddi, et consensu negato in vacuum recipi. Ergo.

RESP: 1° exhortationes, præcepta, minas, aliaque hujusmodi, totidem esse media quibus Deus vel gratiam sufficientem complet, vel consilia gratiæ efficacis absque libertatis præjudicio exequitur.—Hinc 2° si voluntas libera inclinatione resistat divinis incitamentis, conqueri non poterit se sufficienti gratia fuisse orbatam.—Quod si 3° consentiens voluntas gratiam sufficientem in effectum deducat, consensus ille liber, utpote requisitus ad omne opus meritorium, utique habebitur velut conditio et causa *secundaria* efficaciæ divini auxilii, et

1—Opusc. *S. Tommaso circa l'influsso divino e la scienza mezza.*

id significant verba (Deut. XXVIII, 1-2): *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus...venient super te universæ benedictiones.* Verum causa *principalis*, summa et independens,illius efficaciæ aliud non est quam propria gratiæ virtus et nativa potentia.

Obj. 2 ex *habitudine gratiæ efficacis ad sufficientem.*—Illa gratia non est vere sufficiens cui deest ad agendum altera gratia intrinsece distincta. Atqui gratiæ sufficienti Thomistarum deest tale auxilium, scil. gratia efficax. Ergo vel dicamus vere sufficientem non esse gratiam Thomistarum, vel efficacem a sufficiente non distingui nisi ab extrinseco.

Resp. *D. M*:... cui deest altera gratia in ratione principii, *C*; in ratione actus, *S.d*: ex defectu suo, *C*; ex indispositione subjecti, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Jam superius observavimus (concl. 1) in sententia nostra defectum gratiæ efficacis refundendum esse, non in gratiæ sufficientis infirmitatem, sed in malam subjecti seu voluntatis dispositionem. Quod ut melius intelligatur, sequentia advertam :—1° Decet Dei sapientiam ut naturis rerum suam providentiam accommodet; neque hoc Molinistæ negare possunt. Jamvero liberum nostrum arbitrium natura sua defectibile est; cui nativæ defectibilitati accedit, post peccatum originale, indispositio habitualis vel actualis. Pronum est igitur ut Deus quandoque sinat hominem peccare, et hæc *permissio* bona est.—Porro 2° homo sufficienti gratia præditus, sub illa divina permissione, *libere peccat.* Quamvis enim Deus, intuens defectibilitatem voluntatis tum universaliter tum particulariter pro singulorum individuorum dispositionibus vitæque adjunctis, certo prævideat, se sinente, futurum cujusque casum, tamen homo, potens facere bonum, libertatem sub tali prævisione retinet, libereque gratiæ resistit.—3° Hæc quum ita sint, carentia gratiæ efficacis, quam culpa naturâ saltem antecedit, *primo* et absolute repetenda est *ab ipsa voluntate creata*, nec a Deo dependet nisi ex suppositione culpæ. Huc spectant gravissima verba *S. Aug.* (l. de Corr. et Gr. c. 12), ubi loquens de lapsu Adami ait: "*Deseruit* et *desertus est.* Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret, *si vellet; non quo fieret ut vellet*".

Obj. 3 ex *libertate humana*, quam gratia per se efficax

perimere videtur.—Illa causa non est libera quæ inevitabiliter producit effectum suum. Atqui voluntas sub gratia per se efficaci inevitabiliter producit effectum suum. Ergo.

RESP. *D. M* :...quæ inevitabiliter, scil. necessario et per quamdam sui determinationem...*C*; quæ inevitabiliter, scil. infallibiliter tantum et per habitudinem ad causam primam... *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

1° Argumentum istud utique validum est contra *Præmotionistas*, in quorum systemate ponitur determinatio voluntatis anterior actu; nihil autem valet contra nos.—Sane vero 2° *infallibilitas*, qua talis, eventus futuri minime repugnat contingentiæ ejusdem eventus. *a)* Ipsi enim Molinistæ id agnoscunt, dum nobis consentiunt in admittendo consensu voluntatis infallibiliter simul et libere futuro sub æterna Dei prævisione. *b)* Præterea Deus est causa prima tam *alta*, ut unite præcontineat quidquid perfectionis est in causis necessariis et liberis; tam *efficax*, ut valeat non solum effectum ipsum, sed modum effectus contingentem et liberum attingere; tam *universalis*, ut omnia nutui ejus obsequantur ad obtinendum infallibili exitu consensum voluntatis; demum tam *intime* ac *immediate* agens, ut secreto illapsu, cum morali tum physico, eodem naturæ instanti cooperetur consentienti voluntati, eoque ipso efficaciam intrinsecam gratiæ exserat.

ARTICULUS V.

Utrum gratia gratis data convenienter ab Apostolo dividatur.

Præjacta initio distinctione gratiæ in gratum facientem et gratis datam, processimus ad indagandas varias divisiones gratiæ gratum facientis: nunc de divisione gratiæ gratis datæ, quæ ab Apostolo profertur.—Ubi advertendum est (contra quosdam theologos) hanc a S. Paulo fieri partitionem *gratiæ* gratis datæ, prout gratiæ secernuntur a *ministratio-*

nibus (1 Cor. XII, 4-5) [1], sub quarum capite intelligenda est *auctoritas* magisterii et regiminis pertinens ad constitutionem Ecclesiæ ejusque potestatem administrativam.

Conclusio.—CONVENIENTER AB APOSTOLO DIVIDITUR GRATIA GRATIS DATA IN NOVEM SPECIES.—Dico *convenienter*, ne excludatur absolute quæcumque alia, etsi minus congrua, divisio.

1° Referamus verba ipsa Ap. (1 Cor. XII, 7-10): *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*

2° Quam recta et adæquata sit enumeratio illa Paulina, *S. Thomas* eleganti discursu demonstrat.—Gratia datis data ad hoc ordinatur ut homo alterius saluti cooperetur, non quidem interius movendo (quod solius Dei est), sed solum exterius docendo vel persuadendo. Atqui tria ad hoc requiruntur: *primum*, ut homo præhabeat plenitudinem quamdam *cognitionis* divinorum; *secundo*, ut possit confirmare vel *probare* ea quæ docet; *tertio*, ut doctrinam suam convenienter auditoribus *proferre* valeat; quæ tria novem species gratiarum mox recitatas continent. Ergo. *Decl. min.* per partes.

— Quantum ad *primum*, tria sunt necessaria, sicut etiam apparet in magisterio humano.—*a)* Oportet enim imprimis aliorum institutorem in aliqua scientia principia illius scientiæ firmissima certitudine tenere; unde numeratur inter gratias gratis datas *fides* divina de summis veritatibus doctrinæ catholicæ, non secundum quod fides est quædam virtus justificans hominem in se ipso, sed quatenus importat supereminentem quamdam certitudinem ex qua homo fit idoneus ad instruendos alios et contradicentes revincendos.—*b)* Secundo, necesse est ut doctor recte se habeat circa principales scientiæ conclusiones, abundantiâ cognitionis et facundiâ excellens; unde ponitur *sermo sapientiæ*, minime confundendus cum sapientiæ dono quo quis Spiritui Sancto

1—Cf. *Comt.* S. Thomæ in h. loc.

docilis subjicitur.—*c)* Tertio insuper requiritur ut institutor, ad inferiora descendens, superiora illustret exemplorum analogia et effectuum cognitione; qua de causa ponitur *sermo scientiæ* veluti cognitio rerum humanarum ad res excellentiores et invisibiles manifestandas ordinata [1].

Quantum ad *secundum*, confirmatio doctrinæ fieri debet, in his quidem quæ subduntur rationi, per argumenta; in his vero quæ supra rationem divinitus revelata sunt, per aliqua divinæ virtuti propria. Atqui id dupliciter contingit: vel quatenus sacer doctor faciat quæ solus Deus facere potest; vel quatenus manifestet ea quæ solius Dei est scire.—In primo casu habentur opera miraculosa, sive quæ specialiter ad fidem inducunt per beneficium corporalis sanitatis, et *d)* ideo ponitur *gratia sanitatum*, sive quæ ad solam divinæ potestatis manifestationem ordinantur, v. g. quod sol tenebrescat vel mare dividatur, et *e)* ideo recensetur *operatio virtutum*.—In secundo casu, doctrina firmatur signis miraculosæ cognitionis: quæ si respiciat futura contingentia, *f)* ponitur *prophetia*; si vero se extendat ad occulta cordium, *g)* habebitur *discretio spirituum*.

Quantum ad *tertium*, facultas pronuntiandi seu exprimendi doctrinam attendi potest vel quoad idioma in quo quis intelligi queat, et *h)* secundum hoc ponuntur *genera linguarum*; vel quoad sensum eorum quæ proferenda sunt, et *i)* secundum hoc ponitur *interpretatio sermonum*.

Duo ex probatioribus theologis *subjiciam*.—1° Character *ordinis* et potestas *jurisdictionis* contra mentem Apostoli recensentur a Suarez et aliis inter gratias gratis datas, cum potius pertineant ad ministrationes seu ad potestatem *constitutivam et auctoritativam* Ecclesiæ.

2° Ex gratiis gratis datis *quædam* conferuntur solum transeunte Dei motione, ut gratia miraculorum et prophetiæ; *aliæ* vero permanenti quadam forma vel habituali dispositione, ut sapientia et scientia quibus singulariter ornati sunt Patres et Doctores Ecclesiæ, puta *S. Augustinus* ad decertandum contra Pelagianos, *S. Cyrill. Alex.* ad tuendum Incarna-

1—Signanter autem dicitur *sermo* sive sapientiæ sive scientiæ, quia doctrina illa est efficax quæ gratiâ sermonis et instruit et delectat et flectit. (II-IIæ, Q. CLXXVII, a. 1)

tionis mysterium etc.—Subdit *cl. Satolli* [1] : " Quid dicam de *Angelico* nostro Duce ? Nonne gratia gratis data ei fuit (prouti in Bulla Canonizationis asseritur), cum *Summam theologicam* componeret, officium sapientis assumens pro incipientibus erudiendis [2] ? "

ARTICULUS VI.

Utrum gratia gratis data sit dignior quam gratia gratum faciens.

Postrema succedit hujus quæstionis consideratio *comparative* agenda inter gratiam gratum facientem et gratis datam.

Conclusio.—GRATIA GRATUM FACIENS MULTO EXCELLENTIOR EST QUAM GRATIA GRATIS DATA.

Id 1° aperte docet Apostolus (1 Cor. XII) : ubi, postquam recensuerat gratias gratis datas, subdit (v. 31) : *Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Porro in sequentibus loquitur de charitate, sine qua dona linguarum, prophetiæ, scientiæ, fidei nihil sunt, quæque ad gratiam gratum facientem pertinet.

2° Idipsum suadetur ex eo quod gratia gratum faciens propria est *justorum*, gratiæ autem gratis datæ etiam *peccatoribus* competere possunt. Sic enim donum prophetiæ concessum est infidelibus et paganis, puta Caïphæ (Joan. XI, 50), Balaam (Num. XXII) et Sybillis [3]. Unde ait *S. Aug.* (l. 83 Qq., q. 79) : " Ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi existimantes in talibus factis majora dona esse quam in operibus justitiæ quibus æterna vita comparatur."

1—*Prælect.* in h. art.

2—Cf. II-IIæ, Q. CLXXI-CLXXVIII ; ubi S. Thomas plura edisserit de *prophetia* et *raptu*, de *dono linguarum*, de *gratia sermonis*, de *gratia miraculorum.*

3—Cf. S. August. (de Civ. Dei, l. XVIII, c. 23).

3° Perspicua est *ratio* S. Thomæ.—Unaquæque virtus tanto excellentior eminet, quanto ad altius bonum ordinatur; semper autem finis potior est his quæ sunt ad finem. Atqui gratia gratum faciens ordinat hominem immediate ad conjunctionem cum Deo seu ultimo fine, gratiæ autem gratis datæ hominem disponunt ad quædam præparatoria finis ultimi, sicuti per prophetiam, miracula aliaque hujusmodi dissipantur præjudicia viaque cordibus ad justificationem sternitur. Ergo.—*Conf.* (ex resp. ad 2). Si gratia gratis data posset hoc agere in altero quod homo per gratiam gratum facientem consequitur, utique prior illa hac nobilior foret, sicut excellentior est claritas solis illuminantis quam corporis illuminati. Verum per gratiam gratis datam homo non potest producere in alio conjunctionem ad Deum quam ipse per gratiam gratum facientem sortitur, sed solummodo *dispositiones* quasdam ad illam generat.

4° *Ad præcavendas objectiones* duo subnotabo.—*a)* Licet gratia gratum faciens per se primo ordinetur ad privatam sanctitatem, gratia autem gratis data ad communem utilitatem, illa tamen istâ præstantior est, utpote intrinseca dignitate præeminens et hominem immediate Deo conjungens qui est bonum simul proprium singulis omnibusque commune.

b) Præterea solet Ecclesia catholica, in beatificandis et canonizandis sanctis suis, inquirere non modo plenitudinem gratiæ justificantis, sed etiam dona gratis data, præsertim donum miraculorum, non quasi in istis sanctitatem proprie reponat, sed quia, si ea probitati conjuncta esse contingat, magnum sunt sanctitatis signum. Ordinarie enim, et paucis exceptis casibus (de quibus ad judicandum criteria non desunt), Deus nonnisi per justos et bonos miracula operatur, quæ præsertim si frequentia sint, excellentem perfectionis gradum indicant.[1]

1—Suarez, Proleg. III, c. 4, n. 11.

DISPUTATIO QUARTA

DE CAUSA ET DISPENSATIONE GRATIÆ

Quamquam ex toto præcedentium decursu plane liquet Deum utcumque esse causam gratiæ, plura tamen, exploratis quæ gratiæ necessitatem intimamque naturam attinent, ulterius in dubitationem veniunt, proprio nunc loco elucidanda.—Quare duplex aderit disceptationis caput, unum de *causa* ipsa gratiæ, aliud de causandi ratione in gratia hominibus *dispensanda*.

QUÆSTIO PRIMA

DE CAUSA GRATIÆ

Exordium ducemus ex *Trid. Conc.* verbis (Sess. VI, cap. 7): "Hujus justificationis causæ sunt: *finalis* quidem, gloria Dei et Christi ac vita æterna; *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ; *meritoria* autem, dilectissimus Unigenitus suus D. N. J. C., qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis justificationem *promeruit* et pro nobis Deo Patri *satisfecit*; *instrumentalis* item, sacramentum baptismi... demum unica *formalis* causa est justitia Dei, non qua Ipse justus est, sed qua nos justos facit... unusquisque secundum suam mensuram, quam Sp. S. partitur singulis prout vult, secundum propriam cujusque *dispositionem* et cooperationem."

Hæc cum sint ita, advertemus quæstionem principalius moveri de gratia *habituali*, secundario vero de *actuali* quæ est motus ad habitualem aut ex habituali procedit. — Porro *a*) causa gratiæ hic indaganda non est causa *finalis*, quam ex

relatis *Trid. Conc.* verbis apparet consistere tum *intrinsece* in justificatione et vita cujusque æterna, tum *extrinsece* in gloria Christi et Dei.—*b)* Neque sermo est de causa *materiali*, saltem subjectiva, quam iterum liquet esse essentiam animæ [1], ex qua secundum potentiam *obedientialem* gratia supernaturali Dei virtute educitur, quatenus scil. divina illa forma fit dependenter a subjecto intellectuali.—*c)* Rursus quæstio non est de causa *formali*, cum gratia sit simplex forma, ad *exemplar* divinæ justitiæ effecta, cujus jam naturam descripsimus propriosque effectus formales infra demonstrabimus.—*d)* Neque demum dubium proponitur de causa, ut aiunt, *morali* secundum *meritum* et *satisfactionem*, neque de causa mere *instrumentali* et *ministeriali* (quod competit Sacramentis et ministris), sed de causa *efficiente principali* et *dispositiva*.

Divisionem ab Auctore factam in quinque articulos sic exponit Em^us Satolli. Videlicet quæri potest de causa gratiæ vel secundum *esse*, vel secundum *cognitionem* (art. 5). Circa efficiendum esse gratiæ, vel agitur de causa *ultimæ formæ* (art. 1), vel de causa *dispositionis* ad formam ; quæ quidem dispositio considerari potest vel *simpliciter* (art. 2), vel quoad *modum* sive respectu *inducendæ gratiæ* (art. 3), sive in ordine ad gratiæ *quantitatem* (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus sit causa gratiæ.

1° Causa *efficiens physica*, quæ simpliciter seu proprie dicitur ac contra causam *moralem* dividitur, alia est *principalis* seu propria virtute agens, alia *instrumentalis* producens effectum ex virtute alterius.—Causa quoque principalis dispescitur in *primam* et *secundam*, prout vel omnino imparticipata sit, vel virtutem, etsi propriam, ab alio tamen receperit ; sic Deus est causa principalis-prima, creaturæ vero

[1]—Vide supra, Disp. IV, Q. I, a. 4.

sunt causæ principales-secundæ.—Tandem causa principalis-secunda æstimari potest effectum producere aut *vi nativa* aut *virtute* quadam *superaddita* seu sibi præter naturæ debitum communicata.

2° *Præsupponimus* creaturam posse gratiæ donum ad animam deferre per modum *instrumenti*, sive conjuncti, quale fuit humanitas Christi, sive separati, ut Sacramenta: quod quidem in Tract. de *Incarnatione* et de *Sacramentis* demonstratur.—Verum dubium est, num creaturæ, tanquam causæ *principali*, facultas illa qualitercumque competere queat.

3° Omissis falsis vel ambiguis quorumdam theologorum dictis, memorandus est error *Simonis Magi* qui in hanc cessit præsumptionem ut arbitraretur *donum Dei* ab Apostolis *possideri*, ita ut per eos quasi per causam principalem sibi, oblata pecunia, tradi posset: unde a S. Petro damnatus est (Act. VIII, 20-24).

Conclusio.—Nulla creatura potest, ut causa principalis, gratiam efficere, neque jure nativo, neque virtute sibi superaddita.

Prob. concl. per partes.

1ª *Pars est de fide* vel saltem *fidei proxima*, juxta decretum *Trid.* supra recitatum.—Nam 1° dicitur (Is. XLIII, 25): *Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me;* (cf. Luc. V, 20-24): iniquitas autem non aufertur nisi per gratiam. Et (Ps. LXXXIII, 12): *Gratiam et gloriam dabit Dominus*.—Hinc est quod S. Aug. dicit de discipulis Domini (XV de Trin. 26): "Orabant quippe ut veniret (Sp. S.) in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant." Sed in dono gratiæ datur Sp. Sanctus. Ergo.

2° S. Thomas (hic et *de Ver.* Q. XXVII, a. 3) triplici *ratione* argumentatur.

Prima ratio ex *conditione generica gratiæ*.—Gratia est perfectio elevans animam ad quoddam esse supernaturale. Atqui nullus effectus supernaturalis potest esse ab aliqua creatura per suam formam agente. Ergo. *Min. ostend.* *a)* Nam ejus solius est rem ultra statum naturæ promovere, cujus est naturæ gradus statuere et limitare; quod soli Deo convenit. *b)* Præterea, nulla virtus creata agit nisi præsupposità materiæ vel subjecti cujuscumque potentiâ. Atqui

Nemo dat quod non habet. Atqui nulla creatura possidet gratiam. Ergo nulla creatura potest dare gratiam.

potentia naturalis creaturæ non se extendit ultra naturales perfectiones. Ergo creatura nihil supernaturale, ideoque nec gratiam, efficere potest.

Secunda ratio ex *operatione gratiæ.*—Per gratiam voluntas hominis immutatur, radicaliter quidem per habitualem, formaliter vero per actualem. Atqui voluntatem immutare solius Dei est. Ergo. *Min. decl.* Potentia etenim dupliciter immutari potest: *ex parte sui* et *ex parte objecti.* *a)* Porro solus Deus, auctor et conservator totius esse, potest illabi in potentias quæ non sunt organis affixæ, scil. in intellectum et voluntatem, in iisque operari. *b)* Ex parte objecti vero, licet intellectus efficaciter moveri valeat etiam ab homine conclusiones necessarias sub infallibili nexu cum principiis proponente; nemo tamen, in tanta bonorum creatorum deficientia, efficaciter potest voluntatem immutare, præter Deum ipsum sese, plenum et universale bonum, nobis patefacientem vel utcumque nos trahentem. Ergo.

Tertia ratio ex *nobilitate propria gratiæ.*—Gratia, utpote summa divinæ naturæ participatio, animam evehit in ipsum Divinitatis consortium. Atqui solus Deus potest animam deificare, eam sibi immediate conjungens atque in augustum Trinitatis sanctuarium quodammodo admittens. Ergo.

2ª *Pars* concl. habet, neque *virtute superaddita* posse creaturam fieri causam principalem gratiæ.

Sane vero 1º justus, gratia ornatus, ipse proprie agit per gratiam, non vero forma ipsa gratiæ. Eatenus autem forma accidentalis, v.g. calor, potest concurrere, etiam in ratione causæ principalis, ad productionem alterius formæ in eadem accidentali specie, quatenus non transcendit statum subjecti, sed in ipso connaturaliter recipitur, ita ut proportio sit inter principium agendi *quod* et principium formale *quo.* Atqui gratia adeo eminens est ut transcendat statum cujuslibet naturæ creatæ; unde habens eam non ipsam participat in tanta perfectione ut illam communicare possit (*de Ver., l. c.* ad 3). " Quamvis enim perfectio gratiæ potior sit perfectione naturæ ex parte formæ perficientis, non autem ex parte perfectibilis. Nam quodammodo perfectius possidetur quod est naturale quam quod est supra naturam, in quantum est naturali virtuti activæ proportionatum: cujus proportionem donum supernaturale excedit. Et ideo propria virtute non potest

(homo) aliquod donum supernaturale transfundere, quamvis possit facere sibi simile in natura" (*Ibid.* ad 24).

Idipsum 2° *conf.* exemplo.—Per gratiam enim homo recipitur in filium Dei adoptivum secundum quamdam participationem divinæ naturæ naturalisque filiationis. Jamvero in civilibus filius adoptivus, qua talis, etsi gratiâ adoptantis vocatus in consortium paternæ hæreditatis, nequit tamen alios filios sibi consimiles adoptare. Ergo a pari etc.

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicitur (Joan. I, 17): *Gratia et veritas per J. Christum facta est.* Atqui nomine J. C. intelligitur non solum natura divina assumens, sed etiam natura creata assumpta. Ergo.

Resp. *D. M*:... per J. Christum ut est Deus, *C*; ut est homo, *S.d*: principaliter, *N*; instrumentaliter, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Humanitas Christi se habet velut quoddam Divinitatis *organum* seu *conjunctum instrumentum.* Porro instrumentum non exequitur opus agentis principalis propria virtute, sed virtute causæ principalis. Idcirco vi tantum adjunctæ Divinitatis actiones humanæ Christi salutarem effectum sortiuntur.

Obj. 2.—Hæc est inter Sacramenta Veteris et Novæ Legis differentia quod illa significabant tantum, ista vero producunt gratiam. Atqui Sacramenta N. L. sunt quædam elementa creata. Ergo.

Resp. *D. M*:... ista producunt gratiam virtute propria, *N*; virtute Sp. Sancti principaliter in eis operantis, *C.—C.d.m*:... quibus accedit increata Dei virtus, *C*; quæ creata vi tantum agunt, *N.—Neg. conseq.* [1]

Obj. 3.—Secundum auctorem lib. de Cœl. Hier., munus est Angelorum purgare, illuminare et perficere. Atqui munus illud impletur per collationem gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M*:... instruendo, *C*; justificando, *N.—D.m*:... i. e. ad gratiam disponit, *C*; per se gratiam confert, *N.—Neg. conseq* [2].

1—Quoad causalitatem propriam Sacramentorum cfr. Tract. *de Sacram. in genere.*

2—Cf. *de Ver., loc. cit*; ubi S. Thomas non minus quam 25 objectiones sibi proponit et solvit.

ARTICULUS II.

Utrum requiratur aliqua præparatio ad gratiam ex parte hominis.

1° Jam sermo habitus est (Disp. II, Q. unic. a. 6) de præparatione ad gratiam sub respectu *necessitatis* gratiæ Dei disponentis ; nunc de eodem argumento sermocinatur Auctor sub respectu *causalitatis* præparationem inter et gratiam.

2° Ut Em. Satolli [1] scite observat, præparatio seu dispositio *quasi media* consistit inter causam efficientem et materialem, ordinem dicens ad formalem rei constitutionem ; magis tamen se tenet materialiter, " in quantum per dispositionem materia efficitur congrua ad receptionem formæ " (*de Ver*. Q. XXVIII, a. 8 ad 5).—Patet igitur præparationem intelligendam esse veluti formæ inchoationem, quæ *physica* [2] necessitudine, utique intra dispositionis limites, concurrit ad productionem effectus. — Dispositio autem duplex est, *prævia* et *concomitans* : prævia, quæ imperfecta est seu imperfecte tantum ad effectum ducit ; concomitans vero seu perfecta, quæ actu completo cum effectu conjungitur.

3° Revocetur vulgaris distinctio sæpius adducta, quia gratia dupliciter dicitur : quandoque quidem ipsum *habituale* donum Dei ; quandoque autem *auxilium* Dei *moventis* animam ad bonum.

Conclusio bimembris.—AD GRATIAM HABITUALEM PRÆEXIGITUR ALIQUA SUPERNATURALIS PRÆPARATIO ; QUANQUAM NULLA PRÆPARATIO REQUIRITUR EX PARTE HOMINIS QUASI PRÆVENIENS AUXILIUM DEI MOVENTIS.

Præmittam : 1° illud *præexigitur* in conclusione accipiendum esse de necessitate *absoluta* ; et 2° non solum quoad *adultos*, sed etiam, proportione servata, quoad *parvulos*.

1ª *Pars* innititur doctrinæ *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 6) necnon (can. 9) : " Si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte

1—*Prælect.* in h. art.
2—Cf. Billuart, Diss. VI, art. 3.

necesse esse eum suæ voluntatis motu *præparari* atque disponi, A. S."

Revera 1° *Scriptura* id suadet, tum in sententia quæ legitur (Amos. IV, 12): *Præparare in occursum Dei tui, Israël,* quatenus ille occursus Dei sibi animam reconciliantis supponit quemdam animæ reditum, tum in alia sententia (1 Reg. VII, 3): *Præparate corda vestra Domino;* non decet enim Deum per gratiam habitualem cor hominis ingredi nisi paratum Ei atque ornatum spirituale illud sanctuarium fuerit.

2° Succurrit philosophica *ratio*.—Nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Atqui anima se habet ad donum habitualis gratiæ consequendum haud secus ac materia ad formam. Ergo prærequiritur ad consecutionem gratiæ quædam animæ dispositio.—Ratio hæc, ut patet, *a)* absoluta ac *necessaria* prorsus *lege* procedit: siquidem forma dat esse. Repugnat autem quod aliquid per formam habeat esse et simul sit ad esse indispositum vel ab eo elongatum. Ergo. *b)* Unde etiam necessitas dispositionis extenditur ad *quodcumque subjectum* gratia ornandum, secundum tamen uniuscujusque naturam et indolem, ita ut non ea in parvulis requiratur quæ ponitur in adultis.

3° *Conf.* et *expl.* argumentum ex præjacta distinctione inter dispositionem *præviam* et *concomitantem* (resp. ad. 2).—Communiori enim Providentiæ cursu contingit ut homo paulatim, Deo movente, ad gratiam inducatur per prævias dispositiones ex multiplici causarum genere exortas, scil. vel ex verbo Dei scripto aut prædicato, vel ex piorum exemplis, vel ex correctione fraterna publicave correptione, vel ex tribulationibus, internis mentis motibus ac suggestionibus, etc. Quandoque tamen homo subito gratiam accipit, prout accidisse novimus S. Paulo qui, cum in peccatum patrandum progrederetur, divina pressus motione perfecte conversus est. Jamvero subitaneæ illæ conversiones non fiunt sine dispositione concomitante, quæ dispositiones prævias virtualiter continet, quæque animum gratiæ accipiendæ immediate coaptat, juxta illud (Eccli. XI, 23): *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem* seu peccatorem divitiis cœlestibus destitutum locupletare.

2ª *Pars* concl. facili intuitu perspicitur.—*a)* Cum enim

quælibet præparatio *formalis* et *per se* ad gratiam habitualem sit ex auxilio Dei proportionaliter moventis seu ex gratia actuali, patet utrumque: scil. neque dari posse formalem dispositionem quæ præveniat divinum auxilium, neque etiam ex parte hominis, antequam Deus agat, absolute prærequiri dispositionem materialem.—*b)* Quapropter ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis ad donum gratiæ suscipiendum præparatur, est gratia actualis, nec aliud dici debet, juxta *S. Thomam*, quam "actus liberi arbitrii moti a Deo:" quibus verbis interimi videntur jam alias confutatæ hypotheses de præmotione physica et de motibus indeliberatis necessariis.—*c)* Inde fit quod in *Scripturis* opus præparationis ad gratiam modo homini ipsi, modo Deo moventi et gressus nostros dirigenti tribuitur: siquidem unus idemque actus liber, puta fidei, spei, timoris, simul totus est ab homine et totus a Deo principaliter movente.

Solv. obj.—Obj. 1.—Repugnat rationi gratiæ quod merito obtineatur. Atqui præparatio hominis per liberum arbitrium, si quæ requiratur ad gratiam, meritoria erit gratiæ. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :... præparatio imperfecta et prævia, *N;* præparatio perfecta et concomitans, *S.d :* meritoria erit primæ gratiæ, *N;* augmenti gratiæ et gloriæ, *C.—Neg. conseq.*

Præparatio hominis ad gratiam habendam quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ, quæ idcirco dicitur perfecta et *concomitans*. Hæc tamen, ordine naturæ, gratiam quodammodo præcedit et quodammodo sequitur: *præcedit* in ratione causæ materialis et dispositivæ, quia sine ea gratia non infunderetur; *sequitur* vero in ratione causæ formalis, sub quo respectu vim obtinet merendi non quidem gratiam quæ jam habetur et ex qua procedit, sed augmentum gratiæ et gloriam.—Præparatio autem gratiæ imperfecta et *prævia*, quæ scil. tempore antecedit gratiam habitualem, non sufficit ad meritum saltem *de condigno* et simpliciter, quod esse non potest sine gratia justificante; licet sibi vindicare queat quoddam meritum *de congruo*. (Cf. dicenda infra de *merito*).

Obj. 2.—Ille qui in peccato progreditur non se ad gratiam præparat. Atqui aliquibus in peccato progredientibus, v. g. S. Paulo, data est gratia. Ergo.

Resp. *D. M* :...in sensu composito seu secundum quod in peccato progreditur, *C;* in sensu diviso seu quatenus per

subitam Dei inspirationem a peccato regreditur, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Agens infinitæ virtutis non requirit dispositionem in materia. Atqui solus Deus, virtute infinitus, gratiam producit in anima. Ergo.

Resp. *D. M*:...quasi præsuppositam ex alterius causæ actione, *C*; quam ipse secundum conditionem rei et formæ efficiat, *N.—C.d.m*:...et propterea potest mirabili actione, absque prævio concursu creatorum agentium, subito animam disponere, *C*; potest absque ulla dispositione concomitanter a se effecta gratiam conferre, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum necessario detur gratia se præparanti ad gratiam vel facienti quod in se est.

1° Statuta causalitate dispositiva inter præparationem hominis ad gratiam et gratiæ collationem, ulterius indaganda et determinanda est propria illius *causalitatis natura* seu habitudo.—Cum vero dispositio ad gratiam alia dici possit *negativa* et *materialis*, alia *positiva* et *formalis*, quamvis quæstio potissime agitetur de hujus habitudine ad gratiam consequendam, complementum tamen et claritudo doctrinæ postulat ut, breviter pro more, utramque consideremus.—Inde opportunitas habebitur explicandi celebre *axioma* multipliciter a theologis intellectum: " Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam."

2° Quæstionem, alibi jam prælibatam, ex professo hic tangemus, scil. de *gratuitate gratiæ*, quæ divini hujus auxilii conditio est peressentialis. Hæc autem gratuitas certe perimeretur, si homo in se haberet unde, sive *merito*, sive *dispositione*, sive *impetratione*,[1] per se et naturaliter posset primam gratiam consequi; optime tamen componitur cum meritis supernaturalibus, gratia ipsa fultis, et consequenter ab

1—De differentia inter hæc tria cf. Mazzella, Disp. IV, a. 1.



ipso Deo provenientibus, juxta illud *Trid.* (Sess. VI, cap. 16): " Absit ut christianus homo in seipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas ut *eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.*"

Conclusio 1ª.—QUÆCUMQUE SIT HOMINIS CONDITIO SEU DISPOSITIO MERE NATURALIS, PRIMA GRATIA DICI DEBET OMNINO GRATUITA, NEQUE ULLI MERITO, DISPOSITIONI, VEL IMPETRATIONI DEBITA.—Id *fide* tenendum est contra *Pelagianos* et *Semipelagianos*, tum ex *Conc. Arausic.* decretis (can. 3-7 et 17-18), tum ex *Trid.* (Sess. VI, c. 5): " Declarat præterea (S. Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum *præveniente gratia* sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur."

Etenim 1° multiplex *Scripturæ* vox gratuitati gratiæ suffragatur, excludens tum meritum, tum dispositionem positivam et per se, tum impetrationem.—*a)* Excluditur *meritum* per verba (1 Joan. IV, 19): "*Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos;*" necnon per alia (Eph. II, 8-10): *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Immo tota pars dogmatica Ep. ad Rom. idipsum evincit, Judæis et Gentibus inculcans insufficientiam operum legis Mosaicæ vel naturalis.—*b)* Excluditur *dispositio* quævis formalis tum per præcedentia, tum quoque per sequentia verba (2 Tim. I, 9): *Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam.*—*c)* Excluditur demum *impetratio* per textum Ap. (Rom. VIII, 26): *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Cf. Conc. Arausic. (can. 3).

2° Ex *traditione* una sufficiat *Augustini* sententia (Enarr. 2 in Ps. LXX, n. 1): " Si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis; pretium autem, quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est."

3° Veritas præsentis conclusionis *corollarium* est eorum quæ disputavimus in quæst. de *necessitate gratiæ* (præsertim art. 2 et 6). Ibi enim ostensum est, ex proportionis lege,

neminem posse ullum opus salutare perficere vel etiam incipere sine gratia Dei supernaturali. Atqui si prima gratia non esset prorsus gratuita, sed merito, dispositione aut impetratione obtineretur, jam prima bona opera salutisque initia non a Deo per gratiam agente, sed ab homine repetenda forent: ergo.

Conclusio 2ª.—PRÆPARATIO FORMALIS AD GRATIAM, NON QUIDEM VI LIBERI ARBITRII, SED EX INTENTIONE DEI MOVENTIS INFALLIBILITATEM EFFECTUS CONSEQUITUR.

1ª *Pars* itaque negat præparationem, prout *cooperatione liberi arbitrii* nititur, necessario nexu inferre gratiæ consecutionem; et *prob.* dupliciter:—1º ex *comparatione*. Homo comparatur ad Deum, sicut *lutum* ad figulum, secundum illud (Jerem. XVIII, 6): *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Atqui lutum, quantumcumque sit præparatum, non ex necessitate accipit formam artis a figulo. Ergo neque homo, quantumcumque se vi sua disponat, necessario gratiam consequitur a Deo.—2º *Ratione.* Nam donum gratiæ divina sua excellentia excedit omnem præparationem et exigentiam virtutis humanæ.

2ª *Pars* concl. habet præparationem, *ex intentione Dei moventis, infallibiliter* ducere ad formam gratiæ; ita nempe ut hæc infallibilitas coactionis expers, non absoluta, sed *conditionata* tantum intelligatur.—Verum equidem est dispositionem *ultimam* et completam per actus perfectæ contritionis et charitatis natura sua inseparabiliter conjungi cum infusione gratiæ; sed quod homo ad hanc ultimam dispositionem, mediantibus plerumque actibus *prœviis*, adducatur, prorsus pendet a divina intentione quæ, quamvis antecedenter ad salutem omnium feratur, consequenter tamen, seu attentis Providentiæ consiliis humanorumque cordium insufficientibus dispositionibus, haud raro gratiarum cursum abrumpit.

Prob. assertum ita declaratum:—1º ex (Joan. VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me;* quatenus nempe audiens supernam Dei vocem eique dociliter consentiens mox per gratiam habitualem Christum assequitur.—2º Ex *efficacia* et ordine divinæ voluntatis qua "certissime liberantur quicumque liberantur" (Aug.). Novimus, inquam, voluntatem divinam efficacissimam esse,[1] simulque

1—Cf. *De Deo,* Disp. V.

effusionem bonitatis suæ rerum ac formarum naturæ accommodare. Porro triplex est formarum gradus: nam "*formæ*, quæ mediantibus secundis agentibus in materia producuntur, necessario in materia disposita recipiuntur, necessitate conditionata in comparatione ad Deum cujus virtute cætera agentia agunt, sed necessitate absoluta per comparationem ad agentia proxima quæ necessitate naturæ agunt... *Formæ* autem, quæ immediate a Deo inducuntur, non habent necessitatem absolutam ex parte agentis, sed quædam ex parte recipientis, sicut in perfectionibus quæ sunt de esse naturæ, ut est anima rationalis. *Formæ* autem, quæ non debentur naturæ, sicut gratia et virtutes, immediate a Deo productæ, nihil habent de necessitate absoluta, sed solum de necessitate ex suppositione divini ordinis" (4 Sent. D. XVII, Q. I, a. 2, sol. 3). Itaque unaquæque forma sibi eam sive absolutam sive conditionatam essendi necessitatem adsciscit quam rerum natura exigit. Atqui forma gratiæ, secundum sapientiæ bonitatisque divinæ consilium, postulat ut animæ in debitis dispositionibus constitutæ infundatur. Ergo.

Conclusio 3ª.—DECLARATUR AXIOMA: "FACIENTI QUOD IN SE EST DEUS NON DENEGAT GRATIAM."—Ad majorem præcedentium intelligentiam subjicimus præsentem conclusionem seu axioma in scholis vulgatissimum, cujus variæ feruntur explicationes: præcipuas expendamus.

1ª *Explicatio falsa*.—Hæc est quæ *Pelagianæ* vel *Semipelagianæ* hæresi cohæret, in quantum operi moraliter bono, solis naturæ viribus elicito, deberi gratia dicitur secundum *meriti* condignitatem vel saltem congruitatem: quod variis in Conciliis damnatum est, satisque ex dictis confutatum manet.

2ª *Explicatio improbabilis*.—Fuit *Molinæ* sententia [1], quam alii vel integram vel temperatam amplexati sunt, quoties liberum nostrum arbitrium *propriis viribus* conetur facere totum id quod ex sese potest, præsto in nobis esse, vi legis seu *pacti* Christum inter et Deum Patrem initi, auxilia gratiæ et salutis: id autem plurimis scatet inconvenientibus.

Nam 1° (ait Knoll) dum quæritur de lege aliqua aut promissione divina, non est aliquid pro libitu affirmandum, sed

1—Concord. Q. XIV, a. 13, disp. 10.

ex S. Scriptura vel traditione probandum. Porro ex his *divinæ revelationis* fontibus nullo modo probari potest Deum Patrem cum Christo iniisse pactum hujusmodi, quod ideo plane fictitium dicendum est.

2° Juxta hanc sententiam et ex tali pacto in meritis Christi fundato, deberet Deus cuicumque conatus naturales adhibenti gratias supernaturales infallibiliter tribuere; aliunde autem, in systemate Molinæ, efficacia bonorum actuum operumque naturalium primario a voluntate nostra seu a præviso liberæ voluntatis consensu dependet. Jamvero hæc talia sunt quæ dignitati Dei et *independentiæ divinæ gratiæ* derogant; siquidem per illa gratiæ dispensatio exhibetur alligata conditioni mere naturali, contingenti et casuali, scil. versatili nostro arbitrio: quod plane repugnat. Ergo.

3° Sic arguam. *a)* Vel conatus ille naturalis consistit in observantia *totius* legis moralis, et id jam pridem constat fieri non posse sine gratia saltem medicinali seu sanante. Hanc autem quia Deus procul dubio ordinat ad gratiam elevantem, naturalis illa completaque honestas intelligi debet veluti *instrumentaliter* evecta ad finem supernaturalem, petens, non ex pacto, sed ex intentione Dei moventis supernaturale auxilium. *b)* Vel conatus naturalis liberi arbitrii reponitur in observantia *aliquorum* præceptorum. Sed, ut Aug. probat (l. I de Pecc. mer. c. 22) et experientia ipsa confirmat, sunt inter infideles et peccatores qui plura legis præcepta observant, aliis modestiores, temperatiores, etc, quos tamen gratia præterit, dum flagitiosissimos convertit. Ergo.

4° Referam a *Clero Gallicano* (1700) in comitiis generalibus damnatas fuisse duas propositiones sequentes.—1ª prop: "Axioma theologicum, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, non solum verissimum est, verum etiam per illud significatur obligatio quam Deus habet dandi gratiam facienti quod in se est, nec solum facienti quod est ex se viribus gratiæ, sed etiam illi qui, cum non habeat gratiam, facit quod in se est viribus naturæ."—2ª prop: "Dicimus obligationem, quam Deus habet conferendi gratiam facienti quod in se est viribus naturæ seu viribus gratiæ pure naturalis sive non theologice supernaturalis, non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno sive congruo, quod insit in illis operibus in ordine ad gratiam, sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum et Patrem inito, ad

gratiam hominibus conferendam propter Christi merita, respiciendo ea naturalia opera ut purum terminum, non ut meritum ullum aut rigorosam conditionem."

Censura Cleri Gall. hæc est : " Hæ duæ propositiones, *qua parte causam discernendi inter justos et non justos in opera mere naturalia referunt*, Semipelagianismum instaurant mutatis tantum vocibus. Pactum autem, quod inter Deum et Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solum tacente, sed etiam adversante S. Scriptura et SS. Patrum traditione prolatum."

3ª *Explicatio probabilis.*—Non desunt qui tenent axioma, de quo agitur, intelligi posse eo sensu, quia facienti quod in se est, scil. *minus indisposito* per peccatum seu pauciora ponenti obstacula Deus *plerumque* (non semper nec infallibiliter) gratiam non denegat [1].

Id 1º consonat *divinæ Sapientiæ* et *Bonitati ;* non quasi minor illa indispositio se habeat velut vera præparatio ad gratiam, sed quatenus in iis qui minus cupiditatibus suis obsequuntur gratia potest facilius et securius effectum suum sortiri.

Id quoque 2º satis conforme est verbis Ap. (1 Tim. I, 13) : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate ;* super quæ ait *Perrone* (de Gr., P. I, cap. 3) : " Etsi Deus gravi peccatorum sarcina onusto possit gratiam conferre, et *quandoque* etiam conferat ad *divitias bonitatis suæ patefaciendas;* juxta consuetum tamen suæ providentiæ ordinem iis *ut plurimum* confert, qui minora obstacula eidem gratiæ opponunt. Atque hinc ratio habetur, quare illi, qui ad honestatis normam mores suos componunt, minus alienos se exhibeant ab amplectenda evangelica doctrina... Pariter, qui ex infirmitate atque ex ignorantia delinquunt *minora impedimenta divinæ gratiæ opponunt*, quam ii qui ex malitia in peccata proruunt; quo sensu aiebat Apostolus se misericordiam a Deo consecutum esse, minime vero se ob ignorantiam dignum exhibuisse ea misericordia quam ei Deus ex sola liberalitate sua tribuit, quamque potuisset denegare. " [2]

1—Dicitur *non denegat* potius quam *dat*, ad melius insinuandam perfectam gratiæ gratuitatem.

2—Cf. Monsabré, Conf. 24ᵉ : *L'action de la Grâce.*

4ª *Explicatio verior et communior.*—Ea est quam tradit *S. Thomas* (I-IIæ, Q. CIX, a. 6 ad 2 et hic Q. CXII, a. 3) omnesque theologi post ipsum concedunt, nempe facienti quod in se est *ex gratia* Deum ulteriorem gratiam sive actualem sive habitualem non denegare; quandoquidem eo tendit benevola Dei motio ac intentio, obsecundans ferventi voluntatis dispositioni.—Ad hanc explicationem reducitur quod supra innuebamus de infideli qui observat totam legem naturalem, utique cum *gratia sanante* re vel ratione distincta a gratia elevante. Tunc enim Deus *instrumentali* quadam dispositione elevat et ordinat moralem honestatem ad bonum gratiæ supernaturalis, quam præcipue intendit. Huc spectant verba *D. Thomæ* (I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 6, et maxime *de Ver.* Q. XIV, a. 11 ad 1) [1].

Solv. obj. (cont. 1am concl., 1am p. 2æ concl., et in favorem 1æ et 2æ expl. sub 3a concl.).

Obj. 1.—"Deus recipit eum qui ad se confugit; aliter esset in eo iniquitas" (Gloss. Rabani in Rom. III). Atqui homo recipitur a Deo secundum collationem gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M :*...qui ad se confugit per actum liberi arbitrii jam per gratiam informati, *C;* per motum liberi arbitrii prævium, *S.d:* secundum quod confugium est ex solo libero arbitrio, *N;* secundum quod est ex motione divina, quam justum est non deficere, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Ideo homo non recipit gratiam, quia non vult accipere (ut eruitur ex Anselmo, l. de Casu diaboli, cap. 3). Atqui remota causa, necesse est removeri effectum. Ergo homo libera voluntate sua gratiam infallibiliter consequitur.

Resp. *D. M :*... quatenus defectûs gratiæ prima causa est ex nobis, *C;* quasi etiam in nobis sit prima causa gratiæ productiva et voluntatis transmutativa, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Plus virtutis requiritur ad bonum generandum remotione obstaculorum et gratiæ infusione quam ad malum resistentis voluntatis. Idcirco, licet defectûs gratiæ prima causa sit ex nobis seu ex nostra resistentia, tamen prima causa desiderii gratiæ ejusque collationis est a Deo, secundum illud (Os. XIII, 9): ***Perditio tua, Israël; tantummodo in me auxilium tuum.***

1—Cf. Billuart, Diss. III, a. 7.

OBJ. 3.—Bonum gratiæ melius est et magis communicativum sui quam bonum naturæ. Atqui forma naturalis ex necessitate advenit materiæ dispositæ. Ergo a fortiori, etc.

RESP. *D. M:*... et secundum eamdem habitudinem ad causam proximam et dispositivam, *N;* diversa habitudine, quatenus scil. natura ex physica necessitate agit, gratia vero libero et gratuito Dei influxu in voluntate libera, *C.—D.m:*... ratione solius materiæ, *N;* per virtutem agentis quo dispositio producitur, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit major in uno quam in alio.

Cum formæ perfectio seu magnitudo ex causa efficiente et dispositiva pendeat, nemo est qui nexum hujus articuli cum præcedentibus non comperiat.—Adversarios hic habemus *Lutheranos* et *Calvinistas* quorum error de justificatione, quam in sola extrinseca denominatione a justitia Christi constituunt (cf. infra), eos duxit ad ponendum in omnibus fidelibus eumdem justitiæ seu gratiæ gradum.—Nos vero, præ oculis habentes distinctionem gratiæ, prout spectetur vel *secundum se* vel secundum *subjecti participationem*, sequentem propositionem propugnabimus.

Conclusio. — GRATIA, NON QUIDEM SECUNDUM SE, SED SECUNDUM DIVERSAM PARTICIPATIONEM SUBJECTI DIVERSOS GRADUS ADMITTIT.

1ª *Pars* negat inæqualitatem gratiæ *secundum se* sumptæ, et hoc sive in via sive in gloria; ita ut excludatur tum diversitas speciei in gratia, tum graduum variatio in eadem gratiæ specie.

Etenim 1° habitus *specie* diversificantur ex parte finis vel objecti, secundum quod dicitur una virtus aliâ nobilior pro ordinatione ad altius bonum. Atqui gratia gratum faciens, secundum suî rationem, conjungit hominem summo bono, scil. Deo, quo nihil nobilius. Ergo.—Immo 2° nequit gratia, in sua unica specie, *major* vel *minor* esse *secundum se* : id

enim contingeret per modum additionis vel subtractionis, sicut cum aliquis plures conclusiones geometriæ addiscit, augetur in eo habitus ejusdem scientiæ secundum speciem [1]. Atqui gratia secundum propriam rationem se extendit perfecta habitudine ad omnia illa quæ fide credenda vel charitate diligenda sunt : tum quia, immediate a Deo procedens, de se omnem defectum abnuit ; tum quia, primum esse deificum conferens, ad indivisibilitatem formæ substantialis quadantenus (non complete) accedit. Ergo.

2ª *Pars* concl. *de fide* est ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 10 et can. 24 et 32).

1° Ejus veritas eruitur ex *Scriptura*, scil. ex (Eph. IV, 7): *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi ;* quod enim mensurate datur non omnibus æqualiter datur. Idipsum ostendit *parabola talentorum* (Matth. XXV, 15 sqq.).

2° Prob. *ratione.*—Ex parte subjecti gratia intelligitur suscipere magis vel minus per intensionem pro diversa participatione, prout scil. unus perfectius imperio gratiæ subjicitur quam alius [2]. Atqui diversitatis hujus duplex assignatur motivum, proximum et supremum, ut clare docet *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7).

a) Ratio proxima petitur *ex homine:* quippe diverso modo homines se ad gratiam habendam præparant. Atqui æquum est ut ille qui magis se disponit pleniorem gratiam accipiat. Ergo.—Attamen, cum ipsa præparatio ad gratiam sit hominis in quantum movetur a Deo, non ex hac parte desumi potest prima causa diversitatis gratiæ.

b) Ratio suprema igitur accipienda est *ex parte Dei* qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat, triplici præsertim ex fine:—*Primo,* ad demonstrandam gratiæ gratuitatem, quæ neque ex necessitate naturæ humanæ vel divinæ, neque ex præexistentis meriti exigentia, sed ex summa Dei liberalitate et pro ejus beneplacito effunditur.—*Secundo,* ad constituendam ex diversis gradibus majorem Ecclesiæ pulchritudinem et perfectionem ; pulchrum enim ex plurium harmonia consurgit. Unde Apostolus, enumeratis diversis gratiis (Eph. IV, 11), subdit (v. 12) : *In ædificationem corporis Christi ;*

1—I-IIæ, Q. LII, a. 2.
2—Cf. *ibid. Q. cit.*, a. 1-2.

siquidem corpus ex partium inæqualium proportione conflatur.—*Tertio*, ad fovendum progressum virtutum et meritorum, per quotidiana studia et exercitia, in via cœlestium ascensionum (Ps. LXXXIII, 6-9).

Solv. obj. (cont. 2^{am} p. concl.)—OBJ. 1.—Gratia causatur in nobis ex dilectione divina. Atqui Deo *æqualiter est cura de omnibus* (Sap. VI, 8). Ergo.

RESP. *C. M.—D.m* :...quantum ad ipsum divinum actum, quo uno, simplici ac uniformi, majora et minora dispensat Deus, *C;* ex parte eorum quæ in creaturis ex divina cura proveniunt, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Ea quæ in summo dicuntur non recipiunt *magis* et *minus*. Atqui gratia in summo consistit. Ergo.

RESP. *D. M* :...secundum se, *C;* secundum subjecti participationem diversitate intensionis et remissionis, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Non potest gratia secundum hoc major esse quod ad majus bonum ordinet, sed ex eo quod ordinat hominem ad idem bonum magis minusve participandum, prouti vi sua propria virtutumque radicibus et surculis animam et potentias nostras diversimode attingit sibique subjicit.

OBJ. 3.—Gratia est vita animæ. Atqui vivere non dicitur secundum *magis* et *minus*. Ergo.

RESP. *D. M* :... vita supernaturalis et accidentaliter participata, *C;* vita naturalis, secundum quam primum esse substantiale et specificum accipitur, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum homo possit scire se habere gratiam.

Reliquum est ut *de causa gratiæ* dicamus secundum *esse cognitionis*.

Porro 1° multiplex cognoscendi modus distinguitur.—Alia namque est cognitio *opinativa* tantum per conjecturas vel indicia, ita ut magis minusve ad perfectam sine hæsitatione assensionem accedat ; alia cognitio *certitudinalis*.—Hæc

autem haberi potest vel *intrinseca rei evidentiâ*, vel *extrinseca revelatione* atque *divina fide* quæ omnem hæsitandi locum arceat, dum humana fides nimiis deceptionibus obnoxia est.

2° *a) Novatores*, erroneis suis principiis inhærentes, scil. quod in opere justificationis liberum arbitrium mere passive se habeat nec aliud nisi fides quædam seu fiducia requiratur [1], statuunt quemlibet de sua justificatione non solum *fidei certitudinem* habere posse, sed et debere ut vere justificetur, adeo ut certitudo hæc non tam effectus quam causa vel conditio justificationis dicenda sit.—*b)* Inter catholicos *Ambr. Catharinus* posuit hominem posse certo cognoscere se esse in gratia *certitudine* absoluta, non quidem fidei immediate, sed *mediante discursu theologico* partim fidei, partim rationi, innixo. Contra quam sententiam agentes *Vega* et *P. Soto* aliud protulerunt, nempe posse de propria justificatione colligi certitudinem æqualem *persuasioni morali* de existentia urbis Romæ.

3° Vera sententia ea est quam theologi *communiter* tuentur ex catholico systemate de justificatione, juxta quod Deus quidem in nobis operatur, non tamen sine nostris liberis dispositionibus.—Tres conclusiones ad mentem Angelici Doctoris proponemus.

Conclusio 1ª.—EX SPECIALI REVELATIONE, QUÆ QUIBUSDAM NON DEFUIT, HOMO CERTO COGNOSCERE POTEST SE ESSE IN STATU GRATIÆ.

1° Id *posse* a Deo revelari, nemo sanæ mentis in dubium vocaverit; siquidem nil prohibet quin gratiæ Auctor sit et gratiæ Revelator.—Immo, juxta S. Doctorem [2], congruit tale privilegium quibusdam excellentioribus sanctis concedi, " ut securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, et ut confidentius et fortius magnifica opera prosequantur et mala præsentis vitæ sustineant."

2° Constat *de facto* revelationem illam factam fuisse: imprimis *B. M. Virgini*, Angelo eam salutante (Luc. I, 28) *Ave, gratia plena, Dominus tecum;* pariter *Nathanaëli*, de quo Salvator ait (Joan. I, 47) *Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est;* etiam *M. Magdalenæ* aliisque quibus Domi-

1—Cf. dicenda inferius *de Justificatione*.
2—In præs. art.

nus peccata dimissa esse declaravit; amplius S. Paulo, juxta illud (2 Cor. XII, 9) *Sufficit tibi gratia mea*, necnon, ut theologi censent, omnibus Apostolis; quin alios minus notos excludamus.

Conclusio 2ᵃ.—SECLUSA SPECIALI REVELATIONE, NEMO CERTITUDINALITER ET ABSQUE FORMIDINE SCIRE POTEST, NEC FIDE NEC IPSA REI EVIDENTIA, SE GRATIAM HABERE.

1ᵃ *Pars*, negans *certitudinem fidei* (contra Protestantes), clare definita est a *C. Trid.* (Sess. VI, cap. 9): " Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat *certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum."—Cf. quoque *(id. Conc.* cap. 16 et can. 13-14); ubi anathemate percellitur doctrina Novatorum.

Sane 1° *Scripturæ*, nedum certam fidem de propria sui ipsorum gratia habendam fidelibus proponant, contrarium prorsus edocent. Sic legitur (Eccle. IX, 1–2): *Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta* [1].—Monitum datur (Eccli. V, 5): *De propitiato peccato noli esse sine metu;* quod frequentia Scripturæ oracula nobis inculcant.—B. Paulus (1 Cor. IV, 3-5), vel antequam peculiari revelatione de propria gratia certior fieret, vel in persona justorum, ut sentiunt quidam Patres, idipsum confirmat; ait enim: *Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi concius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium* [2].

2° Inter *Patres* sat esto *Augustini* vocem audire (Enarr. in Ps. XLI, v. 8, n. 13): " Si profunditas est abyssus, putamus non cor hominis abyssus est? Quid enim est profundius hac abysso?...Abyssum invocant sancti prædicatores verbi

1—De valore critico ac theologico hujus textus vid. Knoll. (cap. V, art. 4, obj. 1).
2—Cf. *Comm.* S. Thomæ in h. loc.

Dei. Numquid et ipsi non abyssus? Ut noveris, quia abyssus et ipsi, Apostolus ait: *Minimum est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Quanta autem abyssus sit, audite amplius: *neque enim ego me ipsum judico.* Tantamne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est?...Ergo omnis homo, licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est [1]."

3° *Rationem* reddit *Bellarminus* (l. III de justif. cap. 8) incertitudinis illius, in qua nos Deus relinquit, docens "non expedire ut homines (exceptis iis in quibus demissio animi altiores radices egerit) habeant certitudinem de propria gratia. Nam, ut *S. Aug.* ait (l. de Corr. et Gr. c. 13), in hoc loco tentationis tanta est infirmitas, ut *superbiam* possit generare securitas. Unde etiam *S. Greg. M.* (l. IX Mor. c. 17) scribit: Si scimus nos gratiam habere, superbimus. Et ipse Dominus (Luc. XVIII) per parabolam Pharisæi et Publicani ostendit eos, qui se justos esse confidunt, facile se cæteris anteponere, eosque despicere: *non sum*, aiunt, *sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus.* Contra autem ignorantia hujus secreti humilitatem conservat et auget."

2ª *Pars* concl. ferit non solum Protestantes, sed et *theologos* initio relatos, quorum sententia difficulter componi potest cum verbis *Trid. (l. cit.)*: "Quilibet, dum seipsum, suamque *infirmitatem* et indispositionem respicit, *de sua gratia formidare* et timere potest"; necnon cum sacris auctoritatibus in medium productis.

Validissima succurrit *ratio.*—Gratia, si posset a nobis certo cognosci secundum ipsam rei evidentiam, vel directe et a priori, vel indirecte et a posteriori innotesceret. Atqui neutro modo: ergo. *Prob. min. a)* Non *directe* et *a priori*: quandoquidem hæc certitudo non potest de aliquo haberi nisi dijudicari valeat per proprium principium sive efficiens, sive formale aut finale, sicut certitudo de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia principia obtinetur. Atqui principium efficiens gratiæ est Deus; Deus quoque est ejus principium specificativum ac finale: verum Suprema illa Majestas nobis propter sui excellentiam impervia manet, juxta

1—De dubiis quibusdam Patrum sententiis cfr.cl. Bellarm., (l. III de Justif. c. 10).

illud (Job. XXXVI, 26): *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Ergo ejus in nobis præsentia vel absentia per certitudinem, saltem directe et a priori, cognosci non potest, secundum aliud dictum biblicum (Job. IX, 11): *Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam.* *b)* Neque *indirecte* et *a posteriori*: cognitio enim hujusmodi colligeretur, sive per *dispositiones* quas homo afferre debet ad gratiam in Sacramentis recipiendam, sive per *effectus* internos aut externos quos gratia gignit. Atqui, quamvis infallibili certitudine constet sacramenta rite administrata *ex se* producere gratiam, semper tamen superest dubium aliquod de hominis dispositione, num scil. sufficiens sit atque supernaturalis; pariter ea quæ homo experitur vel facit, quasi in gratia, deceptioni subjecta sunt, propterea quod non solum esse supernaturale actuum et operum salutarium participat de excellentia et impenetrabilitate Dei, sed quia insuper homo, etiam gratia privatus, eadem vel similia naturali ex motivo perficere potest. Ergo.

Conclusio 3ª.—POTEST HOMO CONJECTURALITER SEU CUM CERTITUDINE LATE DICTA COGNOSCERE SE HABERE GRATIAM;—quod omnes concedunt.

Revera 1º ex una parte *Scriptura* nos ad timorem inducit secundum ea quæ jam attulimus, quibus accedit illud (Phil. II, 12): *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Ex altera parte legimus (Rom. XV, 14): *Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione*, et (*ibid.* VIII, 16): *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Atqui Sacræ Litteræ nequeunt sibi contradicere. Ergo homo ex testimonio bonæ conscientiæ colligere potest notitiam quæ non tollit quidem omnem formidinem, tollit tamen omnem hæsitationem et anxietatem, atque certitudinem *non fidei*, sed spei, seu *fiduciam* parit [1].

Id 2º eleganter explicat *S. Thomas* (h. loc.), quatenus nempe homo, percipiens se delectari in Deo, et contemnere res mundanas, neque conscius ullius peccati mortalis, suavem quamdam dulcedinem experitur solis justis reservatam, juxta

1—De differentia inter utramque certitudinem, fidei et spei, cf. cl. Satolli in h. art.

... quibus homo conjecturaliter solet cognoscere se habere gratiam:

Ante baptismum = Absentia peccati gravis; - internus et continuus affectus ad Deum; - assiduitas in oratione; - exercitium bonorum operum; - frequens usus sacramentorum in bona dispositione.

Post sacramentum pœnitentiæ = Si confessus est sincere sacerdoti jurisdictionem habenti; - si confitetur modo convenienti etiam si facilitationem habeat.

Post peccatum mortale = Signa increscendi in vita spirituali; - si quis diu perseveret sine peccato mortali (magnum signum); magna devotio; contemplatio magna; dilectio Dei super omnia.

illud (Apoc. II, 17): *Vincenti dabo manna absconditum... quod nemo scit, nisi qui accipit.*—Immo pleraque sunt indicia vel signa externa gratiæ quæ, præsertim dum simul habentur, in se et secundum ordinem Providentiæ apta nata sunt, in oculis fidelium et ipsius Ecclesiæ, moralem fundare suasionem de bona vita justorum.

Solv. obj. (cont. 2^{am} concl.).—Obj. 1.—Gratia est in anima per sui essentiam. Atqui certissime cognoscit anima quæ in se sunt per suam essentiam. Ergo.

Resp. *D. M*:... ontologice, *C*; logice seu secundum proportionem perfectæ cognoscibilitatis ad mentem nostram, *N*.—*D.m*:... ea cognoscit immediate, *N*; mediate et experimentaliter, *S.d*: quæ in se sunt naturaliter, *C*; supernaturaliter, *N*.—*Neg. conseq.*

Illa quæ per essentiam suî *naturaliter* insunt animæ cognoscuntur a nobis, non quidem immediate, sed mediate et *experimentaliter*, quatenus per actus principia intrinseca experimur, puta voluntatem volendo et vitam operando.—Verum gratia est principium agendi *supernaturale*, quod non habet unum aliquem actum ita sibi proprium ut non possit fieri quoad substantiam per aliquam potentiam naturalem. Unde ex actibus nostris nequimus certo gratiæ existentiam inferre.

Obj. 2.—Sicut scientia aut fides est donum Dei, ita et gratia. Sed qui scientiam aut fidem a Deo accipit certo novit se eam habere. Ergo.

Resp. *D. M*:...ex parte Dei donantis, *C*; quoad rationem doni et subjectum in quo est, *N*.—*C.m.*—*Neg. conseq.*

Cum certitudo pertineat ad perfectionem intellectus, intellectus vero sit potentia perfecte supra seipsam reflexiva, mirum non est quod scientia et fides, quæ in intellectu resident, secum ferant non solum certitudinem directam de objecto scito vel credito, sed et reflexam de ipsa scientiæ aut fidei existentia.—Non est autem similis ratio de gratia et charitate aliisque hujusmodi, quæ perficiunt vim appetitivam.

Obj. 3.—Lumen gratiæ cognoscibilius est quam tenebræ peccati. Atqui peccatum certo sciri potest a peccatore. Ergo.

Resp. *D. M*:...secundum se, *C*; etiam respectu hominis cognoscentis, *N*.—*D.m*:...præcise qua peccatum est, *N*; secundum rationem actus defectivi, *C*.—*Neg. conseq.*

Peccatum, in quantum est actus defectivus, pro principio et pro objecto habet *bonum commutabile*, ex quo cognoscibilitatem nobis proportionatam sortitur. Verum objectum vel finis gratiæ longe nos sui luminis excellentiâ transcendit secundum illud (1 Tim. VI, 16) : *Lucem inhabitat inaccessibilem.*

Obj. 4.—Ap. dicit (1 Cor. II, 12) : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Ergo.

Resp : 1° id posse intelligi de notitia privilegiata per *revelationem* Apostolis factam, secundum quod præmittitur (v. 10): *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*—2° Idipsum optime exponitur de donis divinis, præsertim gloriæ, quæ nobis oblata sunt *in spe*, quæque certissima quidem fide cognoscimus absolute seu ex parte Dei dantis, quin tamen certo cognoscamus nos esse in iis conditionibus quibus ea consequi valeamus. [1]

1—Adeundus est Bellarm., qui plura alia dubia luculenter dissipat (*loc. cit.* cap. 9-11).

QUÆSTIO SECUNDA

DE DISPENSATIONE GRATIÆ

Causa gratiæ considerari potest vel *absolute* seu ex parte sui, prout supra instituimus, vel *relative* seu respectu eorum quibus divitias donorum suorum elargitur : quod nunc discutiendum manet.—Quæstionem hanc S. Thomas, cum de gratia in genere dissereret, prætermisit, quam tamen non uno suorum operum loco, pro tractandæ materiæ exigentia, attigit et sufficienti lumine illustravit.

Supponimus hic Deum optimum, gratuito quidem, at effectivo suæ voluntatis beneficio, collapsum humanum genus secundum ordinis ac finis supernaturalis providentiam restaurasse.—Quia vero in confesso est non omnibus dari gratiam *efficacem* qua de facto salutem consequantur, quæstio impræsentiarum exsurgit utrum gratia, si non *proxime*, saltem *remote sufficiens* ad salutem comparandam omnibus et singulis *offeratur*, imo et *conferatur* pro loco et tempore opportuno [1].

Claritudinis gratia et communi theologorum more, quæstionis argumentum dividemus in quatuor articulos pro quadruplici hominum genere qui vel *justi*, vel *peccatores* communes, vel peccatores *excæcati* et *indurati*, vel tandem *infideles* existunt.

ARTICULUS I.

De gratia justis concessa.

a) Protestantium antesignani, Lutherus, Calvinus, etc, docere non erubuerunt homines quoscumque, ex *corruptione naturæ*, mandata divina observare non posse. Aiebat *Melanchton* (ad cap. 4 Ep. ad Rom.) : “ Cum mandat lex

1—Cf. Mazzella, Disp. IV, art. 2.

diligi Deum, perinde impossibilia jubet atque si præcipiat nobis transvolare Caucasum." Unde eos *Trid. Conc.* damnavit.—*b)* Errorem hunc renovarunt *Janseniani*, ponentes nonnulla mandata Dei esse homini justo impossibilia, *quia gratia, saltem vere et relative sufficiens, illi deest.*—*c)* Doctrinam catholicam, hæresi oppositam, sequenti propositione statuamus.

Conclusio. — OMNIBUS ET SINGULIS JUSTIS DATUR GRATIA VERE ET RELATIVE SUFFICIENS, SALTEM REMOTE, AD SERVANDA PRÆCEPTA, QUIBUS OMISSIS ÆTERNA SALUS PERICLITARETUR.—*a)* Dico: gratia *vere et relative sufficiens*, seu quæ talis sit etiam inspectis circumstantiis præsentis conditionis (contra Jansenianos).—*b)* Dico quoque: *saltem remote sufficiens*, qua nempe si bene justi utantur, proximum auxilium accipient.

Conclusio est *de fide*, uti constat præsertim ex *Trid.* (Sess. VI, can. 18): " Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, A. S." ; necnon ex prima *Jansenii* prop: " Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant:" quam prop. RR. PP. proscripserunt ut *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam* et *hæreticam*.

Nam 1° indubia sunt *Scripturæ* eloquia.—Et primum in V. T. de mandato Judæis dato circa Deum ex toto corde diligendum legimus (Deut. XXX, 11-14): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum...sed juxta te est sermo valde, in ore tuo et corde tuo, ut facias illum.* Præterea (Ps. XXXIII, 16): *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum;* et (Ps. XXXVI, 25): *Non vidi justum derelictum.*—In N. T. dicitur (1 Joan. V, 3): *Hæc est charitas Dei ut mandata ejus custodiamus; et mandata ejus gravia non sunt.* Et (1 Cor. X, 13): *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Porro hunc textum non solum ad justos *prædestinatos*, uti volebant Janseniani, sed communius ad *omnes* spectare, apparet tum ex *Augustini* verbis (Enarr. in Ps. CXX, n. 14, et l. de Catech. rud. c. 25),

tum ex scopo Apostoli omnes Corinthios alloquentis et solari cupientis, tum ex *Conc. Trid.* (Sess. XXIV, c. 9) ubi testimonium illud omnibus Clericis majoribus et Regularibus applicatur.

2º Eloquens *traditionis* præco, *S. Chrysostomus*, (Hom. XVI in Ep. ad Heb. n. 4) sic virtutis studium commendat: "Non licet dicere: non possum; id esset accusare opificem. Nam si nos fecit imbecilles, et jubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo, inquis, multi non possunt? quia nolunt. Quomodo ergo multi nolunt? præ desidia; nam si velint, poterunt omnino... Habemus quippe cooperatorem et adjutorem Deum: tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam."—(Vide plura Patrum testimonia apud Knoll, cap. IV, art. 2).

3º Non aliter sentit *S. Thomas*, siquidem (*de Ver.* Q. XXIV, a. 14 ad 1) ait: "Illud quod præcipit Deus non est impossibile homini ad servandum; quia et substantiam actus potest ex libero arbitrio servare, et modum quo elevatur supra facultatem naturæ, prout scil. fit ex caritate, *potest servare ex dono gratiæ*."—*Rationem* autem certitudinis de divino auxilio assignat *Angelicus* (Lect. 1 in Ep. 1 ad Cor. c. I): "Deus vos confirmabit, quod debetis sperare, quia *Deus est fidelis*... Non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret ad societatem Filii (nempe per gratiam sanctificantem), et nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ ad eum pervenire possemus; unde (Josue I) dicit: *Non te deseram, neque derelinquam*."—Alibi, loquens de resistentia adversus peccatum, ait (3 S. D. XXXI, Q. 1, a. 3): "Caritas quæ est parva in principio tentationis potest tentationibus resistere, quia in fine tentationis fit magna, cum Deus *pugnanti auxilium semper administret*."

Solv. obj.—OBJ. 1.—Dixit Christus (Joan. VI, 44): *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Atqui tractio non est aliud quam gratia efficax. Ergo nemo potest cum gratia sufficiente, sine efficaci (qua tamen plures carent justi), operari salutem.

RESP. *C.M.—D.m* :...tractio complete et finaliter sumpta, *C*; tractio quæcumque, *N.—Neg. conseq.*

Audiatur *S. Thomas* (Lect. 5 in cap. VI Joan.): "Respondeo dicendum quod vere nullus venire potest, nisi tractus

a Patre. Nam sicut grave per naturam non potest per se sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita cor humanum, ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari nisi tractum. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, *qui*, quantum in se est, *nulli deficit*, sed est propter impedimentum ejus qui non trahitur... Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est, et, quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se convertit."

Obj. 2.—Petrus, quando tentatus fuit ut Christum negaret, certe justus erat. Atqui nihilominus tunc gratia destitutus fuit, ut patet tum ex Joan. (XIII, 36) *Non potes me sequi modo, sequeris autem postea,* tum ex testimonio Patrum, præsertim Hilarii, Chrysostomi et Augustini. Ergo.

Resp. *D. M* :... et peccatum externæ negationis præcessit in eo culpa internæ elationis, *C*; quin admittenda sit prævia illa præsumptio, *N.*—*D.m* :... gratia efficaci, *C*; sufficienti, *S.d* : *proxime* sufficienti, *Trans* ; *remote* sufficienti, *N.*—*Neg. conseq.*

Dubium non est, Petrum habuisse gratiam *remote sufficientem*; quam si rite adhibuisset, potuisset gratiam *efficacem* superandæ tentationis obtinere. Christus enim (Matth. XXVI, 41) Petrum admonuit ut vigilaret et oraret, ne intraret in tentationem ; hæc autem externa admonitio cum interna gratia conjuncta fuit : alias Christus non tam graviter Petri somnolentiam reprehendisset (Marc. XIV, 37).—Neque quidpiam evincunt citata *Scripturæ* verba ; quorum sensus est Petrum non potuisse tunc mori cum Christo, quia futurus erat visibilis Ecclesiæ pastor.—*Patres* vero, dum dicunt Petrum vel non potuisse vitare culpam (Hilar.), vel fuisse a Deo derelictum (Chrys., Aug.), nihil aliud significant nisi aut impotentiam *consequentem*, quo sensu dixit Christus (Matth. XXVI, 40) *Non potuistis una hora vigilare mecum*, aut subtractionem auxilii efficacis in pœnam præviæ præsumptionis [1].

1—Cf. Knoll, *loc. cit.*, ubi aliæ objectiones diluuntur.

ARTICULUS II.

De gratiæ auxiliis per respectum ad peccatores communiter dictos.

Peccatores alii dicuntur *communes*, alii *obcæcati* et *indurati*. Communes ii audiunt qui, quamvis gratia sanctificante privati, nondum tamen Dei timorem penitus abjecerunt.—Certum est ex dissertis (Disp. II) neminem posse, sine gratia divina, a statu peccati simpliciter resurgere.—Hic autem quæritur num Deus peccatoribus, qui nec infideles nec omnino obdurati sunt, gratias impertiatur proxime vel remote sufficientes, puta gratiam orationis, unde a peccatis resipiscere et in viam salutis redire queant.

Veritati intentæ adversantur, post *Prædestinatianos*, *Calvinistæ* et *Jansenistæ*.

Conclusio.—DEUS OMNIBUS PECCATORIBUS COMMUNIBUS, PRO LOCO, TEMPORE, CÆTERISVE ADJUNCTIS, TRIBUIT GRATIAS PROXIME VEL REMOTE SUFFICIENTES, QUIBUS AD JUSTITIAM REVERTI DIVINAMQUE LEGEM IMPLERE VALEANT.—Id saltem *fidei proximum* dici potest ex *Trid.* verbis (Sess. VI, c. 14): " Qui, accepta justificationis gratia, per peccatum exciderunt, *rursus justificari poterunt*, cum excitante Deo, per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint ".

1° *S. Scriptura* frequenter misericordiam Dei erga peccatores prædicat.—Sic in V. T. legimus (Ezech. XVIII, 23): *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Et (*ibid.* XXXIII, 11): *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis.*—In N. T. Christus ait (Luc. V, 31-32): *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Unde iterum Christus (*ibid.* XV, 4 sqq.) se bono comparat pastori qui, si perdiderit unam ex ovibus, *vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.*

2° Tota vita Christi id ipsum comprobat.—Non solum enim cum peccatoribus, sive Pharisæis, sive Publicanis,

sæpius conversatus est, sed Pharisæis murmurantibus *quia hic peccatores recipit et manducat cum illis* (Luc. XV, 2), eorum duritiem retudit per admirandam nec satis laudandam *filii prodigi* parabolam. *Mulierem adulteram* confusis ejus adversariis remissisque peccatis dimisit (Joan. VIII); *Mariam Magdalenam*, *quæ erat in civitate peccatrix* (Luc. VII), peramanter accepit, eamque contra scandalum pharisaïcum defendens a delictis absolvit; *Petrum* discipulum et Apostolum, qui ter Magistrum suum negaverat, evexit ad primatum super universam Ecclesiam (Joan. XXI); demum (alia plura prætereo) Salvator, in cruce moriens pro omnibus hominibus, nobis Matrem suam in nostram reliquit, ea præsertim ratione ut peccatores mediatricem haberent quæ " magna apud Deum polleat gratia et benignitate sit animi tanta, *nullius* ut recuset *desperatissimi* patrocinium, afflictosque jacentesque in spem erigat clementiæ divinæ " (Encycl. *Octobri mense* Leonis XIII) [1].

3° Inter plura *Patrum* suffragia [2] seligo illud *S. Augustini* (Enarr. in Ps. CII, n. 16) : " Misericors Dominus... vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis. *Longanimis, et multæ misericordiæ.* Sed observa, ne longitudine misericordiæ Dei male utendo tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, *iram in die iræ.*"—Accedit *Conc. Coloniense* (part. 7, c. 32) : " Quanquam nemo convertatur ad Dominum nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat quod non trahatur; quod ille *semper stet ante ostium pulsans*, nimirum per *externum* et *internum* verbum commonens ut convertamur a via nostra pessima."—Hinc pio stylo *S. Paulinus* divinam extollit clementiam (Carm. 6 de S. Joan. Bapt.) :

> " O Pater, o hominum rerumque æterne Creator,
> Quot gradibus parcit pietas tua ! Quis pater unquam
> Sustinet erranti toties ignoscere nato ? "

1—*De Mariæ Virginis Rosario.*
2—Cf. Knoll. *loc. cit.*

4° Subjiciam verba *Catech. Trid.* quibus singularis Dei bonitas in peccatores inculcatur (P. IV, 5ª pet., n. 19): "Idem est ille beneficentissimus Parens, qui, cum possit omnia condonare, non modo se id velle declaravit, sed etiam impulit homines ut a se veniam peterent; et quibus verbis id facerent, docuit. Quare nemini dubium esse potest, quin illo auctore in nostra potestate sit nobis Dei gratiam reconciliare."—In eumdem sensum conveniunt quæ habet *S. Thomas* (Opusc. VII, c. 9): "Licet simus peccatores, non debemus desperare, ne desperatio ducat nos ad majora et diversa peccata, sicut dicit Ap. (Eph. IV): *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*, etc. Ergo multum est utile quod semper speremus, quia quantumcumque homo sit peccator, debet sperare quod Deus, si perfecte conteratur et convertatur, dimittit ei. Hæc autem spes firmatur in nobis cum petimus: *Dimitte nobis debita nostra.*"

5° *Rationis* probatio duplici ex capite duci potest:

a) Primo ex *mediis externis* divinæ gratiæ.—Ordinat enim Deus plura media externa, v. g. verbum Dei, sacramenta, correctionem fraternam, ad peccatorum conversionem. Atqui, nisi Deus simul peccatoribus internas gratias largiretur, inutiliter media illa instituta fuissent. Ergo.

b) Secundo ex *præcepto*, quod Deus peccatoribus imponit, sese convertendi legemque tum naturalem tum supernaturalem implendi, dum tamen id sine gratia impossibile est: quippe "Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis" (*Trid.* Sess. VI, cap. 11). Recte *S. Thomas* (2 S. D. XXVIII, Q. I, a. 3): "Deus non est magis crudelis quam homo. Sed homini imputaretur ad crudelitatem, si obligaret aliquem per præceptum ad id quod implere non posset. Ergo hoc de Deo nullo modo æstimandum est." Et (*de Ver.* Q. XXIV, a. 14 ad 2): "Recte homo corripitur, qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia est quod gratiam non habet per quam potest servare mandata quantum ad modum."

Concludamus itaque cum *Conc. Valentino III* (an. 855, can. 2), *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Legimus (Eccle. VII, 14): *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille*

despexerit. Ergo dantur peccatores qui, a Deo despecti, pœnitentiam agere nequeunt.

Resp. *D. antec*:...et hic textus rite intelligitur de vitiis *naturalibus*, quæ medici sanare arte sua non possunt, *C*; de vitiis *moralibus*, *S.d*: ita ut per hæc verba necessitas gratiæ divinæ adstruatur, *C*; quasi significetur subtractio gratiæ sufficientis, *N.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—S. Aug. (Ep. 217, al. 107, ad Vital. Carth. n. 5) ait: "Scimus (gratiam) non omnibus hominibus dari." Ergo tenendum est eam maxime peccatoribus negari.

Resp. *D. antec*:...non omnibus dari *ad sensum Pelagianorum*, i. e. æqualiter aut ex merito initiali naturæ, *C*; in sensu catholico, *S.d*: non omnibus dari gratiam baptismi vel gratiam efficacem, *C*; neque gratiam sufficientem, *N.*—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Ideo statuitur Deum peccatoribus per gratiam sufficientem adesse, quia alioquin præcepta forent eis impossibilia neque transgressio ad culpam imputabilis. Atqui contrarium docet *S. Augustinus* (l. de Perf. just. cap. 6, n. 15): "Peccatum est, inquit,...sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia, si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit." Ergo.

Resp. *C. M.*—*N.m.* Ad prob. *D*:...et loquitur Augustinus de eo quod non potest vitari absolute, *N*; secundum hypothesim dominantis cupiditatis gratiâ tamen vincibilis. *C.*—*Neg. conseq.*

1° Non solum Deus, ut fide constat, impossibilia præsentibus viribus non jubet, sed, juxta gravissimos theologos, neque *peccatori communi*, ulteriori gratia destituto, ad culpam imputari posset impotentia, proprio licet peccato inducta, implendi totam legem divinam; quandoquidem peccator ille, maxime si ex infirmitate tantum peccaverit, nec prævidit neque humano modo, attenta Dei bonitate ac liberalitate, prævidere potuit privationem omnis auxilii sufficientis qua redderetur impotens ad observationem mandatorum præsertim supernaturalium: quæ tamen conditio ad voluntarium in causa requiritur.[1]—2° Quod ad *D. Augustinum* attinet, id solum S. Doctor significavit, peccatum esse quod non potest

1—Cf. Billuart, *De Deo*, Diss. VII, a. 8.

vitari *ex hypothesi* dominantis præsentis cupiditatis; cujus tamen dominatus, præterita voluntate ortus, per Dei gratiam omnibus concessam auferri potest.

ARTICULUS III.

De peccatoribus excæcatis et obduratis.

1° *a)* Post S. Thomam (*de Ver.* Q. XXIV, a. 11), duplex a theologis distinguitur *excæcatio et obduratio* : *perfecta* quidem, quæ est damnatorum, prouti irreparabiliter peccato adhærent ; *imperfecta* vero, in quam incidunt obstinatiores peccatores viæ, manente tamen possibilitate quadam resipiscentiæ.—*b)* " Excæcatio et obduratio duo important. Quorum *unum* est motus animi humani ; et quantum ad hoc *Deus non est causa* excæcationis et obdurationis, sicut non est causa peccati. *Aliud* autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum, et quantum ad hoc *Deus est causa* excæcationis et obdurationis " (I-IIæ, Q. LXXIX, a. 3).

2° Quæstio est utrum hominibus excæcatis et obduratis, in peccati pœnam, penitus subtrahatur omne auxilium sufficiens quo mentis duritiem deponere valeant, vel utrum saltem levis quædam supernæ gratiæ aura ad ipsos interdum aspiret. — Qua in re duplex est opinio : severior *una* a *Bannez, Gonet*, aliisque propugnata, qua quibusdam peccatoribus obduratis omne auxilium conversionis negatur ; *altera communior*, affirmans cunctis peccatoribus præsto esse auxilium quo converti possint.

Conclusio.—LICET PECCATORIBUS EXCÆCATIS ET OBDURATIS MULTÆ GRATIÆ SUBTRAHANTUR ; NON TAMEN EIS DENEGANDA SUNT AUXILIA QUÆDAM SUFFICIENTIA QUIBUS A PECCATIS RESURGERE VALEANT.

1ª *Pars* sibi vult multas gratias non solum efficaces, sed et proxime sufficientes, peccatoribus communibus concessas, iis subtrahi qui divinæ voci diu obstinateque resistunt.

Sane 1° legimus (Joan. XII, 39-40) : *Propterea non pote-*

rant credere, quia dixit Isaïas: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. Atqui Deus, ut novimus, non excæcat et indurat impertiendo malitiam, quod sanctitati ejus repugnaret, sed subtrahendo gratiam illustrationis et inspirationis. Ergo.—Præterea Christus in fine parabolæ de talentis (Matth. XXV, 29) ait: *Omni habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo.* Scilicet quemadmodum ei qui gratiis divinis bene utitur alia beneficia præstantur, ita abutenti pertinaciter donis Dei ulteriora auxilia denegantur.

2° Id ipsum docent *SS. Patres;* quos inter sic effatur *S. Hieronymus* (l. 2 in Is. V, 5, ubi spiritualis derelictio sub specie vineæ conculcatæ et desertæ significatur): "Tollitur Dei auxilium ab his qui indigni sunt, ut, quia non senserant Deum per beneficia, sentiant per supplicia". *S. Augustinus* (l. 5 c. Julian. cap. 3) scribit: "Cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et *peccatum* est, quo in Deum non creditur, et *pœna* peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et *causa* peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur".

3° *Ratio* eamdem veritatem ex *divina justitia* adstruit: siquidem æquum est ut despiciens Deum a Deo despiciatur. Hinc *S. Thomas* (C. G. III,162), memoratis gratiæ et naturæ bonis sive internis sive externis quibus homo contra peccatum adjuvari potest, addit: "Cum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit *pro merito suæ actionis,* secundum quod ejus justitia exigit, dicitur Deus eos obdurare vel excæcare".

2ª *Pars,* non obstante contraria quorumdam opinione, *certa* nobis videtur præsertim ex *Conc. Later. IV* (c. *Firmiter*): "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam *potest semper reparari.*"

Revera 1° Deus expresse peccatores obduratos ad pœnitentiam invitat, eosque renuentes objurgat. Atqui hæc necessario supponunt gratiam, sine qua pœnitentiam agere non possent. Ergo. *Maj. prob.*:—ex (Is. LXV, 2): *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas;* cf. quoque Prov. I, 20-25. B. Paulus ait (Rom. II, 4-5): *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam*

benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Accedit illud (2 Pet. III, 9): *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* ubi divina misericordia nulla exceptione circumscribitur.

2° Favet *Patrum* auctoritas, imprimis *S. Augustini* qui (Enarr. in Ps. VI, n. 8), explanans verba Apostoli *Tradidit illos in reprobum sensum,* ait: "Ea est cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit ab interiore Dei luce secluditur, sed *nondum penitus,* cum in hac vita est." Consentit *S. Prosper* (Resp. 15 ad obj. Vincent.): "Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat."—*Conc. Coloniense* (Enchirid. Christ. institut., tit. de Sacram. Pœn.), loquens de gratia generali quam reponit in bono motu et bona cogitatione, dicit: "Jam constat Deum nulli hominum gratia illa generalius accepta deesse, adeo ut nullus sit peccator tam scelestus cui Deus, quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam penitus subtrahat."

3° Hæc doctrina *ratione* suadetur:

a) Primo ex *libertate humana* et *virtute gratiæ* summopere commendanda. Ait enim *S. Thomas* (III, Q. LXXXVI, a. 1): "Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est: primo quidem quia per hoc tolleretur libertas arbitrii; secundo, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitendum."

b) Secundo ex statu viæ, in quo peccatores obdurati versantur, quique postulat ut viator habeat unde ad terminum progredi possit. Hinc *Angelicus* (4 S. D. XX, Q. I, a. 1, sol. 1): "Deus, qui dat omnibus abundanter, nulli gratiam denegat qui quod in se est facit ut se ad gratiam præparet. Hæc autem præparatio fit per motum liberi arbitrii (mediante scil. auxilio actualis gratiæ): unde quamdiu manet homini usus liberi arbitrii in hac vita, *in qua nondum est confirmatus ad malum,* potest se præparare ad gratiam de peccatis dolendo; et gratiam remissionis peccatorum consequitur." [1]

c) Tertio ex *sensu* et *praxi Ecclesiæ,* quæ non solum

1—Cf. quoque 1 S. D. XLVIII, Q. 1, a. 3 ad 2; *De Ver.* Q. XXIV, a. 11.

veniæ spem quibuslibet etiam scelestissimis peccatoribus benigne prædicat, sed insuper omni ministrorum suorum arte conatur eos ad pœnitentiam adducere. "In Ps. LXVII, 23 dicitur: *Convertar in profundum maris*, i. e. ad eos qui erant desperatissimi, et ita illi qui videntur esse desperatissimi in hac vita quandoque convertuntur ad Deum et Deus ad eos" (*de Ver*. Q. XXIV, a. 11).

Sub fine *advertam* inter peccatores excæcatos et *obdurates*, qui tamdiu beneficia Dei neglexerunt, et peccatores *communes* præsertim ex infirmitate labentes hanc, præter alias, intercedere differentiam: quia, priores, tametsi eis desit pro observando aliquo præcepto supernaturali gratia sufficiens, non tamen ideo a culpa transgressionis excusandi sunt; siquidem defectus ille imputari ipsis debet tanquam voluntarius *in causa*, nec merito jure pro singulis præceptis implendis gratiam exspectare possunt. Posteriores vero magis sunt excusatione digni.

Solv. obj.—Obj. 1.—De Esaü legitur (Hebr. XII, 17): *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam*. Ergo.

Resp: 1° sensum esse quod Esaü obtinere nunquam potuit ut subtractæ sibi et Jacobo impertitæ benedictionis aut parentem suum Isaac aut Deum pœniteret.—Sed 2° neque ipsius pœnitentia ei utilis fuit, cum doluerit non de peccato suo (mox enim voluit occidere fratrem), sed de damno quod incurrit et de amissa benedictione, satagens, sed frustra, illam recuperare [1]. (Ita theologi communiter.)

Obj. 2.—Deus dicit (Amos I, 3): *Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum*. Ergo.

Resp: 1° per negationem conversionis intelligi quod Deus non reducet populum illum ad accipiendam veniam [2], sed eum, in justam scelerum vindictam, *malis temporalibus* afflictabit.—Quod si 2° verba illa exponere oporteret de negata conversione spirituali, dicendum foret iisdem significari subtractionem *efficacium* tantum gratiarum.

Obj. 3.—Ii nullam accipiunt gratiam pro quibus non est orandum. Atqui nonnulli sunt in statu viæ pro quibus non

1—Cf. S. Th. *Comm.* in h. l.
2—Cornelius a Lapide, *Comm.* in h. l.

est orandum; (1 Joan. V, 16): *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis;* et (Jer. VII, 16): *Tu ergo noli orare pro populo isto,* etc. Ergo.

Resp. *D. M* :...pro quibus nullo modo est orandum, *Trans;* pro quibus non ad quemcumque orare pertinet, vel qui omni oratione indigni sunt, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

"Non prohibetur aliquis pro quibuscumque peccatoribus in hac vita orare; sed in verbis Apostoli inductis significatur quod non ad quemcumque pertinet pro obduratis in peccato orare, sed ad aliquem *perfectum virum.* Vel Apostolus loquitur de peccato ad mortem, quod scil. *usque ad mortem* durat.—In verbis autem Prophetæ ostenditur quod populus ille justo Dei judicio *indignus* erat quod misericordiam consequeretur, non quod essent totaliter obstinati in malo" (*de Ver.* Q. XXIV, a. 11 ad 8)[1].

ARTICULUS IV.

De infidelibus et infantibus sine baptismo decedentibus.

1° Infideles alii *positivi* nuncupantur, qui, quum fidei notitiam habuerint, eam amplecti noluerunt; alii *negativi,* qui nihil de vera fide divinitus revelata audierunt.—Sermo præsens præcipue instituitur de *infidelibus negativis,* et primum de *adultis* quibus appellatio hæc proprius convenit, postea autem de *parvulis* sine baptismo morientibus.

2° *Præmittendum est a)* hic non quæri, an gratia *externæ vocationis,* quæ ordinarie fit per prædicationem Evangelii (Rom. X, 14), ad omnes infideles perveniat; quominus enim id fiat, nimia obstant sive physica sive moralia impedimenta. Quæstio est igitur de vocatione *interna.*—*b)* Sub hac autem vocatione comprehenduntur *gratiæ præambulæ ad fidem,* cujus generis sunt tum auxilia medicinalia unde homo vim obtinet servandi legem moralem ideoque removendi obstacula peccati, tum pii motus seu cogitationes, dubia, desideria,

1—Cf. *ibid.* plura alia objecta et soluta.

orationes, in ordine ad veram fidem consequendam.—*c)* Porro certum est (contra Jansenium) Deum *aliquibus* saltem infidelibus, uti *Eunucho* Reginæ Æthiopum et *Cornelio* Cent. contigit (Act. VIII, 27; X, 1), gratiam sufficientem et præparatoriam ad fidem conferre. Unde Alexander VIII damnavit sequentem *Arnaldi* prop: *Pagani, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a J. C. influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente*[1]. *d)* Dubium ergo eo vergit, an gratia remote saltem sufficiens non solum quibusdam, sed et *omnibus* et singulis infidelibus concedatur.

3° *Nonnulli* theologi catholici id negant; *plerique* vero affirmant. Apud quos tamen non parva esse videtur dissensio in explicando *modo* quo Deus infidelibus media salutis provideat. Et *Ripalda* eo usque processit ut proponeret, saltem dubitative, sententiam de duplici fide, late et stricte dicta, quasi *fides lata*, ex solo testimonio creaturarum concepta, cum gratia quadam interiori sufficeret ad justificationem, ideoque infidelibus foret velut tabula salutis. At Innocentius XI postea damnavit hanc prop: " *Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.*" [2]

Conclusio 1ª.—OMNIBUS ET SINGULIS INFIDELIBUS ETIAM NEGATIVIS DATUR, PRO LOCO ET TEMPORE, GRATIA SUFFICIENS AD SALUTEM.—Hoc plerisque *certum* videtur, et quamvis desint expressa Ecclesiæ documenta, notanda tamen sunt sequentia verba (Encycl. *Quanto conficiamur* Pii IX, 1863): " Notum nobis vobisque est, eos qui *invincibili* circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati honestam rectamque vitam agunt, *posse divinæ lucis et gratiæ operante virtute* æternam consequi vitam."

1—Inter *Quesnelli* propp. a Clement XI proscriptas, legitur 26ª prop: " *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem;* "—27ª prop: " *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum;* "—29ª prop: *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*"

2—Vid. plura ap. Mazzella, Disp. IV, n. 5.

Et vere 1º *Scriptura* testatur Deum providere de *omnium* salute. (Sap. XI, 24 sqq.): *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pænitentiam... Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas;* quæ Dei miseratio, ex omnipotentia et creationis titulo petita, non solos electos, sed omnes prorsus homines attingere censenda est. (1 Joan. II, 2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* (2 Cor. V, 14): *Pro omnibus mortuus est*, et (1 Tim. II, 6): *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* super quæ *S. Thomas* (*Comm.* Lect. 1): " Pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus *sufficienter*, quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium." Atqui hæc principia minime consisterent, si reapse infidelibus nullus ad salutem pateret accessus. Ergo.—Imo *diserte* Scriptura providentiam Dei asserit quoad salutem infidelium. Ita (1 Tim. II, 4) dicitur Deus velle *omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* (Ibid. IV, 10): *Qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.*" Et (Rom. X, 12): *Non est distinctio Judæi et Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*"

2º Immensus forem, si cuncta *Patrum* effata in doctrinam nostram conferre vellem: pauca rem conficient. *S. Joan. Chrysost.* (Hom. 8 al. 7 in Joan.) scribit: " Si (Christus) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quonam pacto tot homines sine lumine permanent?...non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia *in omnes* diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem effugit aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat." *S. Augustinus* (Enarr. 1 in Ps. XVIII, n. 7): " *Non est qui se abscondat a calore ejus.* Cum autem Verbum caro factum est, et habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit *ullum mortalium* excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor." Auctor l. *de Vocat. Gentium*, a S. Gelasio I laudatus, (l. 2, c. 26) ait: " Opitulatio per innumeros

modos, sive occultos sive manifestos, *omnibus* adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, est et gratiæ divinæ et voluntatis humanæ".

3º Succedit *rationis* confirmatio:

a) Primo ex Providentia divina.—Præsens rerum œconomia habet ut omnes homines, ad finem supernaturalem evecti, hunc finem prosequantur. Atqui sapiens provisor, finem alicui præstituens, non potest ei non largiri media proportionata. Ergo. Ad rem *S. Thomas (de Ver.* Q. XIV, a. 11 ad 1): "Hoc ad divinam Providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus (in silvis) ductum naturalis rationis sequeretur (juvante profecto gratia sanante) in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret,sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. X."[1] Hæc verba referens *S. Alphonsus de Ligorio* addit *(Hist. hær.* Confut. VI, n. 11): "Ergo, secundum S. Thomam, infideles, qui ad usum rationis perveniunt, a Deo gratiam saltem remote sufficientem ad salutem consequendam recipiunt. Quæ gratia in quadam intellectus illustratione voluntatisque motione ad legem naturalem observandam consistit. Huic gratiæ si infidelis cooperationem præstat, legem naturalem observando, et sese a peccatis gravibus abstinendo, postea per merita Jesu Christi gratiam proxime sufficientem ad fidem amplectendam salutemque consequendam certe recipiet."[2]

b) Secundo ex voluntate Dei salvifica. — Vult Deus *omnes homines salvos fieri*[3]; cujus signum et argumentum illustre est, Christum mortuum esse *pro omnibus* omnino hominibus[4]. Atqui voluntas illa Dei antecedens non otiosa et sterilis dicenda est, sed sincera, activa et benefica, prouti Billuart[5] (contra Calvinum et Jansenium)

1—Cf. S. Bonaventura, 2 Dist. XXVIII, a. 2, q. 1.
2—Cf. *Ibid.*, Confut. XIII, n. 15.
3—Cf. S. Th. 1 S. D. XLVI, Q. I, a. 1.
4—Cf. 5ª prop. damnata Jansenii.
5—*De Deo*, Diss. VII, a. 6-7.

ex Scriptura, traditione rationeque clarissime evincit ; ita ut ex eadem voluntate antecedente prodeant media *sufficientia* ad salutem, ex consequente vero media *efficacia*. Ergo. Rursus expedit *Angelicum* audire (C. G. III, 159) : "Quum sit in potestate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est *omnibus* gratiam dare : omnes enim homines vult salvos fieri, etc. Sed illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant ; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit nisi lumine solis præveniatur."

4° Ne *historia* nobis opponatur, sequentia observabimus.—*a) Primo* "multis gentilium facta fuit *revelatio de Christo*" (II-IIæ, Q. II, a. 7 ad 3) ; unde Billuart (Diss. VII, a. 3) : "Habemus ex S. Scriptura quod Job et ejus amici ex solo interiori instinctu, absque externa prædicatione, ad verum Dei cultum pervenerint ; quod etiam dici potest de Cornelio antequam ad ipsum Petrus mitteretur juxta illud Petri de ipso : [1] *In veritate comperi quia... in omni gente, qui timet eum* (Deum) *et operatur justitiam, acceptus est illi.* Quo innuitur et Cornelium et alios plures gentiles id præstitisse, quamvis qui fuerint nos lateat."—*b) Secundo* notemus cum *D. Thoma (de Ver.* Q. XIV, a. 11 ad 5) quod "sufficiebat eis (gentilibus ad salutem) habere fidem de Redemptore *implicite*, vel in fide Prophetarum, vel in ipsa divina providentia [2]. Probabile est tamen multis generationibus mysterium Redemptionis nostræ ante Christi adventum gentibus fuisse revelatum, sicut patet ex sybillinis vaticiniis." [3]—*c) Tertio*,

1—Act. X, 34-35.

2—Quatenus crederent "Deum esse *liberatorem* hominum secundum modos sibi placitos" (II-IIæ, *l. cit.*).

3—De influxu Judæorum in doctrinas Gentilium cf. Laforêt, *Hist. de la Philos., Introduction*, ch. 2.—Cf. etiam Aug. Nicolas, *Etud. sur le Christ.* t. 2 *Traditions sur l'attente du Libérateur*, et t. 3 *Hors de l'Eglise point de salut*, ubi adstruit fidem obscuram atque implicitam in futurum quemdam Liberatorem ubique gentium diffusam et citat egregia testimonia *S. Justini* (Apol. II), *S. Bernardi* (Tr. de bapt.) etc.

oratio medium est remote sufficiens ad salutem, in quantum vim habet impetrandi gratias proxime sufficientes vel efficaces juxta illud (Matth. VII, 7): *Petite et dabitur vobis.* Porro *gratia orationis,* supplicationis, ad quam homo natura ipsa inclinatur, præsto est omnibus hominibus, prout *S. Alphonsus de Ligorio*[1] ex consensu doctorum et theologorum pie eruditeque demonstrat. Ergo.

Conclusio 2ª. — DICENDUM EST PROBABILIUS IPSORUM INFANTIUM SINE BAPTISMO DECEDENTIUM SALUTI DEUM SUFFICIENTER, PRO ILLORUM CONDITIONE, PROVIDISSE. — Hanc quidem conclusionem graves theologi negant, innixi rationibus haud spernendis; nihilominus plura sunt quæ illam nobis *probabiliorem* esse suadent.

1° Namque sincera voluntate vult Deus omnes non solum adultos, sed et infantes (prout eruitur ex S. Aug. l. 4 c. Julian. c. 8) *salvos fieri*; pro quibus omnibus Christus mortuus est. Atqui sincera salvandi voluntas importat, quantum est ex parte Dei et secundum rerum proportionem, sufficientia media salutis. Ergo.

2° Ex hac salutifera, licet antecedente, Dei voluntate processit institutio Baptismi quo salus parvulis procuraretur, *dependenter* tamen *a causis secundis* quas Provisor universalis suæ contingentiæ permittit, sicuti gratiam adultis confert secundum variam liberi arbitrii dispositionem. Atqui causæ secundæ, quibus sub summa Dei providentia subjicitur infantium salus, sunt *cura parentum* et *agentia naturalia.* Ergo nihil mirum quod, deficientibus hisce causis, *consequenter* impediatur applicatio ad plures parvulos voluntatis Dei salvificæ. Recte *S. Thomas* (4 S. D. VI, Q. I, a. 1, q. 3 ad 1): " Non est ex defectu divinæ misericordiæ quod in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur, sed quia non sunt capaces illius remedii... quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiæ."

3° Doctrina hæc probabilior evadit, si dicamus cum pluribus theologis[2], secundum Dei providentiam penes parentes

1—*De magno precationis adjumento,* P. II, c. 4; ubi ait: " Omnibus hominibus conceditur gratia actualiter orandi, quin alia nova indigeant gratia; et per orationem omnia alia auxilia ad mandatorum observantiam et ad salutem necessaria sibi comparare possunt."

2—Cf. Billuart, Diss. VII, a. 8, obj. 7.

esse seu ab eorum *sobrietate, vigilantia, virtute, orandi studio* maxime pendere quod infantes supervivant quousque gratiam baptismi percipiant.—Ex altera autem parte, non tenetur Deus impedire omnem agentium liberorum vel naturalium deficientiam, ex *peccato originali* necnon actuali consecutam, per quam salus infantium in discrimen vocatur, præsertim cum parvuli isti neque jus habeant ad regnum cœlorum, neque verisimilius ullo dolore in altera vita afficiantur [1].

Solv. obj. (cont. 1^{am} concl.) — OBJ. 1.— Legitur (Act. XIV, 15) : *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Ergo.

RESP. *D. antec.* quoad sensum :...scil. Deus ante Christum gentes *absolute* deseruit, *N ;* dimisit seu deseruit *comparate* ad Judæos et Christianos quibus tot beneficia, gentilibus ignota, et in specie legem scriptam largitus est, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Gratiæ sufficientes fundantur in merito Christi. Atqui Christi meritum non omnes homines attingit. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m :*...quantum ad efficaciam, *C ;* quantum ad sufficientiam, *N.—Neg. conseq.*

" Meritum Christi quantum ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes, non autem quantum ad *efficaciam :* quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi

1—Knoll (cap. IV, art. 2, n. 5) dubitando quærit " num Deus, qui ex infinita bonitate decrevit ut baptismus necessitate cogente a quocumque, masculo vel fœmina, imo et ab hæretico vel infideli valide et licite conferri possit, non etiam Angelis facultatem tribuere potuerit, deficientibus hominibus, baptisma infantibus, antequam expirent, ministrandi ? *Nonne* Angeli *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (Heb. I, 14) ? Nonne exempla prostant, Angelos in defectu hominum sacramentum Eucharistiæ administrasse, quod non est tantæ necessitatis ut baptismus ? sed interrogando dicimus, non sententiam præcipitamus." — Fatendum est hanc hypothesim, pio ex motivo propositam, nusquam tamen in *Scripturis* vel *traditione* expressam aut insinuatam reperiri, imo contradicere *sensui communi* catholicorum, ideoque solido fundamento theologico esse destitutam. Quod enim de administratione Eucharistiæ per Angelos allegatur exceptio est, præter generalem Providentiæ ordinem.

(gratia efficax) confertur, quibusdam vero justo judicio subtrahitur" *(de Ver.* Q. XXIX, a. 7 ad 4).

OBJ. 3.—Melioris conditionis erant Judæi quam Gentiles. Atqui Lex Vetus Judæorum non sufficiebat ad salutem. Ergo a fortiori etc.

RESP. *C. M.—D.m :...* per se, *C ;* cum auxilio concomitante gratiæ, *N.—Neg. conseq.*

"Dicendum quod quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus cum lege, per quod salvari poterant, scil. fides Mediatoris, per quam justificati sunt antiqui patres, sicut etiam nos justificamur, et sic Deus non deficiebat hominibus quin daret eis salutis auxilia" (I-II[æ], Q. XCVIII, a. 2 ad 4).

DISPUTATIO QUINTA

DE EFFECTIBUS GRATIÆ

Superius visum est gratiam adæquate dispesci in *operantem* et *cooperantem*. Gratia autem operans, pro habituali sumpta, plurimos parit effectus veluti *formales* et ad esse supernaturale spectantes, qui ab effectu proprio et *operativo* gratiæ cooperantis apprime distinguuntur. Idcirco secundum unum et aliud effectuum genus duæ instituentur quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA

DE EFFECTIBUS FORMALIBUS GRATIÆ, PRÆSERTIM DE JUSTIFICATIONE

Quinque sunt effectus formales qui connaturali quadam habitudine gratiam habitualem comitari intelliguntur, scil. facere hominem divinæ naturæ participem, eum mundare et justificare, reddere Deo gratum et amicum, eumdem constituere templum Dei inhabitantis, tandem illum facere filium Dei adoptivum et hæredem gloriæ cœlestis: pauca de singulis.

1[us] **effectus,** scil. *reddere divinæ naturæ participem,* proximius tangit formam gratiæ, unde ex illo, utpote primario et fundamentali, desumpta est gratiæ definitio quam alibi (Disp. III) exposuimus.—Ad hunc effectum præcipue referuntur sequentia verba *Leonis XIII* (Encycl. *Divinum*):[1] " Eloqui nemo potest quale sit opus istud divinæ gratiæ in animis hominum; qui propterea luculenter, tum in sacris

1—*De Spiritu Sancto*, cujus indolem atque munera tum in Incarnatione Verbi, tum in Ecclesia, tum in animabus, Summus Pontifex fuse declarat.

litteris, tum apud Ecclesiæ patres, et regenerati et creaturæ novæ et consortes divinæ naturæ et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur."

2us **effectus** consistit in *justificatione*, qua peccator, a labe peccati mundatus, justitiæ amictum induit; et cum effectus iste, proxima reliquorum radix, tum in se, tum respectu erroris protestantici, momentosissimus sit, præsens quæstio speciatim de illo pertractabit.

3us **effectus** est constituere hominem *Deo gratum* ejusque *amicum*, juxta illud *Trid.*(Sess. VI, c. 10): " Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici [1] facti, " etc.—Revera *a)* legitur de justo (Sap. IV, 10): *Placens Deo factus est dilectus.* *b)* Insuper, demonstrabitur infra (Disp. VIII) caritatem, qua homo Deo conjungitur, veram esse amicitiam, prouti duo requisita importat: scil. æqualitatem quamdam saltem proportionis inter Deum et hominem, necnon bonorum communionem seu consociationem. Atqui gratia, ex qua procedit caritas, ipsa est quæ duo illa suppeditat: siquidem naturæ divinæ participem hominem facit, eique jus tribuit ad consortium bonorum cœlestis Jerusalem. Ergo.

4us **effectus** est quod *Deus* vel *Sp. Sanctus justi animam inhabitat*; ita ut, etiamsi non adesset ei præsens alio ex titulo, eam tamen ex titulo amicitiæ præsentia sua substantiali recrearet.—Doctrinam hanc, suavitatis plenam, jam alibi *(de Deo*, Disp. X, Q. III, a. 2) ex professo tradidimus; eam autem placet iterum confirmare:—*a) primo* ex *Leone XIII* (Encycl. *Divinum)* qui hæc egregia scribit: " Deus ex gratia insidet animæ justæ tanquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhæret anima conjunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. Hæc autem mira conjunctio, quæ suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua cœlites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur præsenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* [2], atta-

1—Eph. II, 19.
2—Joan. XIV, 23.

men de Spiritu Sancto tanquam peculiaris prædicatur."—*b) Secundo* ex *D. Thoma*, cujus verba, universaliter de amore prolata, facile poterunt ad amorem existentem inter hominem et Deum applicari. Respondens S. Doctor (I-IIæ, Q. XXVIII, a. 1) quæstioni "utrum unio sit effectus amoris," ait: "Duplex est unio amantis ad amatum: una quidem *secundum rem*, puta cum amatum præsentialiter adest amanti; alia vero *secundum affectum*... Primam ergo unionem facit amor *effective*, quia movet ad desiderandum et quærendum præsentiam amati quasi sibi convenientis et ad se pertinentis. Secundum autem unionem facit *formaliter*, quia ipse amor est talis unio vel nexus. Unde Aug. dicit (in 8 de Trin. c. 10) quod amor est quasi junctura quædam duo aliqua copulans vel copulare appetens, amantem scil. et quod amatur. Quod enim dicit *copulam*, refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor; quod vero dicit *copulare intendens*, pertinet ad unionem realem."[1] Utraque unione nobis Sp. Sanctus conjungitur.

5us **effectus** reponitur in *filiatione adoptiva*: siquidem justificatio definitur a *Trid.* (Sess. VI, c. 4) "translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum *gratiæ et adoptionis filiorum Dei*."—Et sane *a)* id congruit Ap. dicenti (Eph. I. 5): "*Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*; necnon (Rom. VIII, 15): *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum*; unde *(ibid.* v. 17): *Si filii, et hæredes.* Hunc autem esse gratiæ effectum explicite tradit *S. Aug.* (l. 2 cont. Maxim. 15, n. 2): "Homo...fit gratiâ filius, quia non est naturâ." *b)* Re quidem vera, adoptio a juristis describitur: *personæ extraneæ in filium et hæredem gratuita assumptio*; ubi quatuor conditiones assignantur, scil. assumptio *libera* seu gratuita, personæ *extraneæ*, i. e. quæ non sit filius naturalis, in *filium* per quamdam naturalis filiationis similitudinem, et in *hæredem* seu cum jure ad hæreditatem filii naturalis. Atqui quatuor illa verificantur de justo. Ergo. *Min. decl.* Etenim homo, a Deo extraneus quantum ad bona gratiæ et gloriæ, ex mera Dei liberalitate per gratiam, qua spiritualiter generatur et Verbo Dei secundum unitatem

1—Cf. *ibid.* a. 2;—Mazzella, *de Gratia Christi*, Disp. V, a. 9.

quam habet ad Patrem assimilatur, assumitur seu adoptatur in filium, eoque ipso in hæredem bonorum supernæ beatitudinis quibus Deus cum naturali Filio æternaliter fruitur. Quæ quidem adoptatio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen Patri ut *auctori*, Filio ut *exemplari*, Sp. Sancto ut *imprimenti* in nobis hujus exemplaris similitudinem.—*c)* Addatur *adoptionem divinam humanâ præstare* maxime secundum tria : *primo*, quia humana introducta est ex defectu vel indigentia naturalis filii, divina vero ex sola bonitate et perfectionis plenitudine ; *secundo*, quia humana fit per extrinsecam acceptationem, divina per intrinsecum gratiæ munus quo homo constituitur idoneus ad percipiendam cœlestem hæreditatem ; *tertio*, quia, cum bona spiritualia possint simul a pluribus possideri, non autem corporalia, ideo hæreditatem corporalem nullus potest percipere nisi succedens decedenti, hæreditatem autem spiritualem simul omnes ex integro accipiunt sine detrimento patris semper viventis [1].

Hisce præstitutis, jam ad quæstionem *de justificatione* progrediamur, quæ præcipuum divinæ erga nos pietatis opus contemplandum præbet. Porro justificatio considerari potest vel in sua *substantia* (a. 1-5), vel in suis *proprietatibus* (a. 6). Substantialiter sumpta, justificatio complectitur omnia elementa ad suî integritatem requisita, scil. gratiæ infusionem (a. 1), dispositionem debitam ex parte liberi arbitrii (a. 2), quod tum in Deum fide charitateque (a. 3), tum contra peccatum moveatur (a. 4), necnon, quasi complementum, remissionem culpæ (a. 5).—En tota quæstio veluti in conspectu posita.

1—Cf. III, Q. XXIII, a. 1-3, unde illa omnia decerpsimus ;—Mazzella, *loc. cit.* a. 8.

ARTICULUS I.

Utrum ad justificationem impii requiratur gratiæ infusio.

(Art. 1-2)

1º *Notio generalior justificationis* præmittenda est.— *a)* Justificationis nomen[1] in Sacris Litteris multis modis accipitur : primum pro ipsa *lege* quæ justitiam docet, v. g. (Ps. CXVIII) : *Justificationes tuas custodiam*, etc ; deinde pro *acquisitione justitiæ* (Rom. VIII, 38) : *Quos vocavit, hos et justificavit ;* tertio pro *incremento justitiæ* (Eccli. XVIII, 22) : *Ne verearis usque ad mortem justificari ;* quarto pro *sententia* qua quis modo quodam forensi justus declaratur, uti (Prov. XVII, 15) : *Qui justificat impium et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.—Protestantes* hanc quartam significationem, hæresi suæ cohærentem, præ cæteris eligunt, dum tamen *secunda* in præsenti re maxime propria est.

b) Justificatio itaque sumitur ex *justitia*. Cum autem justitia de sui ratione importet quamdam rectitudinem ordinis, dupliciter accipi potest : *uno modo et stricte* secundum quod importat ordinem rectum in ipso hominis actu, et sic justitia ponitur *virtus quædam*, quæ, prout ordinat actus hominis ad alium singularem hominem, dicitur justitia *particularis;* prout vero eos ordinat per respectum ad bonum commune societatis, vocatur justitia *legalis.*—*Alio modo et latiori* sensu accipitur justitia, secundum quod dicit ordinis rectitudinem in hominis statu et interiori virium dispositione, ex qua homo bene se habet quoad Deum, proximum et seipsum ; unde etiam *justitia vitæ* dici potest, complectens omnes virtutes.—Secundum *hunc sensum* homo simpliciter justus denominatur et justificari seu ad justitiam moveri intelligitur.

c) Tripliciter autem justificatio, sic accepta, distingui potest : *active*, prout significatur actio Dei justificantis ; *passive*, quatenus importatur motus seu mutatio hominis ad justitiam ; *formaliter* vero, in quantum exprimitur formalis

1—Bellarminus, *De Justif.* l. I, c. 1.

justitiæ effectus.—Nomen illud hic usuvenit maxime *secundo* sensu, qui et primum supponit et tertium secum trahit.

d) Tandem justificatio *passive* sumpta dupliciter fieri potest: vel per modum *simplicis generationis* ex negatione ad formam justitiæ, sicut Adam justitiam originalem accepisse dicitur; vel per *motum de contrario* in contrarium seu de statu injustitiæ et peccati ad statum justitiæ:—quo sensu nunc accepta, justificatio secumfert peccati remissionem.

2° Cum sermo heic habendus sit de causa formali justificationis, magna occurrit controversia catholicos inter et protestantes quorum errores, a Luthero ad nostra usque tempora, moralem ordinem miserrime funestarunt.—*Duo* sunt *summa hæreseos capita* in quibus *Novatores*, etsi plerumque ab invicem dissentientes, conveniunt, scil. justificationem [1] fieri, absque forma gratiæ inhærente, per extrinsecum Dei favorem; neque idcirco realiter auferri peccata, sed tantummodo extrinsecus non imputari [2].—Inter eos qui Protestantismo etiamnum adhærent, *alii* ex integro eamdem doctrinam defensant, *alii*, eam generatim tuentes, non sine contradictione corrigere student quæ in ea deteriora sunt [3].—Veritatem contra hæreticos statuemus tum ex revelatione, tum ex principiis *D. Thomæ*; de quo theologorum principe fama refert celebre Lutheri dictum: *Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam*.

Conclusio.—JUSTIFICATIO IMPII FIERI INTELLIGENDA EST, NON PER EXTRINSECUM TANTUM DEI FAVOREM, SED PER INHÆRENTIS FORMÆ SEU GRATIÆ INFUSIONEM INTIMAMQUE ANIMÆ RENOVATIONEM.

Prænotanda.—a) Primo licet Novatores omnes justificationis formam ab interna renovatione alienam pronuntient, *nonnulli* eam in fide sola, *plures* in justitia Christi nobis

1—A *justificatione* distinguunt *sanctificationem* quam compleri dicunt per dilectionem et impletionem legis seu bona opera (Ch. Hodge, *Systematic theology*, vol. III, p. 213).—Hæc autem sanctificatio, juxta Protestantium doctrinam, nec intrinseca esse potest, utpote carens principio interno quod est gratia justificans, nec simpliciter necessaria est ad salutem (Mazz. Disp. V, a. 2, et Mœhler, *Symbol.* L. I, ch. 3, n. 22).

2—Cf. Bellarm., *de Justific.* l. II, c. 1.

3—Ita Baur, prof. Tubingensis, apud Mœhler, *Contrariétés dogmatiques*, ch. II, a. 1.

imputata, *alii* in essentiali Dei justitia nos inhabitante, *alii* tandem in sola remissione peccatorum reponunt: quos omnes communibus [1] argumentis refellemus.—*b) Secundo*, justificatio hic ponitur quæ faciat hominem *simpliciter justum* atque dignum vita æterna seu *supernaturali* beatitudine: quo sub respectu asseritur cum D. Thoma *impossibilitas* remissionis culpæ sine infusione gratiæ.—*c) Tertio*, doctrinam catholicam tradit *Trid*. (Sess. VI, cap. 7): "Unica formalis causa (justificationis) est justitia Dei, non qua Ipse justus est, sed *qua nos justos facit*, qua videl. ab eo donati, *renovamur* spiritu mentis nostræ;" et (can. 11): "Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur [2] atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; A. S."

Concl. *ostenditur:*

1° Ex *Scripturis*.—*a)* Legitur (Rom. III, 24–25): *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius;* ubi Apostolus fere omnes justificationis causas exhibet: *efficientem* in liberalitate Dei justificantis gratis, *formalem* in gratia nobis donata, *meritoriam* in Christo redemptore, *dispositivam* in fide. Cum autem externus Dei favor satis explicetur per vocem *gratis*, relinquitur ut illud *per gratiam* non ipsum favorem, sed effectum favoris intrinsecum unicuique promat.—Eo vel magis quia gratia Christi redemptoris dicitur *facta* (Joan. I, 17), *data* secundum *mensuram* (Eph. IV, 7), *diffusa* in cordibus (Rom. V, 5): quæ omnia donum inhærens, non mere externam benevolentiam exprimunt.

b) Præterea (Rom. V, 19): *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Quo in loco recte colligitur catholica justificationis notio: tum ex verbis *justi constituentur multi*, siquidem nonnisi per formam internam res constituitur aliqualis; tum ex antithesi qua justi dicuntur constitui per obedientiam Christi, sicuti con-

Justificari est idem ac resurgere de peccato. Atqui resurgere de peccato impossibile est sine gratia. Ergo justificari impossibile est sine gratia.

1—Specialia invenies apud cl. Bellarminum, *de Justific.* l. II.
2—Rom. V.

stituti sumus injusti per inobedientiam Adami. Constat enim nos ex Adamo contraxisse veram ac inhærentem injustitiam.

c) Rursus (Tit. III, 5-7): *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Sp.Sancti, quem effudit in nos abunde per J. C. Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Patet ex contextu maximeque ex postremis verbis hic describi justificationis opus. Atqui opus illud per donum inhærens formaliter perfici, plura in laudato textu evincunt: scil. tum *lavacrum* quod animam undis gratiæ perfusam abluit; tum *regeneratio* quæ ad novam naturam, Dei munere constitutam, terminatur; tum *renovatio* quæ esse nequit absque intrinseca mutatione; tum denique *effusio Sp. Sancti*, scil. doni ejus quod est gratia et charitas [1].

2° Ex *Patribus.*—Tam aperta est Patrum doctrina ut illos sibi infensos esse hæretici fateri coacti sint; sic Calvinus, licet soleat Augustini nomen invocare, hic tamen ab eo recedit (l. 3 Instit. c. 11, n. 15): " Ne *Augustini* quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ novitatem per Spiritum regeneramur."—Revera *Hipponensis Doctor* (l. XV de Trin. c. 8) ait: " Quæ natura... cum a suo Creatore ab impietate justificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam [2]." Et *S. Cyrill. Alex.* (l. 6. de Trin.): " Calor, inquit, Spiritus est qui, simul ut charitatem in nobis diffuderit, et ejus igne mentes nostras inflammaverit, jam sumus justitiam consecuti."—Aliorum testimonia omittimus.

3° *Ratione.—a)* Et primo huc referri possunt quæ disputavimus supra (Disp. II, Q. unic. a. 7) circa *effectus formales* peccati: siquidem ostensum est effectus illos, nempe peccati maculam, corruptionem naturalis boni et reatum pœnæ, tolli non posse nisi per gratiæ donum, quo restituatur justitiæ decor, virium sufficientia et jus ad hæreditatem cœlestem.

b) Arg. principale sumitur ex *natura peccati* quod est *aversio* a Deo secundum *offensæ* rationem.—Etenim " *aversio* intelligitur a bono incommutabili quod quis poterat habere,

1—Cf. supra, Disp. III, Q. I, a. 2.
2—Vid. plura ap. Bellarm. l. II, c. 8.

respectu cujus se impotentem fecit; alias aversio non esset culpabilis. Non ergo potest prædicta aversio removeri, nisi fiat conjunctio ad bonum incommutabile a quo homo per peccatum discessit. Hæc autem conjunctio non est nisi per gratiam, per quam Deus mentes inhabitat, et mens ipsi Deo per amorem caritatis inhæret. Unde ad sanandam prædictam aversionem requiritur gratiæ et caritatis infusio, sicut ad sanationem cæcitatis requiritur restitutio potentiæ visivæ" (*de Ver.* Q. XXVIII, a. 2). — *Offensa* quoque, qua constat peccatum, remitti non potest nisi animus offensi, scil. Dei, nobis pacetur, suæ rursus dilectionis significationem exhibens. Atqui dilectio Dei, ex parte quidem Dei ipsius, aliud non est quam actus divinus, æternus, immutabilis; verum ex parte creaturæ, pro summa efficacia qua gaudet et distinguitur a dilectione humana, realem effectum imprimit seseque explicat, cum in ordine naturali per dona naturalia cuique rei inhærentia, tum in ordine supernaturali per donum intrinsecum gratiæ, peccato oppositum, quo homo dignus efficitur vita æterna a qua mortalis culpa excludit. Ergo.

Duo *subnotabo.*—1° Ex mente *S. Thomæ*, tenendum est (contra Scotum) saltem in statu elevationis ad ordinem supernaturalem justificationem impii, etiam absolute et *metaphysice* loquendo, fieri non posse per solum favorem Dei extrinsecum sine mutatione intrinseca peccatoris per gratiam habitualem, quæ est forma peccato opposita: quippe privatio nonnisi per formam oppositam tollitur.

2° Num etiam *in statu naturæ puræ* peccans indigeret necessario gratia habituali ad sui justificationem, quæstio est hinc inde controversa inter ipsos Thomistas. Negant *Billuart*, *Gonet* [1] aliique; affirmant *Medina, Cajetanus* (in h. art.) etc. Sub judice lis est.

Solv. obj.—Obj. 1.—Potest removeri unum contrarium, quin inducatur aliud mediate tantum contrarium. Atqui culpa et gratia supernaturalis sunt duo mediate contraria, mediante scil. statu innocentiæ. Ergo.

Resp. *D. M* :...si mediatio habeatur tum absolute tum ex parte subjecti, *C*; absolute tantum, *N.*—*C.d.m* :... absolute, *C*; in peccatore, *S.d* : secundum statum naturæ puræ, *Trans*; secundum statum præsentem, *N.*—*Neg. conseq.*

1—*De Justificatione*, art. 4.

Plus requiritur ad hoc quod offendenti remittatur offensa, quam ad hoc quod simpliciter aliquis non offendens odio non habeatur, prouti humana experientia constat. Ergo, licet *absolute* homo innocens possit concipi sine culpa et sine gratia, tamen *peccator*, semel ac Deum offenderit, non potest odio non haberi absque speciali Dei benevolentia: quæ quidem, quamvis, juxta plures, in statu naturæ puræ posset esse solummodo auxilium naturale *gratuitum*, tamen in statu præsenti aliud esse non potest quam gratia habitualis seu principium supernaturalis vitæ cujus nunc peccatum est privatio.

Obj. 2.—Justificatio consistit in reputatione divina, secundum illud (Ps. XXXI, 2): *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Atqui reputatio divina non dicit infusionem gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M*:...in reputatione divina importante quemdam effectum in homine, *C*; in solo actu divinæ voluntatis, *N.*—*D.m*: præcise et formaliter, *C*; a parte rei, *N.*—*Neg. conseq.*

Sicut dilectio Dei non solum affectiva est, sed et effectiva, imprimens scil. quemdam gratiæ effectum, ita quoque divina æstimatio, qua quis justus coram Deo reputatur, quæque ex illa dilectione est, eumdem effectum involvit: siquidem requiritur æstimationis hujus reale *fundamentum*, quod est intrinseca cordis immutatio per gratiam.

Obj. 3.—Sunt peccata quædam contraria, v. g. prodigalitas et illiberalitas. Atqui potest unum contrarium removeri ab altero sine alia forma inducenda. Ergo.

Resp. *D. M*:... ex parte aversionis a Deo, *N*; ex parte conversionis ad propria objecta, *C.*—*D.m*:... qua contrarium est, *C*; secundum quod convenit cum illo altero in aliquo communi, *N.*—*Neg. conseq.*

Cum aliquis a peccato unius vitii in contrarii vitii peccatum transit, desinit quidem habere *actum* præteriti peccati, sed non desinit habere *reatum*: non enim peccata sunt sibi contraria ex parte *aversionis* a Deo, qua reatus constituitur, sed ex parte *conversionis* ad sua specifica objecta. Reatum autem peccati sola gratia delet [1].

1—Quoad objectiones ex Scriptura et Patribus petitas cf. Bellarminus, *de Justif.* l. II; quoad obj. ex ratione, cf. *de Ver.* Q. XXVIII, a. 2.

ARTICULUS II.

Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii.

Forma non inducitur in subjecto nisi sit dispositum. Cum autem jam in genere necessitas dispositionis ad gratiam habitualem explorata fuerit (Disp. IV, Q. I, a. 2), dubium modo proponitur de indole hujus dispositionis, num scil. per modum *motus* liberi arbitrii et *in ipso* justificationis *momento* requiratur.—Sermo est, non de pueris rationis usu carentibus in quibus dispositio potentiarumque immutatio habitualis sufficit, sed de *adultis* qui sunt suî compotes.

Intentæ veritati adversantur *Lutherani* qui, cum liberum voluntati motum in opere conversionis adimant, eamque cum *Luthero* (in Gen. c. 19) comparent lapidi vel statuæ inerti, omnem dispositionem actualem seu activam ex parte hominis excludunt (fidem solam, soli Deo operanti tributam, admittentes).

Conclusio.—IN EO QUI USUM LIBERI ARBITRII HABET, NON FIT INFUSIO GRATIÆ JUSTIFICANTIS ABSQUE MOTU CONSENTIENTIS VOLUNTATIS.—Id *de fide* est ex *Trid.* (Sess. VI, can. 4): " Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat... A. S." Cf. can. 9.

Prob. concl.

1° *a)* Ait Christus (Joan. VI, 45): *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Atqui *discere* non est sine liberi arbitrii motu, quippe addiscens docenti consentit. Ergo nemo ad Deum per gratiam justificantem accedit sine actu liberæ voluntatis.—*b)* Præterea " in justificatione impii contrahitur quoddam spirituale *matrimonium* hominis ad Deum (Oseæ II, 19): *Sponsabo te mihi in justitia.* Sed in matrimonio carnali requiritur mutuus consensus. Ergo multo fortius in justificatione impii, et sic requiritur ibi usus liberi arbitrii " *(de Ver.* Q. XXVIII, a. 3).—*c)* Insuper " justificatio impii non fit sine caritate; quia (Prov. X, 12) *universa delicta operit caritas.* Sed caritas, cum sit quædam *ami-*

citia, cum redamatione est; mutuus autem amor requirit in utroque usum liberi arbitrii. Ergo," etc. *(De Ver. loc. cit.)*

2° Summa *ratio* sit, quia Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque; aliter enim gravia, aliter levia in naturalibus ab Ipso moventur. Atqui homo secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitri; adeo ut nihil circa vitam suam moralem, in qua præstat cæteris animantibus, intrinsecus contingat sine propriæ libertatis consensu. Ergo in eo qui usu rationis pollet, non fit motio a Deo ad justitiam absque simultaneo liberi arbitri actu seu acceptatione. — *Conf.* (ex *quæst.* et *art. cit. de Ver.*). *a) Primo* quando agens et patiens nata sunt se mutuo tangere, actio non completur sine *contactu mutuo;* mens autem humana aliquo modo Deum tangit operatione propria: ergo. *b) Secundo*, justificatio in adultis non est sine quadam *voluntatis immutatione* tum habituali tum actuali; actus autem voluntatis immutari non potest nisi ipsa cooperante: igitur etc.

Coroll.—1° Legitime infertur contrarium esse divinæ bonitatis sapientiæque consilio ideoque *fieri absolute non posse* quod homo, suî compos et *actu utens* libero arbitrio, justificetur absque reali, actuali et libera suæ voluntatis mutatione; coactio enim repugnat. – 2° Eadem ratio est de *furiosis* et *amentibus*, qui nunquam usum liberi arbitrii habuerunt, ac de pueris; scilicet sacramento baptismi justificantur cum mera dispositione habituali quæ necessario justitiæ formam concomitatur.

Solv. obj.—Obj. 1.—Narrat Aug. (Conf. l. IV, c. 4) de quodam suo amico febricitante et jacente sine sensu quod "baptizatus est nesciens," ita ut gratiam salutis reciperet. Atqui Deus potentiam suam non alligavit sacramentis. Ergo potest etiam sine sacramento justificare hominem absque omni motu libero.

Resp. *D. M*:...et amicus ille tum prius tum postea baptismum acceptavit, *C;* absque ullo saltem prævio voluntatis motu justificatus est, *N.—C.m.— Neg. conseq.*

Si quis aliquando usum liberi arbitrii habuit eoque postmodum vel per *infirmitatem* vel per *somnum* careat, non potest per sacramentum exterius adhibitum justificari nisi in eo quoddam sacramenti *propositum* præcesserit: quod sine usu liberi arbitrii contingere non posse planum est.

Obj. 2.—Sicut justitia est donum Dei, ita sapientia. Atqui Salomon dormiens, nec liberum motum habens, consecutus est donum sapientiæ. Ergo.

Resp. *D. M* :...eadem ratione ex parte objecti et subjecti, *N*; diversa ratione, *C*.—*D.m*:...Salomoni in somno *declaratum est* quod propter præcedens desiderium ei sapientia infunderetur, *C*; Salomon in dormiendo accepit sapientiam, *S.d*: et hoc vel quia somnus ille non fuit naturalis, sed *propheticus* seu extaticus, haud excludens liberi arbitrii usum; vel quia somnus naturalis compossibilis est cum aliqua veri *perceptione*, sine tamen perfecto judicio; vel demum quia intellectus *cogi* potest ab intelligibili, dum bonum libere voluntatem movet, *C*; secus, *N*.—*Neg. conseq.* [1]

Obj. 3.—Per eamdem causam gratia producitur in esse et conservatur. Atqui constat eam conservari sine motu liberi arbitrii. Ergo.

Resp. *D. M*: Per eamdem causam efficientem, *C*;...secundum eamdem subjecti habitudinem, quasi nempe non requiratur ex parte animæ gratiâ informandæ transmutatio, quâ jam factâ gratia sine alio motu et per solam continuationem divini influxus conservetur, *N*.—*C.m*.—*Neg. conseq.* [2]

ARTICULUS III.

Utrum et quomodo ad justificationem impii requiratur motus fidei.

1° Motus liberi arbitrii in opere justificationis considerari potest vel ex parte termini *ad quem*, quatenus Deum fide attingat, vel ex parte termini *a quo* secundum peccati detestationem.—Sub primo respectu, de quo nunc agitur, recensenda occurrit doctrina protestantium de fide justificante.

2° *Sectarii* (ait Bellarm. l. I *de Justif.* c. 4) tres fides dis-

1—Cf. *de Ver.*, *l. cit.* ad 6.

2—Plura alia dubia soluta invenies apud S. Thomam (*de Ver.*, *quæst.* et *art. cit.*).

tinguere solent: fidem *historicam* qua credimus vera esse quæ narrantur in Sacris Litteris; fidem *miraculorum*, qua fiunt miracula; fidem *promissionum* quæ fertur in promissiones divinas de remissione peccatorum. Hanc vero rursus distinguunt in generalem et specialem: *generalem*, qua credimus promissam esse omnibus credentibus salutem; *specialem*, qua unusquisque sibi promissionem divinam applicans credit sive potius *confidit* peccata omnia per Christum sibi esse dimissa.

3° Itaque, licet nonnulli antiquiores Lutherani justificationis formam in fide reposuerint, communis tamen *Protestantium* suasio est fidem specialem seu *fiduciam* supra relatam, et eam *solam*, conferre ad justificationem, non quidem per modum subjectivæ dispositionis, sed per modum *medii* seu instrumenti quo Christi justitia nobis imputanda apprehenditur [1]. Hoc sensu fidem appellant justificantem seorsum a dilectione Dei bonorumque operum proposito [2], quidquid cæteroquin de ista dilectione bonisque operibus sentiant.—Longe diversa est *catholicorum* doctrina qui tenent fidem proprie dictam (non solum fiduciam) utique necessariam esse ad justificationem, sed per modum internæ *dispositionis* tum habitualis, quatenus est virtus, tum actualis, quatenus est fidei motus in adultis, illamque fidem charitati cæterisque virtutibus necessario sociatam esse oportere.

Conclusio 1ª.—REQUIRITUR AD JUSTIFICATIONEM MOTUS LIBERTATIS IN DEUM, PRIMO SECUNDUM FIDEM.—Utraque pars *de fide* est secundum verba *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 6): "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, *libere moventur in Deum*;" unde per fidem justificari dicimur "quia fides est humanæ salutis *initium*, fundamentum et radix omnis justificationis" (cap. 8).

1ª *Pars*, scil. requiri *motum in Deum*, prob:—1° "Dicitur (Jac. IV, 8): "*Appropinquate Deo et appropinquabit vobis*." Appropinquat autem Deus nobis per gratiæ infusionem. Ergo ad hoc quod justificemur per gratiam, requiritur quod nos appropinquemus Deo per motum liberi arbitrii in Deum"

1—Ita ex recentioribus Hodge, *Systematic theology*, vol. III, p. 170.
2—*Ibid.* p. 137.

(*de Ver.* Q. XXVIII, a. 4).—Præterea (*ibid.*) "justificatio impii est quædem hominis illuminatio. Sed (in Ps. XXXIII,5) dicitur : "*Accedite ad eum et illuminamini.*" Cum ergo ad Deum non accedat homo passibus corporis, sed motibus mentis," illud idem concludendum est.

2° Motus liberi arbitrii requiritur in justificatione impii, ad hoc quod homo mente convertatur in suum principium exemplare et finale, causamque justificantem per actum proprium contingat. Atqui principium illud et causa justificationis Deus est qui nostram operatur salutem per Incarnationis mysterium. Ergo.

2ª *Pars*, de necessitate *fidei* ad justificationem, ostenditur auctoritate et ratione :

1° *Auctoritate.*—Legimus enim (Heb. XI, 6) : *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Et per totum caput Apostolus fidei excellentiam commendat exemplo veterum Patrum qui, fide justificati, tot tantaque opera justitiæ ex fide perfecerunt.—Amplius (Rom. IV, 5) : *Credenti in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Et (*ibid.* V, 1) : *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.* Quibus in sententiis fides insignitur causalitate illa dispositiva ad justificationem quam *Conc. Trid.* nominat initium et radicem salutis.

2° *Ratione.*—Justificatio imprimis attribuenda est, velut dispositioni, illi virtuti et motui qui prior cæteris est in iisque omnibus includitur [1]. Atqui in opere justificationis prima conversio in Deum fit per fidem, quam reliqui motus liberi arbitrii involvunt. Ergo. *Min. decl.* Etenim omnes alii motus mentis in Deum justificantem pertinent ad affectum, fides vero ad intellectum [2]. Affectus autem non movetur in suum objectum nisi secundum quod est apprehensum. Igitur apprehensio veri divini per fidem anterior est cæteris motibus et in iis clauditur.

Conclusio 2ª.—FIDES AD JUSTIFICATIONEM NECESSARIA NEQUE MERA FIDUCIA EST, NEQUE PER SE SOLA AD JUSTIFI-

que les Protestants ont, ne suffit pas pour le Salut :

1—Cf. 4 Sent. D. XVII, Q. I, a. 3, sol. 3.
2—*De Ver., loc. cit.*

CANDUM SUFFICIT.—Utrumque contra *Protestantes* asseritur, atque definitum est in *Trid.* (Sess. VI, can. 12): " Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solum esse qua justificamur; A. S." Cf. can. 9.

1ª *Pars* sibi vult fidem ad justificationem requisitam non esse solummodo specialem suasionem vel fiduciam de remissione peccatorum, sed esse virtutem illam divinam qua ex auctoritate Dei creduntur *quæcumque* revelata sunt:—probatur.

1° Ex *Scriptura*.—Nam (Joan. V, 24) Christus ait: *Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam;* quibus verbis justificatio et vita æterna adscribuntur non fiduciæ in merita Christi tantum, sed fidei in Christi verbum seu doctrinam.—Item legitur (Rom. X, 8-9): *Hoc est verbum fidei quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris;* quibus salus promittitur non credenti sibi remissa esse peccata, sed Christum confitenti et mysterium resurrectionis agnoscenti.—Tandem fides seu fiducia Protestantium non est nisi *spes* roborata, ut docet S. Thomas (II-IIæ, Q. CXXIX, a. 6). At B. Paulus (1 Cor. XIII, 13) apertissime fidem a spe distinguit et (Eph. III, 12) fiduciam quasi fidei effectum exhibet, inquiens de Christo: *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus* [1].

2° Ex *traditione*.—Imprimis *symbolo fidei* continentur pleraque dogmata, quæ catechumenis ad profitendum ante baptisma proponi solent, quin ullum verbum fiat de *speciali* misericordia seu benevolentia a Protestantibus propugnata. Articulus enim de remissione peccatorum nihil aliud designat nisi fidem dogmaticam qua creditur in Ecclesia catholica esse donum remissionis peccatorum, communiter sumptum.—Hinc *S. Leo M.* (Serm. 4 de Epiph.) inquit: " Hoc est quod justificat impios, hoc est quod ex peccatoribus facit

1—Vid. plura ap. Bellarminum, l. I, c. 5-8.

sanctos, si in uno eodemque D. N. J. Christo et vera Deitas et vera credatur humanitas." Consentiunt alii, maxime *S. Augustinus*, *S. Prosper*, *S. Fulgentius*, etc.[1]

3° *Rationibus* theologicis.—*a)* Sane vero fides requisita ad justificationem ea esse debet cujus objectum contineatur *in verbo Dei* sive scripto sive tradito. Atqui in verbo Dei nusquam reperitur annunciata mihi aut illi in particulari (exceptis quibusdam paucis de quibus supra)[2] indubitata peccatorum remissio. Ergo fides seu certa fiducia de tali remissione ea non est quam justificatio imprimis requirit.—*b)* Præterea, indubium est remissionem peccatorum *a Deo petendam esse*, prouti exempla Davidis, Publicani aliorumque ostendunt, et ex Oratione dominica aperte colligitur. Atqui si peccator fide divina credere teneretur remissa sibi esse peccata, inepte ad illam remissionem obtinendam preces adhiberet quæ hæsitantiam in fide demonstrarent. Ergo.

2ª *Pars* habet fidem *solam*, quocumque modo sumptam, *non sufficere* ad justificandum, sed alias quoque cordis dispositiones requiri, quas *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 6) assignat, scil. timorem, spem, dilectionem, peccati detestationem, propositum inchoandi novam vitam et mandata divina servandi.

1° Ex *Scriptura* arguemus.—*a) Christus* enim in Evangelio ubique commendat *bona opera* ut necessaria, vel in re vel saltem in proposito, ad justificationem et salutem ; v. g. (Matth. VII, 19) ait : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* ; et (v. 21) : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Porro facere fructum bonum aut voluntatem Patris nihil aliud est quam actiones legi divinæ conformes seu bona opera perficere[3].—*S. Paulus*, cui Novatores frustra confidunt, plura ad rem edocet. Nam scribit (Rom. II, 13) : *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Et (1 Cor. XIII, 3) : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero,*

1—Cf. Bellarm. *l. cit.*, c. 9.
2—Disp. IV, Q. I, a. 5.
3—Bellarm., *de Justif.* l. IV.

nihil sum." (Gal. V, 6): *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* — Cum autem ex quibusdam male intellectis Apostoli verbis nonnulli contenderent solam fidem sufficere ad salutem, SS. Petrus, Joannes, Judas et Jacobus (teste Aug. l. de Fid. et op. c. 14) maxime ad id suas dederunt epistolas ut contrarium suaderent. Sic *S. Jacobus*, cujus Epistolam Lutherus propterea agnoscere noluit, diserte ait (II, 24): *Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*; et rationem reddit (v. 26): *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*

b) Secundo, si sola fides justificaret, nulli alteri virtuti posset justificatio tribui; quod falsum est. Siquidem dicitur (Eccli. I, 27-28): *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est non poterit justificari.* Præterea (Rom. VIII, 24): *Spe salvi facti sumus*; quod Protestantes ultro admittunt, firmam spem cum fide confundentes. Et (Luc. VII, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Id ipsum prædicatur de humilitate, misericordia, etc. [1]—Ratio est autem quia "justitia completiva in *affectu* existit" (*de Ver.* Q. XXVIII, a. 4). Unde necesse est ut motus *fidei*, prius *timore servili* et *spe* erectus, *charitate* in Deum justificationis auctorem perficiatur; quæ charitas secum trahit tum *timorem filialem* et *humilitatem* quibus homo se Deo subjicit, tum *misericordiam* erga proximum aliasque virtutes sibi invicem connexas.

2° *Traditio* explicitum suffragium præbet: referre sufficiat *S. Hieronymum* (Comm. in Eph. III): "Habitatio autem ista (Christi in homine), quæ per exordium fidei fabricatur, radices et fundamentum in charitate habet, ut quoniam Dei agricultura sumus, Dei ædificatio, omnia in charitate succrescant atque ædificentur." Et *S. August.* (l. XV de Trin. c. 18): "Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non et prodesse." Addatur *S. Greg. M.* (Hom. 29 in Evang. n. 3): "Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit."

1—Cf. Bellarm., l. I, c. 13, vel Knoll, Sect. I, cap. V, a. 3.

3° *Ratione* discurramus.—Enimvero, doctrina de sola fide justificante, quatenus per illam merita Christi participemus certique de nostra salute reddamur, destruit virtutis studium, latam aperit desidiæ januam, omnemque moralitatem subvertit. Unde horrendum illud *Lutheri* dictum (Ep. ad Melancthonem, 1521):[1] "Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi." —Equidem multi ex Protestantibus, crudam illam Pseudo-reformatoris doctrinam abhorrentes, ab ea recedere visi sunt et docuerunt amorem Dei aliaque virtutis sensa necessaria esse, non necessitate *dispositionis* ad justificationem, uti catholici ponunt, sed necessitate *præsentiæ* seu coexistentiæ. Sed contra *a)* nemo est qui non perspiciat in SS. Litteris justificationem tribui, cum fidei, tum charitati cæterisque virtutibus secundum quemdam *causalitatis dispositivæ nexum*. *b)* Si vero virtutes bonaque opera requirerentur, non quasi dispositiones ad justificandum, sed mera necessitate coexistentiæ, cum possint a fide separari, sejungi quoque possent ab ipsa justificatione, ideoque absolute non repugnaret hominem sine illis et justificari et salvari[2]; quæ totam christiani systematis œconomiam destruunt.

Solv. obj.—Obj. 1 (cont. 1^{am} concl.)—Actus fidei non requiritur ad justificationem nisi quatenus Deus cognoscatur. Atqui etiam aliis modis potest homo Deum cognoscere, nempe ratione naturali vel dono sapientiæ. Ergo.

Resp. *D.M*:...prout est objectum beatitudinis et justificationis causa, *C*; prout est naturæ auctor tantum, *N*.—*D.m*:... potest Deum sufficienter cognoscere ratione naturali, *N*; dono sapientiæ, *S.d*: quod donum perficit mentem secundum quod, jam unita Spiritui S. per *fidem*, ejus instinctui prompte obediat in judicandis divinis, *C*; quod non præexigit fidei cognitionem[3], *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Fides, requisita ad justificationem, importaret cogitationem de omnibus articulis. Atqui id impossibile est in tam brevi temporis spatio. Ergo.

1—Ap. Mœhler, *Symbol.* l. I, c. III, 16.
2—Hinc Hodge, *op. cit.*, vol. III, p. 164: "The second consequence attributed to the imputation of Christ's righteousness is a title to eternal life."
3—Cf. I-II^{æ}, Q. LXVIII, a. 4 ad 3.

Resp. *D. M*:... formaliter, *N*; virtualiter, *C*. — *C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

In justificatione impii requiritur actus fidei non quo *formaliter* singulæ veritates credendæ memorentur, sed quo *virtualiter* omnia credantur in summo principio " Dei justificantis per Christi mysterium " ut patet ex Rom. III, 22 et IV, 5. — Pariter tria illa ad justificationem requisita, scil. motus fidei, spei et charitatis, in quibus cæteri motus virtute clauduntur, " computantur pro *uno motu completo*, in quantum unum includitur in alio" *(de Ver., l. cit.)*[1].

Obj. 3 (cont. 2am concl.).—Legitur (Rom. III, 28): *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.*—Item (Eph. II, 8): *Gratia estis salvati per fidem.*—(Rom. I, 17): *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit.*—(Ibid. v. 16): *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Similia habent SS. Patres. Ergo.

Resp. ad 1m. Quandocumque apud S. Paulum et alibi excluduntur opera a justificatione, intelligenda sunt opera vel *mere naturalia*, vel *legis Mosaïcæ* et *sine gratia* facta, non vero opera quæ ex ipsa fidei gratia fiant.—Ad 2m dico justificationem tribui fidei tanquam sui *initio* et *radici*, prout explicuit *Trid.* (Sess. VI c. 8), non tamen exclusis reliquis dispositionibus.—Ad 3m adverto intelligendam esse fidem *vivam*, quæ per charitatem operatur, quæque simpliciter vitam supernaturalem promit; in quam justitia ex fide inchoata et imperfecta per gratiæ infusionem succrescit.—Ad 4m dicendum *Evangelium* Dei virtutem esse omni credenti, scil. credenti non merâ fiduciâ, sed firmo assensu *quæcumque* in Evangelio continentur, ubi nobis et vera *theoretica* ad amplectendum et vera *practica* ad faciendum proponuntur[2].

1—Cf. *ibid.* plura dubia ab Angelico soluta.
2—Cf. Bellarm., l. I, cap. 19-25.

ARTICULUS IV.

Utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum.

1° Quidam e *Novatoribus* cum *Luthero* posuerunt fidem seu fiduciam justificantem ita sufficere ut simul cum voluntate peccandi permaneat; *alii* vero, tolli peccatum per solam voluntatem amplius non peccandi absque præteritorum detestatione.

2° Sermo hic est de justificatione *impii*, scil. hominis culpa inquinati, qui *vigilans* ac mentis *compos* existat; in eoque asserimus requiri ad justificationem motum aversionis contra peccatum. — Quamvis autem, ut docet S. Thomas, duplex actus liberi arbitrii, unus affectionis erga Deum et bonum, alter detestationis mali in justificationis opere distinguatur, tamen " ex duobus *integratur quasi unus motus* voluntatis a malo in bonum, a culpa ad justitiam gratiæ " (Cajet. in h. art.).

Conclusio.—IN JUSTIFICATIONE IMPII REQUIRITUR DETESTATIO PECCATI, prout definivit *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 6) exigens ad justitiam accipiendam dispositionem qua peccatores " moventur adversus peccatum per odium aliquod et detestationem. "

Sane 1° legitur (Ps. XXXI, 6): *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.* (2 Cor. VII, 10): *Quæ secundum Deum tristitia est* (i. e. propter Deum offensum) *pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et (Act. III, 19): *Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*—Unde *Augustinus* (l. I de Nupt. et Concup. c. 26) ait: " Si a peccando desistere, hoc esset non habere peccata, sufficeret ut hoc nos moneret Scriptura: *Fili, peccasti? non adjicias iterum.* Non autem sufficit, sed addidit: *Et de pristinis deprecare ut tibi remittantur.* [1] "

2° Suppetit *rationis* argumentum.—Constat ex justificationis notione superius accepta quod sit (sensu passivo) quidam motus quo humana mens a Deo movetur de statu peccati in statum justitiæ. Atqui non potest mens a Deo moveri

1—Eccli. XXI, 1.

e statu peccati in statum justitiæ, nisi ipsa se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arbitrii detestatione unius et desiderio alterius. Ergo in justificatione impii est motus liberi arbitrii, unus quo Dei justitiam appetat, et alius quo peccatum detestetur. *Min. decl.* ex eo quod fit in motu locali corporum: nam corpus motum recedit a termino *a quo* et accedit ad terminum *ad quem.* Similiter mens humana, dum justificatur, per motum liberi arbitrii recedit a peccato et accedit ad justitiam: qui recessus et accessus accipiuntur secundum detestationem et affectionem seu desiderium.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Sola charitas sufficit ad deletionem peccati, ut patet ex Prov. X, 12. Atqui charitatis objectum non est peccatum. Ergo.

RESP. *D. M:...* quatenus ad eamdem charitatis virtutem pertinet prosequi bonum divinum et refugere malum oppositum seu peccatum, *C;* quin exerceat hunc duplicem motum, *N.—D. m:* secundum motum prosecutionis, *C;* secundum motum aversionis ab opposito, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Qui in anteriora tendit, ad posteriora respicere non debet, secundum illud Ap. (Phil. III, 13): *Quæ retro sunt obliviscens,* etc. Atqui tendenti in justitiam retrorsum sunt peccata præterita. Ergo.

RESP. *D. M:...* ad posteriora seu præterita regredi non debet per amorem, *C;* non debet illorum recordari ut ea detestetur, *N.—C. m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Motus in peccatum, si quis requireretur in ipsa justificatione, deberet circa omnia et singula peccata exerceri. Atqui in uno justificationis momento possibilis non est recogitatio singulorum peccatorum. Ergo.

RESP. *D. M:...* deberet circa omnia exerceri secundum rationem communem aversionis a Deo, *C;* secundum rationem singulis propriam, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Necesse quidem est, saltem de *jure divino,* ante justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, ut homo attrito corde cogitet ad confitendum de singulis peccatis commissis, quorum memoriam habet.—Verum in ipso justificationis momento sufficit ut universaliter, seu sub ratione communi *aversionis* a Deo in qua cuncta conveniunt, peccata illa detestetur, quin opus sit cogitare de singulis.

ARTICULUS V.

Utrum remissio peccatorum debeat numerari inter ea quæ requiruntur ad justificationem impii.

Quæstionem hanc, jam ex supra dictis satis perspicuam, cum D. Thoma proponimus, sive ad pleniorem doctrinæ intelligentiam, sive controversiæ protestanticæ gratiâ.

1° Namque novimus summum erroris *Novatorum* caput in eo situm esse quod prædicent in justificatione peccata tegi quidem et non imputari, nequaquam vero tolli.—Ex *catholicis* autem *a) Vasquez* opinatus est *actum contritionis*, præcisa gratia habituali, formaliter peccatum auferre. *b) Scotus* posuit gratiam habitualem, non ex natura sua, sed *ex lege Dei* peccatum expellere. *c)* Tandem *Suarez* æstimavit gratiam, licet ex se peccato oppositam, posse tamen *absoluta Dei potentia* simul conservari cum peccato.

2° Notetur catholicorum *sensum* in proposita quæstione non hunc esse quem hæretici calumniose ipsis affinxerunt, quasi dicerent peccata sic tolli ut actiones præteritæ non fuerint præteritæ; sed catholici tenent per remissionem peccati fieri ut anima amplius non subsit maculæ et offensæ Dei obliganti ad æternam pœnam.

Conclusio.—IN JUSTIFICATIONE IMPII PECCATA VERE REMITTUNTUR AC DELENTUR;—quod his verbis definivit *Trid.* (Sess. V, can. 5): "Si quis per J. C. D. N. gratiam...reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit *tantum radi* aut non imputari, A. S." Quæ dicta de peccato originali pari ratione de peccatis actualibus interpretanda sunt.

1° *Scripturæ* luculenta sunt eloquia.—Peccata enim per gratiam dicuntur *auferri* (Is. XXVII, 9): *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus*; dicuntur *destrui* (Rom. VI, 6): *Vetus homo noster simul crucifixus est* (cum Christo), *ut destruatur corpus peccati*; dicuntur *mundari* (Jerem. XXXIII, 8): *Et mundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi*. Unde, ex mente Patrum, habet Ecclesia veluti duo publica balnea in quibus, non aqua naturali, sed pretioso Christi sanguine anima

abluitur.—Eleganter *Medina* [1] Lutherum redarguit: "Dicit enim Dominus (Joan. XVII, 17): *Sanctifica eos in veritate;* Lutherus dicit: non sumus vere sancti, sed reputamur sancti. Et iterum (VIII, 36): *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis;* Lutherus dicit quod non vere liberamur a peccato. Et rursus dicitur (1 Joan. III, 7): *Qui facit justitiam, justus est;* Lutherus dicit: non qui facit justitiam justus est, sed cui non imputantur peccata. Et (*ibid.* v. 1) dicitur: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur* et *simus;* Lutherus dicit quod non sumus fiiii Dei, sed reputamur. Item Paulus dicit (2 Cor. VI, 14-15): *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Lutherus dicit quod homo justus habet participationem cum iniquitate, et quod filii lucis sunt tenebræ, et quod filii Dei sunt filii Belial. Dein (1 Cor. VI, 9–10) cum recensuisset S. Paulus fornicarios, idolis servientes, subjungit (v. 11): *Hæc aliquando eratis; sed abluti estis, sed justificati estis;* Lutherus dicit: hæc aliquando fuistis, et etiam modo estis, sed non imputantur vobis delicta vestra," etc, etc.—Sententias *Patrum* omitto, quos videre est apud Knoll (cap. V, a. 2) aliosve auctores.

2° *Ratio* invicta arma subministrat, tum contra *Protestantes*, tum contra peregrinas quorumdam *catholicorum* opiniones.

a) Primum, error *protestanticus radicem* habet in illo absurdo principio quod concupiscentia, inhærens naturæ humanæ essentialiter, ut sentiunt, vitiatæ per culpam originalem, sit formaliter peccatum. Hoc autem principium alibi (Disp. I) explosimus. — Porro justificatio, quæ est motus animæ a statu culpæ ad statum justitiæ, fieri non potest nisi per gratiæ infusionem. Atqui gratia, quasi divina quædam forma, pro effectu formali immediato habet *positive* quidem justificare, *negative* vero culpæ rationem tollere. Ergo justificatio intelligenda est terminari et consummari per realem culpæ remissionem.—Tandem ex opinione contraria nimia manarent *absurda*, scil. Deum reputare justum qui reapse

1—Ap. Satolli, *Prælectiones* in I-IIæ, Q. CXIII, a. 1.

justus non esset, diligere peccatores ut amicos suos et filios adoptivos, etc, etc.

b) *Secundo*, consequitur opiniones *catholicorum* superius relatas erroneas esse [1].—Nequit enim actus contritionis transiens, per se et præcisa gratia habituali, ut ponebat Vasquez, operari *formaliter* justificationem quæ essentiam animæ per prius attingit et in ea manet, sed *dispositive* tantum se habet ad remissionem culpæ quam formaliter gratia habitualis expellit.—Præterea non solum, contra ac temerarie docuit *Scotus*, absolute requiritur forma gratiæ ad expellendum peccatum (quod passim *Conc. Trid.* haud obscure indicat), sed etiam contra *Suarezium* dicimus neque de potentia Dei absoluta fieri posse ut gratia simul cum peccato consistat: ratio est quia immediate opposita, cujusmodi sunt gratia et ejus privatio seu peccatum, sese essentiali repugnantia mutuo excludunt [2].

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicitur (Ps. XXXI, 1 et Rom. IV, 7): *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Atqui quod tegitur adhuc existit. Ergo.

Resp. *D. M.* quoad sensum :... quorum peccata tecta sunt oculis hominum tantum, *N;* oculis Dei, *C.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Deo, cujus oculis *omnia nuda et aperta sunt*, non potest aliquid occultari, nisi penitus deleatur ; unde peccata tecta *coram Deo*, amplius non sunt, quia veluti vulnera a cœlesti medico operta curantur. — S. Thomas *(Comm.* in Rom. IV), postquam explicuerat *remissionem iniquitatum* de habituali *offensa* Dei, verbum *tecta sunt* exponit de ipso *actu* inordinato culpæ "qui non potest non fuisse factus ex quo semel perpetratus est, sed tegitur manu misericordiæ divinæ, ut quasi pro non facto habeatur."

Obj. 2.—Apost. justificationem explicat per hoc quod induimus J. Christum (Rom. XIII, 14) : *Induimini Dominum J. Christum ;* itidem Gal. III, 27 ; Eph. IV, 24 ; Colos. III, 10. Atqui indumentum non tollit, sed tegit corporis deformitatem. Ergo.

Resp. *D. M* :... eo sensu quod *exterius* tantum Christo

1—Cf. Mazzella, Disp. V, a. 6.
2—Cf. Billuart, Diss. VII, a. 3.

justificatio = I.- in suo esse. II.- in sua forma. III.- in sua materia. IV.- in suis proprietatibus.

assimilemur, *N;* quatenus, *interius* renovati secundum Christi gratiam et virtutem, sub specie Christi per salutaria opera quodammodo appareamus, *C. — D. m:...* indumentum proprie dictum, *C;* perinde ac si indumentum metaphorice sumptum in omnibus cum illo conveniat, *N. — Neg. conseq.*

Solutio patet ex contextu locorum objectorum, v. g. ex Eph. IV, 21 : *Deponere vos... veterem hominem qui corrumpitur*, etc : quippe depositio illa est ipsa interior peccati deletio.

Obj. 3.—Juxta S. Scripturam nemo est sine peccato (Job. XXV, 4; 1 Joan. I, 8). Ergo.

Resp. *D. antec :...* sine peccato veniali, *C ;* mortali, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

De proprietatibus justificationis.

(Art. 7-9-10)

Sub hoc titulo tria summatim expediemus quæ, *proprietatum* ad instar, insigne justificationis opus dignificant atque illustrant ; videl. tractabimus I tum de *modo effectionis* illius operis, II tum de ejus *magnitudine*, III tum de *portentosa* ejus specie.

Conclusio 1ª.—Justificatio impii fit a Deo in instanti, quin obstet motus concomitans liberi arbitrii.

1ª *Pars* prob.—Tota justificatio impii originaliter consistit in gratiæ infusione, qua et liberum arbitrium movetur et culpa remittitur. Atqui gratiæ infusio fit in instanti absque successione. Ergo. *Min. ostend.* Nam quod forma successive producatur, ex eo provenit vel quia subjectum non est in ultima dispositione, vel quia agens, utpote finitæ virtutis, tempore indiget ut vincat resistentiam subjecti et formam introducat. Atqui supponimus hic adesse ultimam gratiæ dispositionem, ad quam homo plerumque quidem successivis actibus devenit, sed quam Deus infinita virtute subito adducere potest et quandoque adducit. Ergo.

2ª *Pars* decl.—Etenim *a)* imprimis motus liberi arbitrii, ultimo concurrens ad justificationem, est consensus ad detes-

tandum peccatum et amplectendum Deum: qui *consensus* minime tempus requirit. Siquidem vel præcedit aliqua deliberatio, quæ non est de substantia justificationis, sed via in ipsam; vel subito et in instanti liberum arbitrium movetur a Deo intrinsecus agente, cum simultanea mentis illustratione et ultimo judicio practico (a. 7 ad 1).—*b)* Porro non repugnat voluntatem in *duo simul moveri*, secundum quod unum ordinatur in aliud. Atqui motus liberi arbitrii contra peccatum ordinem habet ad motum oppositum in Deum, cujus gratiâ homo malum detestatur (resp. ad 2). Ergo.—*c)* Denique, quia dispositio subjecti ordine naturæ præcedit susceptionem formæ, verum sequitur actionem agentis qua ipsum subjectum disponitur, idcirco motus liberi arbitrii naturæ ordine *præcedit* consecutionem gratiæ, *sequitur* autem gratiæ infusionem (a. 8 ad 2). Aliis verbis, in eodem momento temporis distinguuntur diversa instantia naturæ; ita ut secundum genus *causæ materialis* et *dispositivæ* motus liberi arbitrii præcedat gratiam habitualem, at secundum genus *causæ efficientis, formalis* et *finalis* eamdem gratiam sequatur [1].

Conclusio 2ª.—JUSTIFICATIONIS EXCELLENTIA ELUCET EX COMPARATIONE FACTA SIVE CUM CREATIONE IN ORDINE NATURALI, SIVE CUM GLORIFICATIONE IN ORDINE SUPERNATURALI.

1ª *Pars.*—Opus aliquod potest dici excellens vel ex parte modi agendi, vel ex parte operis. Atqui, licet *ex parte modi* creatio præstet justificatione, quatenus est productio rei ex nihilo sui et subjecti, dum justificatio fit *in* subjecto; tamen *ex parte operis* et simpliciter loquendo, præeminet justificatio. Ergo. *Min. prob. a)* Nam justificatio ordinatur ad æternum bonum ipsius Divinitatis, creatio autem cœli et terræ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. *b)* Hinc *S. Augustinus* (Tract. 72 in Joan.) considerans quod "ex impio justus fiat" ait: "Majus hoc esse dixerim quam creare cœlum et terram. *Cœlum enim et terra transibunt;* prædestinatorum autem salus et justificatio permanebit." *c)* Ex quo patet veritas dicti illius *S. Thomæ* (a. 9 ad 2): "Bonum gratiæ *unius* majus est quam bonum naturæ totius universi"; in quam sententiam die noctuque tenendi sunt oculi (*Cajet.* in h. art.) ut continue appareat damnatio imminens non existimanti tantum bonum oblatum.

1—Cf. *De Ver.*, Q. XXVIII, a. 8;—Gonet, *de Justif.* a. 8.

2ª *Pars.*—Opus in se magnum dicitur dupliciter: uno modo secundum quantitatem absolutam, et alio modo quantitate proportionis. Atqui, quamvis donum gloriæ sit majus quam donum gratiæ justificantis et completivum ipsius; tamen plus excedit gratia meritum impii, pœna æterna digni, quam gloria dignitatem justi qui ipsa sua justitia jus habet ad gloriam. Ergo non quidem *quantitate absoluta*, sed saltem *quantitate proportionis* majus est opus justificationis impii quam glorificatio justorum. Huc spectat *Augustini* sententia (*loc. cit.*): " Judicet qui potest, utrum majus sit justos Angelos creare, quam impios justificare. Certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc *majoris* est *misericordiæ*."—Omittimus comparationem justificationis cum opere *Incarnationis* quæ, prout terminatur ad ipsum esse personale Verbi subsistentis in natura divina et humana, longe et multum quodlibet opus excedit.

Conclusio 3ª.—JUSTIFICATIO MIRABILIS QUIDEM EST, NON TAMEN EST DICENDA SIMPLICITER MIRACULUM; LICET QUANDOQUE RATIONE MODI MIRACULOSA SIT.

1ª *Pars* apparet ex eo quod quæ sola virtute divina fieri possunt veluti occultam causam habent, ideoque mira sunt: cujusmodi est justificatio, creatio, etc.

2ª *Pars* prob.—Miraculum enim definitur " id quod divinitus fit præter ordinem communiter servatum in rebus " (C. G. III, 101); unde ad miraculum requiritur non solum causa divina, sed et effectus productus præter communem Providentiæ cursum vel ratione sui, vel ratione subjecti, vel ratione modi. Atqui, supposita hominis ad ordinem supernaturalem elevatione, qua anima rationalis accepit connaturalem quamdam capacitatem ad gratiam, justificatio, prout ordinarie fit a Deo interius animam movente et gradatim adducente ad conversionem perfectam, non est præter communem Providentiæ cursum. Ergo.

3ª *Pars* manifestatur; quia quandoque Deus tam vehementer in animam influit ut *statim* homo quamdam justitiæ perfectionem assequatur, prouti factum est in conversione S. Pauli, adhibita etiam *exterius* corporis prostratione ad significationem insuetam internæ mutationis. Unde conversio Apostoli tanquam miraculosa in Ecclesia commemoratur.

a/. - Meritum in genere = Art. I.

b/. - Objectum
- a/. - Quoad vitam æternam.
  - a/. - Quomodo cadit sub merito g[ratiæ]
  - b/. - An de condigno.
  - c/. - An ex influxu caritatis.
- b/. - Quoad gratiam.
- c/. - Quoad bona temporalia.

QUÆSTIO SECUNDA

DE MERITO

Considerandum superest de merito, quod est effectus gratiæ cooperantis, seu efficienter a gratia producitur. Gratia enim duplicem efficientiam exercet : *physicam* unam et propriam qua virtutes (quasi effective seu per resultantiam) bonæque operationes secundum entitatem supernaturalem procedunt ; *moralem* aliam et *improprie* dictam, qua res quidem vera et physica producitur, sed morali modo, scil. ea ratione quæ Deum *inducit* ad aliquid boni præstandum. Inter effectus morales ponuntur meritum, impetratio et satisfactio.—De *merito* nunc agendum est.

Meritum haberi potest veluti *proprietas* consequens actum moralem bonum ; nam (I-IIæ, Q. XXI, a. 3) " actus bonus vel malus habet rationem *laudabilis* vel *culpabilis*, secundum quod est in potestate voluntatis ; rationem vero *rectitudinis* et *peccati* secundum ordinem ad finem ; rationem vero *meriti* et *demeriti* secundum retributionem justitiæ ad alterum."—Quamvis autem meriti nomen quandoque sumatur in malam partem, v. g. ubi dicitur homo *deteriora mereri supplicia* (Heb. X, 28), tamen communi theologorum usu nonnisi ad *bonum* significandum usurpatur.

Quæstionem cum *D. Thoma* et cl. commentatore *Satolli* in decem articulos, mirabili textura compositos, distribuemus.—Etenim primo determinari oportebat *meritum* hominis ad Deum *in genere* (art. 1), postea *objectum* meriti. Hoc autem triplex est : scil. vita æterna, quæ est bonum simpliciter et primum ; gratia, quæ est bonum simpliciter et secundarium ; bona temporalia quæ pertinent ad bonum secundum quid.—Circa *vitam æternam*, quatenus ipsam mereamur, tria quærenda sunt : utrum nempe possit sub merito gratiæ cadere (art. 2), an de condigno (art. 3), an principaliter ex influxu charitatis (art. 4).—*Gratiæ bonum*, objective spectatum, perspicitur quoque multipliciter, videl. in quantum est *prima* gratia vel *absolute*, quia nunquam

fuerit, et hoc sive respectu merentis ipsius (art. 5) sive respectu alterius (art. 6), vel *hypothetice* in quantum reparetur post lapsum (art. 7); secundo quoad *augmentum* (art. 8); tertio quoad finalem *perseverantiam* (art. 9).—Demum inquirendum restat meritum *bonorum temporalium* (art. 10).

ARTICULUS I.

Utrum homo possit aliquid mereri a Deo.

1° Circa *titulum* notare juverit propositum Auctoris esse, tum ut *veritatem* meriti *in genere* adstruat, tum quoque ut ejus *possibilitatem* ex absoluta relatione hominis ad Deum, ideoque fundamentaliter, demonstret. Cum enim liquido constet hominem ab homine quidpiam mereri posse, non tam evidens est qua ratione homo a Deo ipso aliquid mereri valeat.

2° *a)* Jam supra præambulam quamdam meriti notionem dedimus; præstat nunc illud *essentialiter definire*. Itaque meritum est: *habitudo inter actum humanum, bonitate sua alteri acceptanti convenientem, et præmium proportione quadam retribuendum.*

b) Meritum aliud est *apud homines*, aliud *apud Deum*.—Meritum *apud Deum*, de quo hic sermo est, amplius distinguitur in *naturale* et *gratuitum*, prout vel in bonis operibus naturalis ordinis consistit per respectum ad præmium naturale, vel insidet operibus supernaturalibus supernaturali mercedi proportionatis.—Meritum *gratuitum* dispescitur quoque in meritum *excellentiæ* Christi proprium, utpote in gratia unionis fundatum et de absoluto rigore justitiæ, atque in meritum *commune* spectans ad personam creatam, gratia adjutam.—Hoc secundum tandem subdistinguitur in meritum *de condigno* seu simpliciter, et *de congruo*: "dicitur aliquis mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium et meritum, secundum rectam æstimationem; ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod dantem decet" (2 S. D. XXVII, Q. I, a. 3). Quare

meritum condigni innititur *justitiæ* et aliud soli *misericordiæ* (S. Thom. in Heb. c. VI, l. 3).

c) Conditiones meriti gratuiti communis aliæ sunt ex parte operis, aliæ ex parte merentis et ex parte Dei.

Ex parte operis requiritur *primo* ut sit actus supernaturaliter *bonus* non solum ex objecto, sed etiam ex circumstantiis;[1] quippe bonum ex integra causa consurgit.[2] Unde illud Christi (Matth. VI, 1): *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Necesse est *secundo* ut sit actus *liber* non solum libertate imperfecta seu spontaneitatis, sed libertate perfecta seu arbitrii, prouti definitum est ab *Innocentio X* contra Jansenistas et tenet *S. Thomas*[3]. Ratio est quia meritum est proprietas actus humani, qua humanus est seu homini imputabilis. Immo communius *theologi* post Angelicum (I–IIæ, Q. LXXI, a. 5 ad 1) requirunt actum *positive* volitum; nam plura exiguntur ad bonum quam ad malum, et licet omissio, absque *actu*, ejus quod potest et debet aliquis facere videatur reatui pœnæ obnoxia, tamen meritum esse non potest nisi quis voluntario actu eligat quod decet, nempe aut facere bonum aut abstinere a malo.—*Tertia* conditio est ut opus fiat *in obsequium præmiantis*, ut docet S. Thomas[4]; secus enim nullo jure posset præmium ab eo exspectari vel exigi.

Ex parte merentis conditio ad utrumque meritum, *congruum* et *condignum*, requisita est *status viatoris*, juxta illud S. Th. (II–IIæ, Q. XIII, a. 4 ad 2): "Mereri et demereri pertinent ad statum viæ" seu præsentis vitæ. Quod quidem maxime dependet ex ordinatione Dei revelata in Scripturis, v. g. (Joan. IX, 4) *Venit nox quando nemo potest operari*, at quoque consentaneum est conditioni hominis in corpore passibili et per fidem ambulantis.—Altera con-

1—S. Thom. II–IIæ, Q. CXXXII, a. 3 ad 1: "Nullus peccando meretur vitam æternam; unde opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam si propter *inanem gloriam* fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale."

2—I–IIæ, Q. LXXI, a. 5 ad 1.

3—Hic et I–IIæ, Q. XXI, a. 3–4; *de Malo*, Q. VI, a. un.

4—I–IIæ, Q. XXI, a. 3, et II–IIæ, Q. CIV, a. 3.

ditio est *gratia*, quæ pro merito *congruo actualis* saltem, verum pro *condigno habitualis* esse debet, qua nempe homo in statu gratiæ constituitur et subinde potest ex charitate operari : hac vero de conditione infra.

Ex parte Dei præmiantis tandem requiritur *præordinatio* saltem generalior virtutis operativæ a Deo conditæ ad finem proportionatum, prouti mox ostendetur.—Utrum vero specialis quoque præordinatio seu *promissio* ad meritum condignum necessaria sit, tertio art. hujus quæst. inquiretur et determinabitur.

3° *Novatores*, suo systemati cohærentes, primitus negarunt merita bonorum operum, tum quia liberum arbitrium labefactaverant, tum quia docebant omnia opera etiam justorum vel mortali labe (Lutherus) vel saltem veniali (Calvinus) esse infecta [1], neque ea putabant esse ad salutem necessaria.—Postmodum vero (notat Bellarm. *de Justif.* l. V, c. 1) merita concesserunt sub duobus temperamentis, quatenus scil. ex *fide* tantum, non ex operis valore, illa repeterent, et hoc solummodo respectu præmiorum aliorum a *salute* seu a vita æterna.

Conclusio. — CERTO CONSTAT HOMINEM MERERI APUD DEUM ;—quod definivit *Trid.* (Sess. VI, cap. 16) ubi ait : " Tanta est erga omnes homines (Dei) bonitas, ut eorum velit esse *merita*, quæ sunt ipsius dona." Cf. quoque can. 26 et 32.

1° *Scriptura* nos de veritate illa certiores facit.—Nam *merces* correspondet merito. Atqui dicitur (Jerem. XXXI,16) : *Est merces operi tuo ;* (Eccli. II, 8) : *Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra ;* et (Matth. V, 12) : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.—Reddere* secundum *opera* et *meritum* idipsum probat, prout legimus (Ps. LXI, 11) : *Tu reddes unicuique secundum opera sua,* et (Eccli. XVI, 15) : *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Tandem (Heb. XIII, 16) : *Talibus enim hostiis promeretur Deus.*—Vid. Patres ap. Knoll, cap. V, art. 5.

2° *Ratione* sic proceditur.—Inter eos dari potest ratio meriti inter quos salvatur ratio justitiæ utcumque sumptæ. Atqui, quamvis inter Deum et hominem non detur justitia

1—Cf. Conc. Trid. (Sess. VI, can. 25.)

absoluta, dari tamen potest quædam justitia non solum reductive sed etiam proprie accepta, videl. justitia *proportionalis*. Ergo. *Major* apparet ex eo quod meritum et merces ad idem referuntur. Id enim merces dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ejus. Unde sicut reddere justum pretium pro re ab aliquo accepta est actus justitiæ, scil. commutativæ; ita etiam mercedem operi vel labori tribuere ex quodam justitiæ sensu procedit. *Minor ostend.* per partes.—1ª *pars:* justitia æqualitas quædam est. Unde inter eos absolute viget quorum est absoluta æqualitas, v. g. inter duos cives. Atqui inter Deum et hominem maxima existit inæqualitas, ita ut totum bonum quod hominis est a Deo procedat. Ergo non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam æqualitatem, neque proinde meritum *absolute* sumptum.—2ª *pars:* attamen, præter justitiam absolutam habetur justitia proportionalis et distributiva, quam exercet pater ad filios, dominus ad servos, quæque in quadam æqualitate proportionis fundatur. Atqui inter Deum et hominem existit proportio hujusmodi quasi geometrica, in quantum scil. uterque operatur secundum modum suum; modus autem humanæ virtutis a Deo præstitutus est, qui singulas res ad finem propriis motibus consequendum ordinavit. Ergo inter Deum et hominem datur non solum justitia *reductive* sumpta, uti liberalitas, amicitia, sed etiam justitia *proportionalis* et distributiva, quæ *vera* justitia est, et qua cuncta creata debitos sibi fines assequuntur. Quocirca, quemadmodum filius mereri potest aliquid a patre et servus a domino, ita homo *ex præsuppositione divinæ ordinationis* vere mereri potest a Deo, quatenus libera sua operatione consequatur, quasi mercedem, id ad quod Deus operandi virtutem ei deputavit.

Conf. concl. ex conditionibus meriti, quarum singulæ in merito hominis apud Deum verificantur; siquidem homo *liber* et *viator bonum* tum naturale tum supernaturale operari potest *in obsequium Dei*, vel ut est Finis cujusque ultimus, vel ut est Rector totius universi in cujus bonum omnes partes convergere debent. (Cf. I-IIæ, Q. XXI, a. 3-4)

Corollaria.

Sequitur ex dictis *a) primo* hominem mereri apud Deum *de congruo* tantum, si non adsit nisi debitum quoddam

morale, innixum liberalitati vel amicitiæ divinæ; *de condigno* vero, si adsit debitum *legale*, fundatum in justitia proprie dicta.

b) Secundo, justitia quæ fundat meritum *de condigno* non est, ut jam patet, justitia commutativa, perfectioni divinæ contraria, sed justitia *distributiva* [1] dans unicuique secundum ejus proportionem et dignitatem.—Nihilominus (ut explicat *Cajetanus* in II-II^{æ}, Q. LXI, a. 4 ad 1) distributioni admiscet Deus quemdam *justitiæ commutativæ modum* seu similitudinem [2], quatenus præmia pro meritis commensuratione quadam dispensat, quæ tamen non est æqualitas quantitativa rei ad rem in commutationibus observata.

c) Tertio, hinc apparet discrimen formale inter *pretium* et *præmium*, " quamvis a sanctis quandoque inveniatur metaphorice dicitum quod bonis operibus regnum cœlorum *emitur* " (2 Sent. *l. cit.).* Nam pretium solum attenditur secundum valorem *absolutum* rei vel operationis, unde ejus solutio pertinet ad justitiam commutativam; præmium vero datur juxta valorem moralem operis et dignitatem atque proportionem personæ ad mercedem, unde, ut diximus, pertinet simpliciter ad justitiam distributivam.

Solv. obj.—Obj. 1.—Nullus meretur mercedem ex hoc quod reddit alteri debitum. Atqui homo, quidquid boni faciat, totum Deo debet et amplius; unde (Luc. XVII, 10): *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* Ergo. (Non aliter Novatores).

Resp. *D. M:..*, quoad rem ipsam redditam, *C;* nec quoad voluntatem qua reddit, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Debita et *præcepta*, [3] quibus homo cuncta sua in Deum referre tenetur, nullatenus merito officiunt: siquidem ex una parte *libertas* in operando, quam meritum requirit, non inde minuitur; augetur vero *honestas operis* ex motivo gratitudinis et obedientiæ. Falsum itaque est ad meritum exigi

1—Cf. *De Deo*, Disp. V, Q. IV, a. 1; necnon 2 Sent. D. XXVII, Q. I, a. 3.
2—Cf. Joan. a S. Thoma et Gonet.
3—Cf. 2 S. D. XXVII, Q. I, a. 3 ad 3.

opera *supererogationis*.—Objecta autem *Christi verba* apud Lucam eo spectant ut omnem a nobis superbiæ radicem evellant, non ut operibus nostris bonis meriti rationem subtrahant.

Obj. 2.—Nemo meretur ab alio, quin ei proficiat. Atqui homo bene operans sibi, non Deo, proficit, juxta illud (Job. XXXV, 7): *Si juste egeris, quid donabis ei ?* Ergo.

Resp. *D. M*:... quin ei ullo modo proficiat, *C*; quin ei proficiat sub omni respectu, *N*.—*D. m* : non proficit Deo indirecte, *N* ; directe *S.d* : non auget bonitatem ejus, *C* ; neque eam manifestat, *N*.—*Neg. conseq.*

Homo bene operans *indirecte* saltem Deo proficit, quatenus utilitatem confert in communitatem cujus Deus curam gerit.—At quoque *directe* propter Deum operatur, non quasi Ei quidpiam ex nostris operibus accrescat, sed quia cultus, quem ei exhibemus, deservit manifestandæ ejus *gloriæ*. Unde dicitur (1 Reg. II, 30): *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.*

Obj. 3.—Qui apud aliquem meretur eum sibi debitorem constituit. Atqui Deus nemini est debitor. Ergo.

Resp. *D. M*:... eum sibi debitorem constituit vel absolute vel consequenter ex præordinatione ipsius retribuentis, *C*; absolute tantum *N*.—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

Quia actio nostra non habet rationem meriti nisi ex præordinatione divina, ideo Deus, non nobis, sed *sibi ipsi debitor* simpliciter efficitur, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam.

Necessitas gratiæ sub ratione *medii* generatim sumpti ad salutem comparandam alibi (Disp. II, Quæst. un., a. 5) a nobis determinata est; postulat nunc disciplinæ opportunitas ut demonstremus gratiam necessariam esse in ratione principii operis *meritorii* vitæ æternæ. Quamvis enim infans post baptismum decedens salutem sine merito operis consequatur,

via tamen meriti ea est qua adultus regnum cœlorum ingreditur.

In hoc et duobus sequentibus articulis quæstio agitabitur de *objecto principali* meriti, scil. de vita æterna, primo *communiter*, deinde *specialiter* secundum conditiones quæ se tenent ex parte objecti et subjecti.

Conclusio.—NON POTEST HOMO MERERI VITAM ÆTERNAM NISI VIRTUTE GRATIÆ JUSTIFICANTIS.—Id patet ex *Trid.* (Sess. VI, cap. 8 et 16 et can. 32), necnon ex propp. *Baïanis* 12, 13, 17, 18 a S. Pio V damnatis. En 12ª: *Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.*

Prob. 1⁰ ex *Scriptura.*—Nam legitur (Ezech. XVIII, 24): *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur.* Ergo si homo, factus Dei inimicus, meritis jam sibi comparatis privatur, multo minus novum meritum, quale est meritum vitæ æternæ, acquirere valet.— Præterea (Joan. IV, 14): *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; cf. *ibid.* VII, 37-39. Unde aqua Christi, quæ est gratia Sp. S., est fons alterius aquæ, i. e. justitiæ bonorum operum quæ saliet seu pertinget in vitam æternam.

2⁰ *Ratione:* 1ᵐ arg. *absolutum.*—Meritum hominis, prouti in art. præc. dictum est, dependet ex præordinatione divina, qua liberæ nostræ actiones ad bonum mercedis deputantur secundum quamdam virtutis activæ proportionem. Atqui constat ex præhabita doctrina (Disp. II) vitam æternam longe excedere proportionem cujuslibet naturæ creatæ, secundum illud (1 Cor. II, 9): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, etc. Ergo, *in quocumque statu*, nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur donum supernaturale gratiæ habitualis, qua consors divinæ naturæ reddatur.

2ᵐ arg. ductum ex *suppositione* peccati.—Cum peccatum sit quædam Dei offensa, avertens ab ipso, et inimicum atque exosum Deo hominem reddens, nullus in statu peccati existens potest vitam æternam mereri nisi prius, dimisso peccato, Deo reconcilietur: peccatori enim non dabitur vita, sed mors, juxta illud (Rom. VI, 23): *Stipendia peccati, mors.* Atqui reconciliatio illa fieri non potest nisi per gratiam, in qua fundatur amicitia divinæ charitatis. Ergo.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Illud homo a Deo meretur ad quod divinitus ordinatur. Atqui homo secundum suam naturam ordinatur ad beatitudinem. Ergo.

RESP. *D. M* :...secundum divinæ ordinationis indolem, *C*; quocumque modo, *N*.—*D. m* :... ad beatitudinem in communi, *C*; ad beatitudinem supernaturalem, *S.d* : consequendam propria virtute, *N*; per auxilium gratiæ, *C*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Eo magis meritorium est opus apud aliquem quo merens minoribus beneficiis ab illo præventus est. Atqui habens solum bona naturalia minoribus donatus est a Deo quam habens quoque gratiam. Ergo.

RESP. *D. M* :...supposita debita proportione operis ad mercedem, *C*; etiamsi illa proportio desit, *N*.—*C.d.m* :... unde etiam opus ejus nequit proportionari fini vitæ æternæ, *C*; proportionatur, sicuti opus habentis gratiam, *N*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Misericordia et liberalitas Dei in infinitum excedit misericordiam et liberalitatem humanam. Atqui unus homo potest mereri apud alium, etiamsi nunquam ejus gratiam habuerit. Ergo multo magis etc.

RESP. *C. M*.—*D. m* :...potest mereri apud alium sibi inimicum quin ei saltem prius naturâ reconcilietur,[1] *N*; apud alium sibi indifferentem, *S.d* : et hoc quia ei æqualis est, nec quidquam ab eo accipere indiguit, *C*; quasi a Deo homo accipere non indigeat omnem virtutem benefaciendi ideoque donum gratiæ quo mereatur, *N*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno.

1° Cum meritum aliud sit *ex condigno* et simpliciter, aliud *ex congruo* et secundum quid, præsens articulus instituitur ad determinandam meriti speciem quæ homini justificato competit respectu *vitæ æternæ*. Meritum condignum

1—Cf. Cajet. in h. loc.

describitur cui tale jus inest ut non possit absque justitiæ dispendio compensatio subtrahi.

2° De *ratione*, qua *condignitas* illa *merito conveniat*, triplex distingui potest theologorum sententia :—1ª est eorum qui, cum *Scoto* et *Vega*, tenent opera nostra sortiri suam condignitatem non tam ex gratia ipsa quam ex divina acceptatione et extrinseca promissione ; 2ª e contrario censet sufficere ad meritum condignum ordinationem divinam tribuendi gratiam, seclusa quacumque positiva lege aut promissione ; 3ª media et *verior* pronuntiat condignitatem operum in utroque fundari, *essentialiter* quidem et communiter in vi intrinseca gratiæ, *modaliter* vero et determinative in speciali Dei lege et acceptationis promissione.

Conclusio 1ª.—BONUM OPUS, SECUNDUM QUOD PROCEDIT EX GRATIA, MERETUR VITAM ÆTERNAM DE CONDIGNO.—Dico *secundum quod procedit ex gratia ;* si enim consideretur secundum suam substantiam et quatenus procedit ex libero arbitrio, inæqualitas seu disproportio prohibet ne habeatur condignitas : relinquitur sola congruitas in eo sita ut homini operanti secundum suam virtutem Deus præmium reddat secundum excellentiam suæ bonitatis.—Concl., etsi non de fide, aperte deducitur ex *Trid.* (Sess. VI, can. 32) ubi statutum est " justificatum per Dei gratiam... *vere* mereri... vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem " : quippe *vere mereri* indicat meritum *simpliciter* seu de condigno.

Prob. 1° ex *Scriptura.*—Id quod redditur secundum justum judicium videtur esse merces condigna. Atqui vita æterna redditur a Deo secundum judicium *justitiæ ;* dicitur enim (2 Tim. IV, 8) : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ;* et (Heb. VI, 10) : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*—Præterea mentio habetur *dignitatis* quæ justis convenit respectu vitæ æternæ, v. g. (Sap. III, 5) : *Deus tentavit eos et invenit illos dignos se ;* et (2 Thess. I, 5) : *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.*—Amplius omnes illæ voces, *merces* (Matth. V, 12 et alibi), *corona* (2 Tim. IV, 8), *retributio* (Col. III, 24), *remuneratio* (Heb. X, 35), *denarius diurnus* ex *conventione* solvendus (Matth. XX), *bravium* promissum currentibus in

stadio (1 Cor. IX, 24), quibus vita æterna appellatur, idem demonstrant.

2° Ex *traditione*.—Ait enim *S. Basilius* (Orat. in Prov.): "Omnes, qui per viam evangelicam incedimus, *mercatores* sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestem comparantes."—Propterea Patres [1] frequenter dicunt Deum *se fecisse debitorem nostrum;* non quasi proprie et simpliciter debitor noster existat, sed quia justitia, constituens realem relationem inter homines, in Deo *eminentius* habetur secundum solam veritatem suæ ordinationis et relationem rationis ad merita nostra.

3° *Ratione*.—*a)* In opere meritorio procedente ex gratia Dei inhabitantis, valor meriti maxime attenditur secundum virtutem Sp. Sancti nos intime moventis et libero arbitrio principaliter coagentis. Atqui *motio Sp. Sancti* condigna est vitæ æternæ, cum sit *pignus hæreditatis nostræ* (Eph. I, 14). Ergo. — *b)* Attendi etiam debet pretium humani operis secundum *dignitatem gratiæ* qua, consors factus divinæ naturæ, homo in filium Dei adoptatur et, ut filius patri, suæ Deo exhibet actionis obsequium. Atqui filio illi adoptivo, sicut cuilibet filio operanti in patris honorem et bonum, ex jure adoptionis conventione firmato debetur hæreditas, non solum qua hæreditas, sed etiam ut præmium, juxta illud (Rom. VIII, 17): *Si filii et hæredes... si tamen compatimur ut et conglorificemur.* Ergo justus mereri potest vitam æternam *de condigno*, etiam quoad primum gradum gloriæ [2].

Conclusio 2ª. — MERITUM CONDIGNUM VITÆ ÆTERNÆ FUNDATUR PRIMO IN VALORE INTRINSECO GRATIÆ, SECUNDO IN EXTRINSECA DEI LEGE SEU PROMISSIONE. — Utrumque contineri videtur verbis *Trid.* (Sess. VI, c. 16): "Bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per C. J. misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda." Cf. *Conc. Senonense* (in Dec. Fid. c. 16).

1ª *Pars* sibi vult gratiam, divinitus ordinatam ad effectus proprios, secum ferre *radicalem* condignitatem ad meritum

1—Vid. Mazzella, Disp. VI, a. 3.
2—Cf. Bellarm., l. V, c. 20.

vitæ æternæ *communiter* sumptum.—Ratio est, quia donum illud confertur homini a Deo veluti fœcundum *semen* [1] divinæ gloriæ. Atqui semen virtute et proportione præhabet totam arborem cum omnibus fructibus congruis. Ergo gratia, vi suæ collationis et nativæ ordinationis, talem proportionem habet ad vitam æternam ut fundare valeat meritum de *condigno* atque actualem congruitatem seu aptitudinem ad illam mercedem præseferat.

2ª *Pars* adstruit necessitatem *positivæ legis* seu *promissivæ* Dei actionis quoad *determinandum modum* comparandæ mercedis.

Tria præsertim id requirunt :—1º *Status viatorum* ad merendum ita definitus ut postea nullum merendi spatium supersit; quandoquidem hoc non tam ab ipsa rerum natura et ratione gratiæ quam ex beneplacito Dei decernentis repetendum est.—2º *Ratio bonorum operum;* quæ cum sint aliis titulis Deo debita, Deus non tenetur ex justitia mercedem pro eis rependere nisi præsupposita pactione. Præterquam quod efficacia illorum operum maxime dependet ex providentia Dei gratuito animam moventis atque dirigentis secundum quod exigat aptior merendi opportunitas.—3º *Gradus beatitudinis* qui conceditur secundum meram *proportionem* ad opera, necnon *ultra condignum,* [2] nempe secundum *mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et supereffluentem* (Luc. VI, 38). *Id enim quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (2 Cor. IV, 17).

Solv. obj.—Obj. 1.—Dicit Ap. (Rom. VIII, 18) : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Atqui passiones sanctorum videntur meritoriæ præ cunctis aliis operibus. Ergo.

Resp. *D. M :* et loquitur Ap. de passionibus sanctorum secundum earum substantiam, *C;* secundum quod sustinentur ex charitate, *S. d :* scil. non habent condiguitatem ad ullum gradum gloriæ, *N;* inferiores sunt excessu illo beatitudinis qui ultra proportionem meriti datur, *C.—C.d.m :...* passiones ex charitate susceptæ, *C ;* extra charitatem, *N.—Neg. conseq.*

1—1 Joan. III, 9.
2—Cf. Bellarm., *l. cit.* c. 19.

OBJ. 2.—Ait Aug. (de Gr. et lib. arb. c. 9) "non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere." Atqui id quod ex condigno quis meretur, non ex miseratione, sed ex merito accipit. Ergo.

RESP. *D. M* :...et hic respexit Aug. ad *primam* causam salutis quæ est gratiæ auctor, Deus misericors, *C*; voluit excludere causam *subsequentem* et proximam quæ est opus nostrum meritorium ex justitia vi gratiæ misericorditer collatæ, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Meritum condignum æquatur mercedi. Atqui nullus actus præsentis vitæ potest æquari vitæ æternæ. Ergo.

RESP. *D. M* :...quantitate molis, *N*; quantitate virtutis et proportionis, *C.—C. d. m.—Neg. conseq.*

Sicuti semen arboris *virtute*, non *mole*, totam arborem præcontinet, ita merita nostra proportionantur gloriæ quæ non est nisi consummatio gratiæ.

ARTICULUS IV.

Utrum gratia sit principium meriti principalius per charitatem quam per alias virtutes.

1° Suppositis iis quæ jam a nobis explorata sunt, scil. gratiam realiter distingui a virtutibus, et esse principium *remotum* seu radicale meriti, ultro suboritur quæstio de ea virtute per quam, veluti per principium *proximum*, merendi vis exeratur.

2° Contra *Novatores*, qui soli *fidei* in merita Christi tribuunt omnem virtutem meritoriam, communissimus est Doctorum catholicorum sensus, efficaciam merendi maxime ad charitatem spectare.—Verum de *modo* quo charitas in merita nostra influat, controversia est. *a) Vasquez* cum aliis paucis opinatus est sufficere *habitualem* relationem charitatis ad opera, ita ut in habente charitatem actus eliciti etiam a virtutibus *acquisitis*, absque reali charitatis influxu, meritorii sint vitæ æternæ de condigno. *b)* Alii ut *Suarez, Mazzella*, etc, id concedunt de virtutibus *infusis*, quarum actus, aiunt, pondere veluti suo, citra charitatis impulsum, in Deum superna-

turaliter inclinantur. *c)* Alii demum, strictius *D. Thomæ* adhærentes, tenent nullum actum virtutis sive acquisitæ sive infusæ mereri *præmium essentiale* vitæ æternæ absque influxu saltem *virtuali* charitatis; quamvis nec requirant influxum *actualem* in omnibus, neque negent actus virtutum infusarum *ex se* proportionem habere ad *præmium accidentale*, quod est gaudium de bono creato, sub quo eminent aureolæ [1] martyrum, doctorum et virginum.

Conclusio 1ª.—MERITUM VITÆ ÆTERNÆ MAXIME AD CHARITATEM PERTINET.

Nam 1º legimus (Joan. XIV, 21): "*Qui diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.*" Atqui in manifesta Dei cognitione consistit vita æterna, juxta illud (Joan. XVII, 3): "*Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum.*" Ergo meritum vitæ æternæ maxime penes charitatem residet.—Idem evincitur ex vanitate actuum aliarum virtutum, puta patientiæ et fortitudinis, nisi in charitate fiant (1 Cor. XIII, 3): *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

2º Prob. ex *ratione meriti*.—Enimvero inter meriti conditiones duæ præcipuæ numerantur, scil: primo *divina ordinatio* tum generalis tum specialis, secundum quod actus dicitur esse meritorius illius boni ad quod homo divinitus ordinatur; secundo *liberum arbitrium* quo voluntas, per se agens, capax est actionis imputabilis. Atqui quantum ad utrumque principalitas meriti penes charitatem consistit. Ergo. *Min. ostend.* per partes. *a)* Imprimis considerandum est quod vita æterna in Dei fruitione completur, quatenus voluntas, adepto per intellectum summo Bono, eo tanquam supremo fine quietatur. Atqui motus humanæ mentis ad divinum bonum, secundum Providentiæ ordinationem, est proprius actus charitatis, cujus est Deo adhærere, et in Deum actus reliquarum virtutum suo imperio ordinare. Ergo meritum vitæ æternæ *primo* pertinet ad charitatem, *secundario* vero ad alias virtutes ei subjectas. *b)* Similiter gratia per illam virtutem primo meretur, ex qua opus fit voluntarium.

1—Cf. Suppl. *Sum. theol.*, Q. XCVI.

Atqui eo magis voluntarium fit aliquod opus quo libentius ex amore seu charitate operamur. Ergo.

Conclusio 2ª.—RELATIO CHARITATIS AD MERITA CONDIGNA INTELLIGENDA EST NON SOLUM SECUNDUM HABITUS ILLIUS CONCOMITANTIAM, SED ETIAM SECUNDUM REALEM EJUS INFLUXUM SIVE ACTUALEM SIVE SALTEM VIRTUALEM IN BONA OPERA.—Id quidem veluti *corollarium* ex præc. concl. profluit; at, quia variæ opiniones in proposito versantur, operis pretium ducimus singulas brevi oratione expendere [1].

1ª *opinio*, scil. Vasquezii, *manifeste falsa est.*—*a)* Nam Scriptura, promittens vitam æternam bonis operibus, conditionem addit: si fiant *in nomine* Christi (Marc. IX, 40; Luc. IX, 48), *propter nomen* ejus (Matth. XIX, 29); imo præcipimur ab Ap. omnia facere *in gloriam Dei* (1 Cor. X, 31), vel *in nomine Domini* (Coloss. III, 17).—*b)* Ad rem *S. Thomas* (2 Sent. D. XL, Q. un., a. 5 ad [illegible]): "Non sufficit omnino *habitualis* ordinatio actus in Deum: quia ex hoc quod est in habitu nullus meretur, sed ex hoc quod actu operatur."—*c) Ratio* contra Vasquezium convincens est. Etenim actus virtutum acquisitarum nequeunt esse meritorii vitæ æternæ nisi sint in se quodammodo supernaturales; quippe merita debent esse ejusdem ordinis cum præmio. Atqui actus illi non possunt supernaturalitatem sortiri ex sola concomitantia habitus charitatis. Ergo.

2ª *opinio improbabilis* prorsus videtur.—*a)* Nam, juxta Scripturas, merces vitæ æternæ retribuenda est *diligentibus*; sic (Jac. I, 12): *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Recole textus citatos sub præc. conclusione. — *b)* Insuper doctrina *S. Thomæ* tam manifeste opinioni illi adversatur ut nullo prorsus pacto in ejus sensum converti queat. Præter ea enim quæ habentur in præs. art., sequentia lectori commendamus (Qq. Dispp. q. un. *de Charitate*, a. 11 ad 2): "Sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis; unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem: sicut

1—De hac controversia cf. Gonet, Disp. II, a. 6.

medicus dum colligit herbas actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans, virtualiter tamen intendit sanitatem propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quæ propter seipsum facit, manet *virtute* intentio ultimi finis, qui Deus est; *unde* in omnibus mereri potest, si charitatem habeat. Hoc igitur modo *Apostolus* præcipit, quod omnia in gloriam Dei referantur." [1] Eodem sensu intelligenda sunt verba *(de Malo* Q. IX, a. 2) Ratio. Tandem per illud solum meremur assequi finem ultimum seu Deum, per quod simpliciter et absolute in illum tendimus. Atqui per solos actus a charitate elicitos vel imperatos, sive actualiter sive virtualiter, in Deum *simpliciter* tendimus: siquidem actus virtutum infusarum, etsi Deum sub aliquo respectu particulari attingant, v. g. fides sub ratione veri revelati, spes sub ratione boni nostri, non tamen illum simpliciter absoluteque respiciunt, saltem moraliter et psychologice; *ontologica* enim tendentia illorum actuum in Deum, sicuti omnium rerum, ad meritum non sufficit. Charitas autem sola Deum ut est in se attingit [2]. Ergo.

3ª *opinio* probanda [3] manet quæ exigit *virtualem* saltem charitatis influxum in opera, ut meritoria sint vitæ æternæ: duo notabimus in hujus opinionis gratiam.—*a)* Primo, ad influxum illum virtualem "sufficit quod *aliquando actualiter* omnes fines (proximi) in finem ultimum referantur, sicut fit quando aliquis cogitat se totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, in Deum ordinatum erit. Et si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est quam quærere quando oportet [4] habitum charitatis exire in actum" (2 S. D. XL, Q. I, a. 5 ad 6).—*b)* Quocirca (et ex hoc opinio secunda vix differt *in praxi* a nostra) juxta Joan. a S. Thoma, Billuart, etc., influxus

1—Cf. quoque I, Q. XII, a. 6;—I, Q. XCV, a. 4;—1 Cor. c. III, l. 2;—3 S. D. XXX, Q. I, a. 5;—4 S. D. XLIX, Q. I, a. 4, sol. 4;—*de Pot.* Q. VI, a. 9, c. et ad 3.

2—Cf. dicenda in Disp. VIII.

3—Ei subscribit S. Alph. de Lig. *Cont. hær.*, Sess. VI, n. 88, et *Mor.*, l. V, n. 44.

4—Vid. auctores *Theologiæ moralis*.

virtualis charitatis reperitur in omni justo ex iteratis haud raro actibus amoris Dei ad quos *tenetur*, et sine quibus desinit esse justus.

Coronidis instar breviter indicandum est quo modo passiones animæ, quæ imperio voluntatis quadamtenus subjacent, se habeant ad meritum.—*a)* Passiones, *prævenientes* judicium rationis, ex quo dependet bonitas actus moralis, *per se* quidem minuunt laudem et meritum actus; *per accidens* tamen meritum augere possunt, in quantum sint occasio fortius volendi contrarium.—*b)* Passiones, *consequentes* rectum rationis judicium, dupliciter se habere possunt; *primo* per modum redundantiæ, et sic passio signum est intensioris voluntatis et meriti; *secundo* per modum electionis, quando homo se ipsum ad passionem excitat ut promptius operetur, et sic passio adjutorium est meriti [1].

Solv. obj.—Obj. 1.—Merces divina operi debetur. Atqui quælibet virtus est alicujus operis principium. Ergo.

Resp. *D. M*:... cuilibet operi, *N;* operi ordinato in Dei bonum sub ratione ultimi finis, *C.*—*D.m*:...per se ordinans opus in ultimum finem, *N;* sub imperio charitatis cujus est finem illum intendere, *C.*—*Neg. conseq.*

Proprium est habitus, ad quem pertinet finis, imperare habitibus respicientibus ea quæ sunt ad finem. Ejusmodi est charitas.

Obj. 2.—Quantitas meriti ex labore dependet. Atqui charitas magis minuit quam augeat laborem. Ergo.

Resp. *D. M*:... ex labore quem parit magnitudo operis, *C*;... quem parit defectus operantis, *N.*—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

Opus aliquod potest esse laboriosum dupliciter: primo ex *magnitudine operis*, et labor hujusmodi, quando suscipitur, signum est ferventioris charitatis, quæ ardua aggreditur, subindeque excellentioris meriti; secundo ex *defectu operantis*, quatenus unicuique difficile id est quod non prompta voluntate facit, et talis labor, merito adversus, a charitate tollitur.

Obj. 3.—Illa virtus principalius est merendi principium

1—I-IIæ, Q. XXIV, a. 3.

cujus actus maxime meritorii sunt. Atqui hujusmodi est fides, uti patet in martyribus. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :...* per se, *N;* ratione charitatis per quam operatur, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

1° Determinato *objecto meriti* simpliciter et primo quod est vita æterna, ducimur ad considerandum objectum ejusdem ordinis *secundarium* quod est gratia, sive primum conferenda, sive augenda, sive consummanda.—Prima gratia, *absolute* et respectu *ipsius merentis* sumpta, præsentis dubii materiam præbet.

2° *Præsupponimus a) primam* gratiam *actualem* neque condigne neque congrue sub meritum cadere, prout constat ex Disp. IV, Q. I, a. 3 et C. G. III, 149.—*b)* At quæstio est de *prima* gratia *habituali.* Dum autem omnes theologi negant gratiam istam objectum esse meriti *de condigno* seu simpliciter, ex alia parte concedunt eam posse saltem aliqualiter cadere sub meritum de *congruo.*

Conclusio.—Homo non potest sibi mereri de condigno primam gratiam justificantem ; etsi de congruo illam quodammodo mereatur.

1ᵃ *Pars* fundatur in *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 8), ubi docet gratis nos justificari, " quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam *promeretur* " (scil. simpliciter et de condigno).

Prob. dupliciter, nempe per exclusionem meriti tum *antecedentium,* tum *subsequentium* operum.

1° *Excluditur meritum condignum operum antecedentium.—a)* Ex *gratuitate* gratiæ. Quod homo meretur de condigno ei imputatur secundum debitum, quasi merces operum ejus. Atqui ratio gratiæ prorsus gratuitæ repugnat debito operum ; nam *ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (Rom. IV, 4). Unde *(ibid.* XI, 6) Ap. magis inculcat illam repugnantiam : *Si*

autem gratia, jam non ex operibus. Ergo.—Legendus est ea de re *S. Aug.* qui (l. I de Gr. Ch. c. 22) ait: "Quomodo est ergo gratia, si non gratis datur? Quomodo est gratia, si *ex debito* redditur? Quomodo verum dicit Apostolus: *non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur?*" [1]

b) Ex *altitudine* gratiæ.—Id quod essentialiter excedit proportionem naturæ nequit cadere sub merito non habentis gratiam. Atqui gratia, utpote *forma* divina, omnino excedit proportionem naturæ, videlicet tum operum pure naturalium, tum quoque operum initialiter supernaturalium quæ fiunt cum solo actuali Dei auxilio absque principio intrinseco elevante. Ergo.

c) Ex *impedimento* peccati.—Homo, quoadusque versetur in statu inimicitiæ respectu Dei et servitutis sub potestate diaboli, non potest de condigno mereri a Deo mercedem gratiæ. Atqui existens in peccato inimicus est Dei et diaboli servus. Ergo.

2° *Excluditur meritum operum subsequentium.*—Nam opera bona, gratiam subsequentia, ab ea tanquam a principio valorem suum meritorium desumunt. Atqui repugnat quod principium operis meritorii sit simul, per modum mercedis, ejus terminus. Ergo.

2ª *Pars* concedit meritum quoddam *congruum* primæ gratiæ justificantis, non quidem in *jure amicabili*, ut aiunt, fundatum, siquidem peccati servus non est amicus Dei, sed innixum habitudini *dispositionis* ad formam.

Sane 1° ita sentiunt SS. DD. *Augustinus* et *Thomas. Aug.* (Ep. 105 al. 194 ad Sixt. n. 9) ait: "Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus, propitius esto mihi peccatori; et descendit justificatus merito fidelis humilitatis." Et *S. Thomas* (2 S. D. XXVII, Q. I, a. 4 ad 4): "Indignum potest sumi dupliciter: vel negative tantum, et sic Deus dat gratiam indignis, quia his qui non sunt sufficienter ad hoc digni, sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodammodo *ex congruo* gratiam mereri."—2° *Ratio* probativa ex his verbis ultro consequitur. Bona enim opera, puta actus fidei,

1—Eph. II, 8-9.

attritionis, etc, peccatorem disponunt ad justificationem. Atqui dispositio dicit *congruentiam* quamdam respectu formæ quam connaturaliter petit vel exigit. Ergo.

Ex dictis *duo colligantur.*—1° Licet primi actus salutares mereri quadantenus possint *de congruo* alias gratias actuales quæ media sint ad justificationem, non potest tamen homo eas mereri *de condigno*, sicuti nec ipsam justificationem.—2° Motus liberi arbitrii, qui requiruntur immediate ad infusionem primæ gratiæ, quatenus *dispositive* gratiam antecedunt, nonnisi *congruitate* quadam eam emerentur. Quatenus vero a gratia prodeunt in genere *causæ formalis*, jam non merentur gratiam, bene tamen et *de condigno* primum gradum gloriæ.

Solv. obj.—Obj. 1.—Juxta Aug. (in Præf. Ps. XXXI), fides meretur justificationem. Atqui justificatur homo per primam gratiam. Ergo.

Resp. *D. M :* et hoc ab Augustino prolatum est dum aliquando crederet initium fidei esse ex nobis, quod postea retractavit, *C ;* et hoc absolute est tenendum, *S.d :* eo sensu quod actus fidei concomitans justificationem *congruitate* immediatæ dispositionis exigit gratiam, *C ;* quasi sit meritum *de condigno*, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Deus non dat gratiam nisi dignis. Atqui non dicitur aliquis dignus aliquo dono nisi per meritum condignum. Ergo.

Resp. *D. M :*...nisi iis qui prius digni fuerint, *N ;* nisi iis quos ipse infundendo gratiam dignos facit, *C.—C.d.m :*... dignus antecedenter... *C ;* dignus concomitanter secundum dispositionem ultimam quæ simul sit ad gratiam et ex gratia, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Apud homines potest quis mereri donum jam acceptum, v. g. servus equum quo bene usus fuerit in bonum domini. Atqui Deus liberalior est homine. Ergo multo magis per subsequentia opera, etc.

Resp. *D. M :*...potest quis mereri *proprietatem* doni jam accepti in *usum*, et hoc per industriam non provenientem a dono ipso, *C ;* potest mereri proprietatem rei jam absolute sibi donatæ, et quidem per bonum opus proveniens ab illa re eo modo quo opera nostra meritoria proveniunt a gratia, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum homo possit alteri mereri primam gratiam.

Compertum omnibus est hominem, gratia et charitate instructum, posse pro altero *satisfacere* (Suppl. Q. XIII, a. 2); imo Christum de condigno et *ex rigore justitiæ* pro hominibus salutem promeruisse. Hinc dubitandi occasio, *utrum* et *quomodo* homo jam *justificatus* primam gratiam *alteri* mereri valeat.

Conclusio. — JUSTUS (EXCEPTO CHRISTO) NON POTEST ALTERI MERERI PRIMAM GRATIAM DE CONDIGNO, BENE TAMEN DE CONGRUO.

1ª *Pars* prob.—1º Ex *Daniele* precante Deum pro populo Judaïco (IX, 18): *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*—2º Meritum *de condigno* esse debet juxta legem divinæ præordinationis et motionis Dei efficacitatem. Atqui Deus, de facto saltem (quidquid sit de potentia absoluta), non ordinat neque movet opera justorum nisi ut sibi ipsis mercedem de condigno mereantur. Ergo. *Min. decl.* ex discrimine inter *gratiam adoptionis* et *gratiam capitalem*: nam gratia adoptionis, qua justi informantur, in hoc a capitali differt, quod illa, utpote particularis, ordinatur solum ad perficiendum subjectum in quo est; capitalis vero, qua Christus constituitur caput Ecclesiæ et salutis humanæ auctor, influxum suum ad omnes homines extendit, juxta illud Ap. (Heb. II, 10): *Decebat eum...qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummare.*—3º Huc pertinent verba *S. Leonis M.* (ep. 97 al. 165 ad Leonem, c. 2): "Quamvis multorum sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio redemptio fuit mundi. Acceperunt justi, non dedere coronas, et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non *dona justitiæ*."

2ª *Pars* tuetur meritum *de congruo* se tenens non solum ex parte operis, sed etiam ex parte personæ Deo gratæ, prouti constat ex articulo *communionis sanctorum*, quem in Symbolo profitemur, et ex *praxi Ecclesiæ* orantis pro Paganis, Judæis et hæreticis.

Sane 1° legimus (Matth. IX, 2): *Videns Jesus fidem illorum* (qui offerebant ei paralyticum), *dixit paralytico: Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua;* unde fides *de congruo* hanc peccatorum sanationem meruit. Eodem spectat illud (1 Joan. V, 16): *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem*(scil. si non sit obduratus in malo).—2° *Exemplis* idem suadetur. *Stephanus* enim precibus meruit conversionem S. Pauli, juxta illud *Aug.* (Serm. 4 de Sanct.): "Si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet;" et omnes norunt *S. Monicam* filium Augustinum multo lacrymarum semine Christo genuisse.—3° Pulcherrimam *rationem* exhibet (h. loc.) *D. Thomas* ex *lege amicitiæ:* "Merito congrui, inquit, potest aliquis alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem; congruum est secundum amicitiæ proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius: licet quandoque possit habere *impedimentum* ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat."

Duo *subjiciemus.—a) Primo,* cum meritum illud de congruo fundetur in proportione amicitiæ et charitatis,patet quam recte,ipso Ecclesiæ sensu,tribuatur sanctioribus viris in gratiam peccatorum summa quædam meritorum mediationisque efficacia, quæ in B. Virgine et Deipara *Maria* veluti *omnipotentia supplex* commendatur.—*b)* Attamen, *secundo,* duritia humani cordis, ordinarie loquendo et secundum divinæ Providentiæ consilia, efficere potest ut meritum illud *non sit infallibile;* quod Deus ipse testatus est (Jer. XV, 1): *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Orationes justorum etiam pro aliorum salute efficaces sunt; nam dicitur (Jac. V, 16): *Orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Atqui salus fit per gratiam. Ergo.

Resp. *D. M:*...efficaces sunt efficacia *impetrationis* quæ misericordiæ Dei innititur, *C;* efficacia *condignitatis* quæ innititur justitiæ, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Legitur (Luc. XVI, 9): *Facite vobis amicos* (per bona opera) *de mammona* (divitiis) *iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Atqui nullus recipitur in æterna tabernacula nisi per gratiam. Ergo.

Resp. *D. M* :... et sensus est divitem jam justificatum ex merito condigno exercitæ misericordiæ salvari, vel (si peccator sit) ex impetratione et merito congruo bonorum operum grati pauperis primam gratiam accipere, *C*; secus, *N.—C.m.* —*Neg. conseq.*

ARTICULUS VII.

Utrum homo possit sibi mereri reparationem post lapsum.

Dictum est de merito respectu gratiæ *absolute* primæ; nunc quæstio movetur, utrum gratia prima *hypothetice*, seu supposito lapsu, per meritum restaurari valeat.—Agitur de homine justo, quamdiu justus est et salutariter operatur.

Conclusio.—JUSTUS NON POTEST SIBI MERERI REPARATIONEM POST LAPSUM FUTURUM, NEQUE MERITO CONDIGNO, NEQUE MERITO CONGRUO STRICTE SUMPTO, AT POTEST SECUNDUM QUAMDAM CONGRUENTIAM LATIUS ACCEPTAM.

1ª *Pars*, negans meritum *condignum*, fulcitur verbis *Conc. Trid.* (Sess. VI, c. 8) supra citatis, quibus edocemur *gratis* hominem justificari, juxta ipsam Apostoli doctrinam, ideoque citra condignitatem operum. Est igitur assertio *certa*.

Sane vero 1° impossibile est Deum oblivisci ejus quod cadit sub merito condigno. Atqui (Ezech. XVIII, 24) *si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Ergo.—2° Ratio meriti de condigno dependet maxime ex motione seu ordinatione divinæ gratiæ. Atqui motio prioris gratiæ non se extendit usque ad hoc quod homo reparetur post lapsum. Ergo. *Min.* evincitur ex eo quod motio illa interrumpitur per sequens peccatum; quæ interruptio prohibet ne homo reperiatur in statu condigno mercede. Atqui (ut scite notat *Cajetanus*) nemo meretur aliquid exhibendum sibi in statu indigno mercede. Ergo.—3° *Conf.* ex *falsa consequentia* : quippe si homo justus posset ex justitia mereri reparationem post lapsum, teneretur Deus illum in pristinam

dignitatem reparare. Ergo qui semel justus fuit, infallibiliter salvaretur: quod patet esse a vero alienum.

2ª *Pars* quoque negat meritum *congruum stricte* sumptum seu fundatum in jure amicabili, nec nisi vocetenus ei contradicit Bellarminus (l. V, c. 22).—*Ratio* est, quia meritum de congruo strictum importat jus quoddam ad præmium ex titulo *amicitiæ*. Atqui justus per peccatum sequens amittit amicitiam cum Deo ideoque omne jus amicabile, impedimentum meriti inducens duplici ratione, prout ipse est et merens et cui meretur. Ergo.—Hoc jure amicabili justus, in justitia manens, potest *alteri* tantum stricte de congruo mereri reparationem post lapsum.

3ª *Pars* sequitur quæ meritum *congruum late* sumptum admittit, innixum impetrationi et cuidam convenientiæ bonorum operum præcedentium; prout ipse *S. Thomas* concedere videtur (in Heb. VI, lect. 3.)—In hunc sensum quadrant verba prophetæ Jehu ad Josaphat regem Judæ (2 Paralip. XIX, 2-3): *Impio præbes auxilium et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te*; nec non oratio Psalmistæ (Ps. LXX, 10): "*Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*."

Solv. obj. (cont. 1am et 2am p.)—Obj. 1.—Illud quod juste a Deo petitur sub merito condigno cadere videtur. Atqui nihil justius a Deo petitur quam reparatio post lapsum. Ergo.

Resp. *D. M*:...quod juste petitur quasi titulo *justitiæ*, *C*; quod juste petitur quasi tendens ad justitiam et titulo Dei *misericordiæ*...*N.—C.d.m.*, eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Multo magis homini operanti prosunt opera sua quam alii. Atqui homo potest alteri mereri stricte de congruo reparationem post lapsum. Ergo.

Resp. *D. M*:...dummodo non sit impedimentum ex parte merentis, *C*; non obstante quocumque impedimento, *N.—D. m*: homo justus et manens in sua justitia...*C*; a justitia delapsus, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Qui aliquando fuit in gratia sibi per bona opera vitam æternam meruit. Atqui ad vitam æternam non potest quis pervenire nisi reparetur post lapsum. Ergo.

Resp. *D. M*:...quod meritum per peccatum sequens sus-

pendi potest, *C*; quin illud impediri ac suspendi contingat, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Quidam dixerunt neminem mereri *absolute* vitam æternam (nisi per actum finalis gratiæ), sed solum *sub conditione* extremæ perseverantiæ. Quod irrationabile est: siquidem quandoque *ob ægritudinis oppressionem* actus ultimæ gratiæ minus meritorius est quam præcedentes; quantitas autem gloriæ commensuratur omnibus meritis secundum id quod majus fuerit in ipsis.—2° Itaque quilibet actus charitatis meretur absolute vitam æternam, at peccato præpediri potest a consecutione mercedis, sicut causæ naturales impeditæ a suis effectibus deficiunt.

ARTICULUS VIII.

Utrum homo possit mereri augmentum gratiæ vel charitatis.

Cum homo moneatur "*ascensiones in corde suo* disponere et ire *de virtute in virtutem*" (Ps. LXXXIII, 6-7), juxta aliud Scripturæ verbum (Apoc. XXII, 11) "*Qui justus est, justificetur adhuc*", præsens dubitatio sponte ex præcedentibus surgit.—Gratiæ autem vel charitatis *augmentum* intelligendum est cum profectu *omnium virtutum infusarum*, sive theologalium, sive moralium, quæ intimo vinculo gratiæ consociantur.

Theologi quidem omnes admittunt augmentum gratiæ sub merito *generatim* cadere.—At meritum hoc proprie *condignum* esse negavit olim *S. Bonaventura*, concedens solum meritum congruum, etsi in suo genere perfectissimum.—Modo post, *D. Thomam* et *Conc. Trid.*, concors Doctorum sententia oppositum tenet.

Conclusio.—POTEST HOMO JUSTUS MERERI DE CONDIGNO AUGMENTUM GRATIÆ ET VIRTUTUM.—Id satis expresse definitum invenitur (*Trid.* Sess. VI, c. 32), ubi augmentum gratiæ connumeratur inter ea quæ justificatus homo bonis operibus *vere* seu simpliciter et de condigno meretur.

1° Signatim favent *Scripturæ* eloquia.— Dicitur enim

(2 Cor. IX, 8-11): *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis...multiplicabit semen vestrum et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis;* quibus verbis ostenditur justitiam augeri *necessitate morali* condigni meriti, sicuti physica lege et necessitudine fruges ex agricultura prodeunt. Rursus (Jac. II, 21-22): *Abraham, pater noster, nonne ex operibus justificatus est... et ex operitus fides consummata est?* Ubi illud *ex operibus*, juxta biblicum loquendi usum, merendi vim demonstrat.

2° Accedit *Augustini* auctoritas qui (Tr. 5 in Ep. Joan.) implicite saltem eamdem doctrinam tradit; ait vero (Tr. 74 in Joan. n. 2): " Restat ut intelligamus Sp. Sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat." Porro meritum sine addito rectius accipitur pro merito *simpliciter* seu de condigno.

3° Præsto est efficax *ratio*.—Illud cadit sub merito condigno ad quod ordinatio et motio gratiæ, formaliter et effective influentis, se extendit. Atqui motio hæc non solum se extendit ad vitam æternam, sed etiam ad augmentum gratiæ et virtutum. Ergo. *Min. prob.* Motio alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, verum etiam ad totum progressum in motu. Atqui terminus motus gratiæ est vita æterna; progressus autem accipitur secundum augmentum gratiæ et virtutum, quod apte describitur (Prov. IV, 18): *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem*, seu plenam gloriæ illuminationem. Ergo.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Ei qui præmium jam meruit non debetur alia merces. Atqui justus certe præmiatur vita æterna. Ergo augmentum gratiæ non cadit sub merito.

RESP. *D. M* :...ei qui præmium meruit par modum ultimi termini...*C;* per modum termini medii, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

1° Præmium est terminus meriti. Terminus autem ille duplex esse potest, *ultimus* et *medius*, prout voluntas intendens finem vario meriti progressu illum assequatur. Unde merces ultima, nedum excludat, potius præsupponit mercedem mediam veluti rationem majoris perfectionis finalis acquirendæ.—At vero 2° qui suis operibus solum favorem

humanum prosequitur, quasi ultimum in eo finem constituens, is nullam aliam mercedem recipiet, juxta illud (Matth. VI, 2) : *Receperunt mercedem suam.*

Obj. 2.—Nulla causa producit effectum majorem se. Atqui gratia vel charitas est causa meriti. Ergo.

Resp. *D. M*:...effectum majorem se quoad proportionem virtutis, *C*; quoad quantitatem, *N.—C.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Gratia, si augeretur, per quemlibet actum a charitate procedentem augeri deberet. Atqui id inconveniens est, cum nonnulli actus meritorii parum sint ferventes. Ergo.

Resp. *D. M*:...augeri deberet vel de jure vel de facto, *C*; de facto statim, *S.d*: per quemlibet actum intensiorem, *C*; per quemlibet actum etiam remissiorem, *N.—C.d.m—Neg. conseq.*

Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut et gratiæ consummationem quæ est vita æterna. At, quemadmodum vita æterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia semper statim augetur, sed tempore debito, cum scil. aliquis sufficienter fuerit dispositus per actum intensiorem ad gratiæ augmentum.—Vid. infra, Disp. VIII, *de augmento* charitatis.

ARTICULUS IX.

Utrum homo possit perseverantiam mereri.

1° *a)* Agitur hic de *perseverantia viæ*, distincta contra *perseverantiam gloriæ*, vi cujus liberum arbitrium per gratiam consummatam indeclinabiliter determinatur ad bonum, et quam justus una cum gloria *de condigno* meretur.—*b)* Communi autem perseverantiæ nomine non intelligitur singularis illa *in bono confirmatio*[1] aliquibus tantum concessa, ut B. M. Virgini, S. Joan. Baptistæ et Apostolis post Pentecosten, sed donum pertinens ad omnes prædestinatos.—*c)* Hoc donum *describi* potest " actualis et uniformis quædam continuatio liberi arbitrii in esse gratiæ, ex divina coopera-

1—Cf. *de Ver.*, Q. XXIV, a. 9.

tione, usque in finem consequendæ beatitudinis."—*d)* Quamvis autem jam (Disp. II, Q. un., a. 10) dixerimus de perseverantia finali ut *gratia* ad eam *necessaria* adstrueretur, locus nunc datur denuo quærendi de eadem perseverantia secundum ejus habitudinem ad *meritum.*

2⁰ Præsens doctrina demonstranda assumitur contra hæresim *Semipelagianam* quæ ferebat hominem mereri non modo initium fidei, sed etiam perseverantiam finalem, quæque suos sectatores in tantam duxit absurditatem ut assererent Deum, ex prævisione meriti vel demeriti *mere futuribilis*, quosdam infantes præripere ex hoc mundo cum baptismate et alios damnare.

3⁰ Concedunt omnes theologi justum non posse mereri, nec de congruo, *inchoationem perseverantiæ*, quæ manifeste pendet ex primo auxilio efficaci præsupponendo cuilibet merito; at circa *progressum* et *consummationem* perseverantiæ, etsi omnes unanimes sint in negando merito *condigno*, non desunt qui cum *Suarez* (l. XII, c. 38) meritum *congruum* admittant.—Quid sentiat *S. Thomas*, modo aperietur.

Conclusio 1ª.—Justus non potest mereri de condigno perseverantiam finalem.—Id *de fide* vel saltem *fidei proximum* esse constat ex *Trid.* (Sess VI, cap. 13 et can. 16, 22, 32); nam (can. 16) vocatur perseverantia antonomastice "*magnum donum*" et (can. 32) justus asseritur vere mereri, inter alia, vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratia decesserit*, quasi decedere in gratia meritum illud effugiat.

Revera 1⁰ *a)* nusquam in Scripturis perseverantia finalis promittitur justis tanquam merces operum condigna; imo monemur ut cum metu et vigilantia salutem operemur (1 Cor. X, 12): "*Qui se existimat stare, videat ne cadat*."—*b)* Præterea doctrina præsentis concl. intime connectitur cum altera, alias a nobis exposita *(de Deo*, Disp. VI, Q. II, a. 3), circa *gratuitatem* immediatam *prædestinationis* ad gratiam efficacem et gloriam, necnon cum iis quæ disseruimus supra (Disp. II, Q. un., a 10) de necessitate *specialissimi auxilii* ad perseverandum usque in finem.—*c)* Amplius, omne quod homo de condigno meretur a Deo, id *infallibiliter consequitur*, nisi peccato impediatur. Atqui non impediri peccato pertinet ad finalis perseverantiæ bonum. Ergo quicumque

meretur condigne finalem perseverantiam ab ejus consecutione nequaquam impeditur. Atqui, teste *Scriptura* et experientia, multi habent opera meritoria qui tamen de facto perseverantiam non consequuntur. Ergo.

2° Succurrit *Augustini* suffragium (l. de Dono persev.) qui, postquam ostenderat quam magnum et gratuitum sit illud donum, subdit (l. 13) : " Unde satis dilucide ostenditur et inchoandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem."

3° *Rationem* ex mente *D. Thomæ* proponamus.—Illud cadit sub humano merito quod comparatur ad motum liberi arbitrii directi a Deo movente sicut *terminus* conveniens *statui* merentis, non autem quod se habeat magis ut principium statui merentis indebitum. Atqui, in perseverantia viæ, licet non repugnet unum actum posse mereri motionem divinam ad alium actum *absolute* sumptum, tamen concatenatio illorum actuum et conservatio in gratia, qua perseverantia formaliter constituitur, destituta videtur conditionibus in majori recensitis : ergo. Etenim *a)* motio divina conservativa gratiæ re non differt a prima ejus productione, ideoque se tenet ex parte *principii* meriti potius quam habeatur ut bonum quoddam realiter superadditum in ratione termini. *b)* Præterea determinatio in esse gratiæ ex merito adversa est statui præsentis vitæ, in quo liberum arbitrium *versatile* manet usque in finem.

Conclusio 2ª.—QUAMVIS PROBABILIUS, NEQUE DE CONGRUO PROPRIE, HOMO POSSIT MERERI PERSEVERANTIAM FINALEM ; TAMEN POTEST ILLAM VEL SIBI VEL ALIIS ORANDO IMPETRARE.—*Præsupponitur* discrimen inter meritum, etiam congruum, et impetrationem : *impetratio* enim orationi convenit, inducens aliquem ad dandum præcise *quia rogatur* et ex sola liberalitate ; *meritum* vero fundatur in aliqua *operis bonitate* vel proportionata (meritum condignum), vel improportionata (meritum congruum), quem proportionis defectum supplet dantis misericordia.

1ª *Pars* concl. *a)* conformior est imprimis menti *S. Thomæ* qui (in h. art.) excludere videtur omne meritum proprie sumptum.—*b)* Insuper argumenta, quæ mox attulimus præ-

sertim ex ratione contra meritum de condigno, militant etiam contra meritum de congruo proprie acceptum.—*c)* Si quod autem meritum de congruo *improprium* admitti velit, eo quia bona opera quadamtenus *disponunt* ad perseverandum, saltem dici non potest meritum istud infallibile, ut ipse Suarez (l. XII. c. 38, n. 14) fatetur et probat ex defectu promissionis divinæ.

2ª *Pars* 1º innititur verbis *S. Thomæ* (resp. ad 1): "Perseverantiæ donum aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis sub merito non cadat." Quibus præiverat *S. Aug.* (l. de Don. persev. c. 6): "Hoc Dei donum *suppliciter* emereri (seu obtineri) potest; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest."—2º Id a nobis potest impetrari ad quod petendum Deus ipse nos inducit: porro hujusmodi est perseverantia, ut docet idem *Aug. (op. cit.* c. 2): "An quisquam eorum est (sanctorum) qui non sibi poscat a Deo ut perseveret in eo, cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligatur?"—3º Oratio, debitis vestita conditionibus, efficax quidem est; at inter conditiones illas habetur ut sit oratio *perseverans*. Quocirca eatenus homo *infallibiliter* sibi impetrat perseverantiam finalem, quatenus in orando cum Dei gratia jugiter perseveret [1]: quod et diligenter attendendum, et pie meditandum, et studiose prædicandum est.

Solv. obj. (cont. 1ªᵐ concl.).— OBJ. 1.—Magis est non posse peccare quam non peccare. Atqui homo de condigno mereri potest impeccabilitatem gloriæ: ergo et perseverantiam viæ.

RESP. *C. M.—D.m*:...quatenus vita æterna, cui impeccabilitas illa necessario convenit, se habet sicut *terminus* actus meritorii, *C*; quasi eadem sit habitudo perseverantiæ gloriæ et perseverantiæ viæ ad liberum arbitrium, *N.—Neg. conseq.* "Ascendit oratio et descendit commiseratio," St Th. Le livre du P. Montalabré "Sur la prière," - un chef-d'œuvre.

1—Cf. S. Alph. de Ligorio (*Magn. prec. adjum.*, P. I, c. 3, n. 3).—Optime sane Bellarminus (*de Justif.*, l. III, c. 13): "Non enim perseverantia res est ejusmodi quæ uno die peti et accipi possit, sed *quotidie petenda est ut quotidie detur*, et sic tandem fiat ut in finem usque perseveremus."

Eodem modo solvi poterit objectio petita ex augmento gratiæ.

Obj. 2.—Qui potest mereri finem potest mereri media necessaria ad illum. Atqui perseverantia est medium necessarium ad vitam æternam quam meremur. Ergo.

Resp. *D. M* :...quælibet media, *N* ; media quæ esse possunt objectum meriti, *C*.—*D.m* :...ad meritum vitæ æternæ, *N* ; ad ejus consecutionem, *S.d* : et proprie cadit sub merito, *N* ; impetrabilis est, *C*.—*Neg. conseq.*

ARTICULUS X.


Utrum temporalia bona cadant sub merito.

1° Bonum hominis duplex est, unum *simpliciter*, aliud *secundum quid*.—*a)* Bonum hominis simpliciter *primario* consistit in ultimo et supernaturali fine, secundum illud (Ps. LXXII, 27) : "*Mihi autem adhærere Deo bonum est* ;" *secundario* vero in omnibus iis quæ ad hunc finem conducunt. Bonum hominis *secundum quid* est bonum temporale seu sub particulari et deficienti ratione sumptum.—*b)* In præcedentibus, ab art. 2 usque ad 9, egimus de merito respectu boni *simpliciter* tum primarii tum secundarii ; et conclusimus bona ista cadere sub merito supernaturali et plerumque etiam de condigno. Nunc quæritur de bono *secundum quid* et temporali, videl. num et quomodo ipsum sub merito cadat.

2° Nota est vesana positio *Marcionis* et *Manichæorum* dicentium omnia temporalia ex malo principio prodiisse et in malum hominis necessario converti ; dum e contrario catholica docet philosophia cuncta hæc materialia, ab uno cœlesti Opifice condita, in usum et profectum creaturæ rationalis immediate ordinari. — Duabus conclusionibus doctrinam *S. Thomæ* comprehendemus.

Conclusio 1ª. — Bona temporalia, spectata secundum respectum utilitatis ad vitam æternam, cadunt sub merito supernaturali et de condigno.

Nam 1° bona temporalia utilia esse possunt ad diversa



virtutum opera, præsertim charitatis et misericordiæ, quibus perducimur in vitam æternam, ideoque sub hoc respectu media dici debent finis illius assequendi. Atqui eadem ratione qua quis meretur finem, mereri etiam potest media quæ sub merito cadere queant. Ergo post acceptam primam gratiam, homo, sicuti et vitam æternam et augmentum gratiæ et profectum virtutum de condigno meretur, ita quoque merito supernaturali et condigno tantum a Deo de bonis temporalibus consequitur quantum sibi expediat ad salutem et Dei gloriam.

2° Huc referri possunt verba *Scripturæ* (Ps. XXXIII, 11): *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono;* (Ps. XXXVI, 25): *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem;* necnon illud Ap. (1 Tim. IV, 8): *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ.*

3° Ut recte observat Em^us Satolli (in h. art.), interdum fieri poterit ut justus quodammodo mereatur *paupertatem* potius quam divitias, non ita tamen quod *necessaria* ei desint ad exequenda officia divinitus sibi commissa. Dicitur enim (Matth. VI, 33): *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.*

Conclusio 2ª.—BONA TEMPORALIA SPECTATA SECUNDUM SE, LICET NON CADANT SUB MERITO SUPERNATURALI ET SIMPLICITER, POSSUNT TAMEN CADERE SUB MERITO NATURALI ET SECUNDUM QUID.

1ª *Pars patet*: siquidem meritum et præmium esse debent ejusdem ordinis. Atqui bona temporalia, secundum se spectata, non egrediuntur limites ordinis naturalis. Ergo.

2ª *Pars prob.*—1° Sunt homines naturaliter a Deo moti ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum, favente Providentia, consequuntur. Atqui consecutio hæc bonorum temporalium, tum naturali bene libereque operantium virtuti, tum favori divinæ Providentiæ attribuenda, rationem præsefert naturalis mercedis. Ergo. *Min. decl.* ex proportionis lege; sicuti enim vita æterna est simpliciter præmium operum justitiæ per respectum ad motionem Dei supernaturalem, ita congruit ut bona temporalia, secundum se sumpta, tanquam merces retribuantur libere operantibus, sub naturali Dei motione, ad illa prosequenda.

2º Id fieri potest, etiam si homines, quorum laudantur bona opera, recta intentione careant. Hujus rei præclarum exstitit specimen in Nabuchodonosor, rege Babylonis, qui expugnavit Tyrum, non quasi volens servire Deo, sed ut sibi dominium usurparet (resp. ad 2); nam (Ezech. XXIX, 19): *Erit merces exercitui illius...dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi,ait Dominus Deus.*—Hinc *S. Thomas* (2 S. D. XXVII, Q. I, a. 4): "Opera bona ante donum gratiæ facta præmio suo sibi proportionato non carent; causant enim quamdam habilitatem ad gratiam, et secum etiam quamdam honestatem, et jucunditatem, et pulchritudinem habent, in quibus præcipue eorum præmium consistit; et aliqua etiam per accidens causant, ut bonorum temporalium affluentiam, aut aliquid hujusmodi: quia frequenter, ut *Greg.* dicit (Mor. l. V, c. 1), Deus in hoc mundo remunerat eum qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut sic nullum bonum irremuneratum inveniatur."

3º *a)* In antiquitate celebre refertur *exemplum* tum ab *Aug.* (de Civ. Dei, l. V, c. 15-16)tum a *D. Thoma* (de Reg. Principum, l. III, c. 4-6) de *Romanis*, qui ex amore patriæ, justitiæ zelo, civilique benevolentia meruerunt ut mundum subjugarent cunctisque fere gentibus imperii sui leges imponerent.—*b)* Recentiori ætate, idipsum sentiendum est de illis florentibus populis qui, etsi a vera religione aberrantes, nihilominus non videntur virtutibus naturalibus et civicis omnino destituti, subindeque potuerunt vi animi, ingenii artibus, mira quadam ac stupenda activitate, promereri a Deo opes, divitias, terrenamque potestatem et gloriam. His vero maxime congruit Evangelii dictum: *Receperunt mercedem suam.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Illa quæ cadunt sub merito non similiter se habent ad omnes. Atqui bona temporalia, sicut et mala, æque eveniunt bonis et malis (Eccle. IX, 2). Ergo.

Resp. *D.M*:... i. e. non casu accidunt, *C;* non contingunt secundum naturalem Providentiæ cursum, nisi tamen divinæ Prædestinationis ordo derogationem requirat, *N.*—*D.m*:... quoad substantiam et secundum naturalem Providentiæ cursum, *C;* quoad finem in quem destinantur a Deo et secundum Prædestinationis dispositionem, *N.*—*Neg. conseq.*

Omnia æque eveniunt bonis et malis quantum ad ipsam *substantiam* bonorum vel malorum temporalium et spectato communi *Providentiæ* ordine ; quem tamen ordinem Deus in gratiam cœlestis *Prædestinationis* mutare potest et aliquando immutat.—Quantum vero ad *finem*, non æqua est omnium habitudo ad bona illa et mala, quoniam boni per hujusmodi manuducuntur ad beatitudinem, non autem mali. Idcirco quæ apud malos vi tantum causarum naturalium contingunt, apud justos insuper judicanda sunt ex ordine Dei prædestinantis mediaque etiam de se temporalia ad hunc Prædestinationis finem coaptantis [1].

Obj. 2 (cont. 1^{am} p. $2^{æ}$ concl.).—Quod promittitur ut præmium justitiæ cadit sub merito simpliciter. Atqui temporalia bona promissa sunt in V. T. sicut merces justitiæ, ut patet ex (Deut. XXVIII). Ergo.

Resp. *D.M :* Quod promittitur ut præmium justitiæ moralis et religiosæ...*C ;* ut præmium justitiæ legalis, figurativum majoris boni futuri, *N.—C.d.m :*...sicut merces justitiæ moralis et religiosæ, *N ;* sicut merces justitiæ legalis et ad præfigurandum bona spiritualia quæ implentur in nobis, *C.—Neg. conseq.*

Temporalia bona promissa in V. T. erant merces justitiæ legalis et exterioris, quin necessario justitiam moralem et supernaturalem in populo supponerent. Per hæc autem bona terrestria, de se sub merito *secundum quid* tantum cadentia, non solum carnalis Judæorum populus inducebatur ad observationem V. Legis, sed insuper præfigurabantur bona spiritualia quæ nobis ex gratia Christi et N. Legis impletione, secundum meritum *simpliciter*, obveniunt [2].

Obj. 3.—Bonum se habet ad meritum, sicut malum ad demeritum. Atqui propter peccati demeritum aliqui ex Dei justitia puniuntur temporalibus pœnis, ut constat de Sodomitis (Gen. XIX). Ergo.

Resp. *D. M :*... aliqualiter, *C ;* omni ex parte, *N.—D. m :* et ideo etiam secundum meritum simpliciter nonnulli conse-

1—Cf. *de Deo*, Disp. VI, Q. I, a. 2 ad 5.
2—Cf. S. Aug. c. Faustum, l. IV, 2 ;—S. Thom. I-$II^{æ}$, Q. CVII, a. 1 ad 2.

quuntur bona temporalia, ad virtutem ordinabilia, *C*; frequentius Deus immutat communem naturæ cursum quo mala, sicut et bona, temporalia justis cedunt, *N.—Neg. conseq.*

Probitas non semper bona temporalia exposcit; nam mala, quæ pœnalia tantum sunt impiis per ea non adjutis ad salutem, possunt esse medicinalia pro justis eisque ad vitam æternam utiliora quam bonorum terrestrium affluentia.

PARS TERTIA

DE VIRTUTIBUS INFUSIS

PROŒMIUM

Exacta tractatione de gratia, syntheticus ordo nos ducit ad considerandum *virtutes* aliaque affinia munera, quæ ex illa velut ex proprio fonte dimanant.—Antequam autem orationem ordiamur de virtutibus theologicis, quæ præcipuum inter virtutes locum obtinent, nonnulla præmittere juverit ex D. Thomæ doctrina [1] circa virtutes *generatim sumptas*.

I. **Notio generica virtutis** (Q. LV-LVI).—Nomen virtutis, a *viro*, in quo vis excellit, derivatum, communiter significat complementum quoddam potentiæ. Et quamvis quandoque ecclesiastico usu sumatur pro *actu* vel *objecto* potentiæ virtuosæ, v. g. (Matth. VII, 22) *In nomine tuo virtutes multas fecimus*, attamen *strictius* designat dispositionem quamdam potentiæ superadditam, qua creatura rationalis ad operandum perficitur.

Hoc sub respectu virtus post Augustinum *definiri solet*: *Habitus mentis operativus et bonus, quo recte vivitur et nullus male utitur*; quibus verbis tum formalis, tum materialis, tum quoque finalis causa rei definiendæ comprehenduntur. Declaremus singula.

a) Causa formalis (*seu natura*) rei accipitur ex genere et differentia. Porro in prædicta definitione nomen *habitus* stat pro *genere remoto*. Cum enim potentiæ rationales, propriæ hominis, non sint ad unum determinatæ, sed indifferenter se habeant ad multa, indigent ad actus suos inclinari per qualitates permanentes et superadditas quæ dicuntur habitus: cujusmodi sunt virtutes humanæ (Q. LV, a. 1).—Vox altera *operativus* designat *genus proximum*; ex quo virtus, imme-

1—I-IIæ, Q. LV-LXVII.

diate ordinata ad operationem animæ rationalis, distinguitur a dispositionibus *entitativis*, quæ immediate afficiunt substantiam seu potentiam ad esse : qualis est corporis sanitas (*ibid.* a. 2).—Dicitur quoque habitus *bonus* ; et per hoc exprimitur *differentia* specifica virtutis quæ, utpote perfectio potentiæ, essentialiter discriminatur ab habitu operativo inclinante ad malum, scil. a vitio (*ibid.* a. 3).

b) Causa materialis (*seu subjectum*) virtutis indigitatur per vocem *mentis*, quæ significat potentias *rationales* hominis. Liquet enim neque potentias *vegetativas* capaces esse virtutis, quippe quæ ad unum operandi modum natura determinantur ; neque potentias *sensitivas*, *secundum se* sumptas, posse etiam virtutibus ornari, siquidem communes sunt hominibus et brutis ; at si sumantur vires illæ, nempe vis concupiscibilis et irascibilis, prout natæ sunt rationi obedire et *rationales per participationem* dicuntur, jam subjectum esse possunt virtutis qua in eis constituatur habitualis quædam conformitas ad rationem. Maxime autem virtutes ponuntur in *intellectu* et *voluntate*, quæ sunt potentiæ essentialiter rationales, quæque, secundum quod præseferunt indifferentiam quamdam perfectibilitatis ad suum objectum, dispositione perfectiva indigent (Q. LVI).

c) Reliqua definitionis verba pertinent ad *causam finalem*. Finis enim virtutis, cum sit habitus operativus, est ipsa operatio.—Sed notandum est habituum operativorum aliquos semper esse ad malum, ut vitia ; aliquos vero quandoque ad bonum, quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem semper bonum respicit. Idcirco ut discernatur virtus ab iis quæ semper se habent ad malum, dicitur habitus *quo recte vivitur* ; ut vero distinguatur ab iis quæ quandoque ad bonum, quandoque ad malum sunt, additur : *quo nullus male utitur* (Q. LV, a. 4).

II. **Virtutis partitiones.**—Virtutes in primis dividuntur in *naturales* et *supernaturales* pro duplici actuum humanorum ordine et fine, naturali scil. et supernaturali.

Divisio virtutum naturalium.—Virtutes naturales, quæ dici solent etiam *acquisitæ*, aliæ sunt *intellectuales*, aliæ *morales* (Q. LVII-LXI). Nam " virtus humana est quidam habitus perficiens hominem ad bene operandum. Principium autem humanorum actuum in homine non est nisi duplex,

scil. intellectus sive ratio et appetitus ; hæc enim sunt duo moventia in homine, ut dicitur (3 de Anima). Unde omnis virtus humana oportet quod sit perfectiva alicujus istorum principiorum. Si quidem igitur sit perfectiva intellectus speculativi vel practici ad bonum hominis actum, erit virtus *intellectualis;* si autem sit perfectiva appetitivæ partis, erit virtus *moralis*" (Q. LVIII, a. 3).

1º Virtutes *intellectuales* subdividuntur in *speculativas* et *practicas.*

a) Virtutes intellectuales *speculativæ* tres sunt ; *intellectus* seu habitus principiorum [1], quo perficitur intellectus ad considerationem veri per se noti ; *sapientia,* qua mens ducitur ad judicandum de omnibus per altissimas causas, maxime per Deum ; *scientia,* quæ instruit intellectum ad evolvendas conclusiones sub lumine principiorum in certo cognitionis genere. Hinc una est sapientia; multæ vero scientiæ (Q. LVII, a. 2).

b) Virtutes intellectuales *practicæ* sunt duæ : *ars* quæ dicitur recta ratio *factibilium,* inquantum docet recte opus facere secundum rectitudinem materialem ; *prudentia,* quæ dicitur recta ratio *agibilium,* in quantum docet recte agere secundum rectitudinem moralem *(ibid.* a. 3-4). Porro, quamvis prudentia, attento subjecto cui insidet, sit *intellectualis* secundum essentiam, attamen ex parte *materiæ* convenit cum virtutibus *moralibus,* quatenus pro munere habet eas dirigere, ideoque secundum hoc iisdem connumeratur (Q. LVIII, a. 3 ad 1).

2º Virtutes *morales* aliæ sunt principales seu *cardinales,* aliæ *secundariæ* et adjunctæ.

a) Virtutes *cardinales* (sic dictæ a cardine in quo ostium vertitur) illæ sunt quibus tota vita moralis regitur et quatuor

1—Hic habitus, quem S. Thomas vocat *naturalem,* partim a natura est, partim ab exteriori principio : " ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini quod, statim cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte ; et simile est in cæteris. Sed quid sit totum et quid sit pars cognoscere non potest nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas " (Q. LI, a. 1).—Habitus seu intellectus principiorum dividitur in duas species, scil. in intellectum principiorum *speculabilium,* et in intellectum principiorum *operabilium* qui dicitur *synderesis,* prudentiæ directrix (I, Q. LXXIX, a. 12 ; *de Ver.* Q. XVI, a. 1).

numerantur, nempe *prudentia, justitia, temperantia* et *fortitudo*, juxta illud (Sap. VIII, 7): *Labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Hujus divisionis ratio duplex a *D. Thoma* assignatur (Q. LXI, a. 2):—*Prima* sumitur ex *principio formali* virtutis moralis, quod est rationis bonum et ordo: nam vel ordo ille spectatur in suo fonte seu in rationis consideratione et directione, et sic ponitur *prudentia*; vel spectatur in materia cui imponendus est: et sic, prout materia illa consistit sive in operationibus sive in passionibus et affectionibus animæ, habemus ex una parte *justitiam* quæ operationes juxta modum recti et debiti moderatur, ex altera autem parte tum *temperantiam* reprimentem ea quæ nos ad aliquid rationi contrarium impellunt, tum *fortitudinem* roborantem contra ea quæ nos a sequenda ratione retrahunt.—*Secunda* ratio ducitur ex *subjecto* virtutis moralis: aliud enim est *rationale per essentiam*, quod prudentia perficit; aliud *rationale per participationem* quod dividitur in tria, i. e. in *voluntatem* quæ est subjectum justitiæ, in vim *concupiscibilem* quæ est subjectum temperantiæ, et in vim *irascibilem* quæ est subjectum fortitudinis.

b) Virtutes *secundariæ* seu adjunctæ illæ sunt quæ a cardinalibus procedunt et ad eas referuntur: quod fit triplici modo. Aliæ enim se habent ut partes *integrales*, sine quibus exercitium virtutis principalis non esset integrum; aliæ ut partes *subjectivæ*, in quas dividitur virtus cardinalis tanquam genus in species; aliæ ut partes *potentiales* quæ, non habentes totam vim virtutis principalis, ordinantur ad secundarios actus vel materias.

Sane vero *prudentia* [1], cujus proprium est *præcipere* de agendis, pro partibus *integralibus* habet *memoriam* seu præteritorum recordationem, *intelligentiam* seu rectam præsentium æstimationem, *rationem* seu ratiocinandi promptitudinem, *docilitatem* [2], *solertiam*, *providentiam* qua ordinatur aliquid accommodum ad finem, *circumspectionem* et *cautio-*

1—II-IIæ, Q. XLVII-LI.

2—" In his quæ ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab aliis erudiri et præcipue ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium " (*Ibid.* Q. XLIX, a. 3).

nem.—Quoad partes *subjectivas*, dividitur prudentia in *personalem* et *socialem*, quæ posterior subdividitur in *regnativam*, *politicam*, *militarem* et *œconomicam.*—Tandem partes *potentiales* sunt *eubulia* seu habitus recte consultandi; *synesis* seu habitus recte judicandi secundum legem communem; *gnome* quæ judicium ex altioribus principiis derivat.

Justitia, qua inclinatur voluntas ad tribuendum unicuique jus suum, duobus constat elementis *integrantibus*, quæ sunt: declinare a *malo* quod nocet proximo, et facere *bonum* ei debitum [1].—Dividitur vero, tanquam in partes *subjectivas*, in justitiam *legalem* qua salvatur bonum debitum societati, et justitiam *particularem* quæ respicit debitum privatum [2]; hæc vero alia est *commutativa*, alia *distributiva*; distributiva vero subdividitur in *remunerativam* et *vindicativam*.—Partes justitiæ *potentiales* sunt ex una parte *religio* erga Deum, *pietas* erga parentes, *observantia* erga personas in dignitate constitutas; ex altera parte *veritas* in verbis et factis, *gratitudo* pro bonis acceptis et *vindicatio* pro malis, *amicitia* seu affabilitas, *liberalitas*, et tandem *epicheia* seu æquitas [3].

Fortitudo, cujus est inclinare ad moderandos animi motus circa *quæcumque ardua*, præsertim circa pericula *mortis*, *aggredienda* vel *sustinenda*, non habet, juxta S. Thomam [4], partes *subjectivas* eo quod circa materiam valde specialem versatur.—Assignantur autem ei partes quasi integrales et potentiales: *integrales* quidem, quatenus ad primum *actum* fortitudinis qui est *aggredi*, inter mortis pericula, concurrunt *magnanimitas* seu *fiducia* animi et operis *magnificentia* seu magna executio; ad alium vero actum qui est *sustinere* eadem pericula referuntur *patientia* et *perseverantia*.—*Potentiales* autem partes sunt illa quatuor, prout exhibentur circa materias minus difficiles et secundarias.

Temperantia demum, quæ est virtus inclinans ad moderandum appetitum circa *delectationes sensibiles*, maxime *tactiles*, duabus constat partibus *integralibus*, scil. *verecun-*

1—*Ibid.* Q. LXXIX, a. 1.
2—*Ibid.* Q. LVIII.
3—*Ibid.* Q. LXXX, a. un.
4—*Ibid.* Q. CXXVIII, a. un.

dia qua refugit homo turpitudinem intemperantiæ, et *honestate* quæ ad amorem decoris cujusdam moralis pertinet.—Partes autem ejus *subjectivæ* seu species sunt *abstinentia* et *sobrietas, castitas* et *pudicitia*.—Partes *potentiales* plures recensentur, secundum quod virtutes secundariæ *modum* quemdam temperantiæ in aliis materiis, præter delectationes tactus, imitantur: et hujusmodi sunt, quoad refrænandos motus interiores animi, *continentia, humilitas* et *mansuetudo*; quoad motus et actus corporales, *modestia*; quoad exteriorem usum, *parcitas* et *simplicitas* seu moderatio [1].

Divisio virtutum supernaturalium.—Habitus supernaturales dicuntur, alii *ex parte causæ* tantum, uti virtutes *per accidens* infusæ; alii *simpliciter* et ratione sui, qui sunt infusi *per se*. Nam quandoque ad ostendendam suam virtutem Deus homini infundit habitus entitative naturales humanoque conatu acquisibiles, sicut Apostolis dedit scientiam Scripturarum et omnium linguarum quam homines per studium vel consuetudinem acquirere possunt, licet non ita perfecte. Habitus vero qui, propter intrinsecam suam supernaturalitatem, nunquam homini inesse possunt, nisi ex infusione divina, dicuntur infusi *per se* (I-IIæ, Q. LI, a. 4).—Hi postremi habitus, quos Deus ad consecutionem supernaturalis finis animæ infundit, vel pertinent ad genus *virtutum*, quatenus modum quemdam humanum sequuntur; vel sunt *dona Sp. Sancti* præter humanum modum procedentia.—Tandem virtutes supernaturales dispertiuntur in *virtutes theologicas* et *virtutes morales infusas*. Distinctionis ratio mox patebit.

III. **De virtutibus theologicis in genere.**—Breviter inquiramus cum D. Thoma (I-IIæ, Q. LXII) *an, quid, quot* et *quales* sint illæ virtutes.

1° *Admittendæ sunt virtutes theologicæ*, sic dictæ triplici ex titulo: *objective*, quia Deum pro objecto immediato habent; *causaliter*, quia a solo Deo nobis infunduntur; *cognoscibiliter*, quia sola divina revelatione simpliciter innotescere possunt.

1—*Ibid.* Q. CXLIII, a. un.—De his virtutum moralium rationibus in specie non vacat longius sermonem prosequi, sed lectorem remittimus ad ipsam *Summam theologicam*, ubi S. Thomas tam stupenda scientiæ moralis tractatione Moralistis viam stravit.

a) Dari virtutes theologicas sub ratione *donorum permanentium fidei, spei* et *charitatis, certa fide* [1] constat tum ex *Innocentio III (c. Majores* de Bapt.), tum ex *Clemente V* in *Conc. Vienn. (de Sum. Trin.* et *cath. Fid.)*, tum ex *Trid.* (Sess. VI, c. 7), ubi legimus : " Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul *infusa* accipit homo per J. C. cui inseritur, *fidem, spem* et *charitatem.* "— *b)* Præterea, præcepta legis sunt de actibus virtutum secundum proportionem finis prosequendi. Atqui in lege divina dantur præcepta de actibus fidei, spei et charitatis, v. g. (Eccli. II, 8) : *Qui timetis Dominum, credite illi* ; (v. 9) : *Sperate in illum* ; et (v. 10) : *Diligite illum.* Ergo tria illa, ad finem præsentis ordinis supernaturalis spectantia, sunt virtutes supernaturales et theologicæ.—*c)* Amplius, per virtutem perficitur homo ad actus quibus in beatitudinem ordinatur. Atqui fide compertum est, præter beatitudinem naturalem humanæ naturæ proportionatam, aliam supernaturalem homini ad assequendum proponi. Ergo, sicuti in priorem homo ordinatur per principia et dispositiones naturæ (scil. per habitum primorum principiorum et per innatum boni appetitum), ita necesse est ut præter gratiam, qua naturam divinam altius participat, ei insint *proxima operandi principia* quibus *in Deum supernaturaliter* tendat. Atqui principia istiusmodi, naturam excedentia subindeque divinitus accepta, aliud non sunt quam virtutes theologicæ. Ergo.

Segure

2° *Virtutes theologicæ specifice distinguuntur a cæteris omnibus virtutibus.*

a) Et *primo* a virtutibus *intellectualibus moralibusque acquisitis :* quippe, quod est supra hominis naturam essentialiter distinguitur ab eo quod est secundum naturam. Atqui virtutes theologicæ superant naturalia hominis, cui ex opposito conveniunt secundum naturam habitus intellectuales et morales acquisiti. Ergo.—*b) Secundo* a virtutibus *etiam infusis :* habitus enim specie distinguuntur secundum *formalem objectorum* differentiam. Atqui objectum formale virtutum theologicarum (quod infra melius patebit) est ipse Deus, ultimus finis, prout *rationis* nostræ *cognitionem excedit* et *immediate* attingitur ; virtutes autem aliæ vel in Deum

1—Cf. Mazzella, *De Virtutibus infusis*, Disp. I, a. 2.

tendunt secundum quod est humana ratione et mediate tantum per creaturas investigabilis, uti sapientia naturalis, vel, præsupposita per fidem cognitione Dei ut est finis supernaturalis, directe versantur circa media ad hunc finem consequendum, uti virtutes morales infusæ. Ergo.

3° *Convenienter ponuntur tres virtutes theologicæ,* juxta illud Ap. (1 Cor. XIII, 13) : *Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc.*

Etenim virtutes theologicæ hoc modo ordinant hominem ad beatitudinem supernaturalem, sicut per naturalem inclinationem ordinatur homo in finem sibi connaturalem : quod quidem dupliciter contingit, nempe secundum prima intellectus principia cum theoretica tum practica naturaliter nobis cognita ex quibus ratio tam in speculativis quam in agendis procedit, et secundum rectitudinem voluntatis naturaliter in bonum rationis tendentis. Atqui hæc duo deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud (1 Cor. II, 9) : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum,* neque aliter suppleri possunt quam per principia superaddita fidei, spei et charitatis. Ergo. *Min. decl.* Siquidem *a) primo,* quantum ad intellectum, requiritur *fides* de principiis divinis, sub quorum lumine finis supernaturalis appareat. *b) Secundo* requiritur efficax directio voluntatis in finem illum, correspondens innatæ ejus *tendentiæ* et *proportioni* in finem naturalem. Porro tendentia seu motus intentionis in finem supernaturalem, adeptu possibilem, habetur per *spem ;* proportio autem et conformitas, qua voluntas idonea efficitur ad finem illum assequendum, præbetur per *charitatem,* cujus est unire Deo et quodammodo in illum transformare. Ergo.

4° *Secundum ordinem generationis fides prior est spe, et spes charitate ; ordine vero perfectionis charitas præcedit fidem et spem.*

1ª *pars* prob.—Ordo generationis accipitur secundum processum rei de statu prævio inchoationis et imperfectionis ad statum perfectiorem. Atqui talis ordo et processus observatur in homine secundum actus fidei, spei et charitatis : *a)* nemo enim potest spe vel charitate tendere in bonum supernaturale nisi prius fide apprehensum fuerit ; *b)* pariter charitas supponit spem qua bonum possibile et veluti nostrum prosequi-

mur, quæque inde nos ducit ad bonum illud absolute amandum.—2ª *pars* liquet ex eo quod charitas est forma omnium virtutum, proindeque fidei et spei quibus confert virtutis perfectionem. (Cf. dicenda inferius *de Charitate.*)

IV. **De virtutibus moralibus per se infusis.**—Non defuere, duce *Scoto*, theologi qui virtutum moralium supernaturalium existentiam negarent; sed (ait Mazzella) *communissima* est post D. Thomam sententia easdem asserens.

1° *Certo existunt virtutes morales per se infusæ.*

a) Id namque eruitur imprimis ex *sensu Ecclesiæ :* videl. tum ex *Innocentio III* (loc. jam cit.) ubi supponit adultis in baptismo infundi " fidem, caritatem et *alias virtutes* "; tum ex *Catech. Trid.* (P. II, de Bapt. Sacr. n. 51) ubi recensetur " nobilissimus *omnium virtutum comitatus* quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur ; " tum denique ex pluribus *Patribus*, quos inter *S. Augustinus, S. Prosper, S. Greg. M.*, a cl. Mazzella (Disp. I, a. 3) laudati. Sic *S. Aug.* (Tract. 8 in 1 Joan.) : " Sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt ;...quia intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes numerare ? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua : quomodo enim imperator per exercitum suum facit quod ei placet, sic Dominus J. C. incipiens habitare in interiore homine nostro."—*b)* Præsto est secundo *ratio S. Thomæ* (I-IIæ, Q. LXIII, a. 3) [1] desumpta ex *proportione* habitudinis et causalitatis inter naturalem et supernaturalem ordinem. Oportet effectus esse suis causis et principiis proportionatos. Atqui omnes virtutes tam intellectuales quam morales, actibus nostris acquisitæ, procedunt ex quibusdam naturalibus principiis in nobis præexistentibus [2]; quorum principiorum loco conferuntur nobis a Deo virtutes theologicæ quibus ad finem supernaturalem ordinamur. Ergo necesse est his etiam virtutibus theologicis proportionaliter respondere alios habitus divinitus in nobis causatos, qui sic se habeant ad virtutes theologicas, sicut se habent virtutes

1—Cf. Cajet. in h. loc.

2—Cf. I-IIæ, Q. LI, a. 1 et Q. LXIII, a. 1 ; ubi habituum virtutumque naturalium genesis describitur secundum quamdam aptitudinem et inchoationem naturæ, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis.

naturales ad naturalia virtutum principia. *Conf.* (ex art. cit. resp. ad 2): virtutes enim theologicæ sufficienter nos ordinant in finem supernaturalem secundum quamdam initiationem, nempe quantum ad *ipsum Deum* immediate; sed requiruntur aliæ virtutes ejusdem ordinis seu per se infusæ, quibus anima perficiatur circa *alias res*, in Deum ultimo referendas.

2° *Virtutes morales per se infusæ specie differunt ab acquisitis (Q. cit.* a. 4)

Etenim dupliciter habitus specie distinguuntur: uno modo secundum formales *objectorum* rationes; alio modo secundum *finis* ultimi exigentiam. Atqui utroque modo virtutes morales infusæ ab acquisitis discrepant. Ergo. *Min. ostend.* per partes:—*a)* Nam *modus* impositus in passionibus et operationibus secundum *divinam regulam*, et modus impositus secundum *humanam rationem*, sunt objecta formaliter diversa. Atqui, quamvis virtutes morales infusæ et acquisitæ eamdem materiam habeant eademque nomina, eo quod ordo supernaturalis non destruit, sed elevat relationes naturales hominis ad creaturas; tamen virtutes morales infusæ ordinantur ad bonum ut modificatum per legem divinam, virtutes autem acquisitæ respiciunt bonum regulatum humana ratione. Ergo. *Temperantia* v. g., sola ratione directa, ita sumptionem ciborum moderatur, ut non noceat valetudini corporis neque rationis actum impediat; secundum autem legis divinæ regulam requirit ut *homo castiget corpus suum et in servitutem redigat* per abstinentiam cibi et potus, ad exemplar Christi patientis et sanctorum. Unde patet temperantiam acquisitam et infusam specie differre: quod de aliis virtutibus dicendum est.—*b)* Præterea alia est honestas quæ decet cives humanæ societatis, alia quæ decet concives Christi et Dei. Atqui virtutes morales acquisitæ ordinant homines ad vitam et societatem *humanam*, infusæ vero eos ordinant ad vitam *divinam*, quatenus fiant *cives sanctorum* et *domestici Dei*. Ergo.

3° Ad uberiorem præcedentium explicationem et ad præcavendas objectiones, nonnulla *subjiciam.*—*a)* Virtutes infusæ, licet præsupponant potentiam radicalem quam informant et complent, merito tamen *potentiis* æquiparantur, in quantum vim seu potestatem agendi supernaturalem conferunt.—

b) Hæc autem vis secumfert facilitatem illam *intrinsecam* qua potentia perfecte actui proportionatur.—*c)* Verum non semper virtutes infusæ, uti ipsa experientia testatur, secum ducunt facilitatem quoque *extrinsecam*, quæ omnia impedimenta arceat. Ad rem *S. Thomas* (I-IIæ, Q. LXV, a. 3. ad 2): " Habitus moralium virtutum infusarum *patiuntur interdum difficultatem* in operando propter aliquas *dispositiones contrarias* ex præcedentibus actibus relictas; quæ quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariæ dispositiones."—*d)* Tandem virtutes infusæ, quæ meritorie per actus augentur, licet directe et formaliter nequaquam gignant novos habitus ejusdem speciei [1], tamen *indirecte* et *dispositive*, ut innuit S. Thomas (Q. XVII *de Ver.* a. 1 ad 4), probabiliter generare possunt habitum inferioris ordinis, quatenus ex iteratis actibus virtutum infusarum disponatur homo ad operandum circa eamdem materiam ex motivo naturali [2].

V. **De proprietatibus virtutum, maxime infusarum.**—S. Thomas (I-IIæ, Q. LXIV-LXVII) quatuor exponit virtutum proprietates, quas summatim proponemus.

1° *De medio seu modo mensurato virtutum*; ex quo tritum illud effatum: *in medio stat virtus*.

a) Atque ut a virtutibus *moralibus* exordiamur, virtus moralis *in medio* consistit, quatenus conformari debet regulæ rectæ rationis, a qua deviatio vel per excessum vel per defectum fieri potest; sic liberalitas media est inter prodigalitatem et avaritiam. Porro, quandoque medium illud seu conformitas ad regulam rationis coïncidit cum ipso *medio rei* in se sumptæ, ut in virtute justitiæ; nam ex ipsa rei natura statutum est ut qui furto decem abstulit, decem restituat. Plerumque autem medium ratione præscribitur attentis circumstantiis personæ, loci et temporis, uti fit in aliis virtutibus moralibus, quæ ideo tenent solum medium rationis; v. g. quantitas cibi vel potus, quæ secundum prudentem æstimationem uni est conveniens,

1—I-IIæ, Q. LI, a. 4 ad 3; et Q. un. *de Virt. in com.* a. 10 ad 19.—Demonstratio superius facta (Disp. IV, Q. I, a. 1), videl. quod gratia nonnisi a Deo produci possit, proportionaliter intelligenda est de virtutibus infusis, quæ sunt ejusdem ordinis supernaturalis.

2—Billuart, Diss. II *de Virt.*, a. 3, obj. 3.

alteri erit nimia, alteri vero insufficiens.—*b) Intellectuales* quoque virtutes in medio consistunt, quatenus earum objectum, verum, mediat inter excessum falsæ affirmationis et defectum falsæ negationis. Disparitas est tamen, quia medium virtutis intellectualis *speculativæ* accipitur tantum secundum conformitatem ad *rem*, medium vero virtutis *practicæ*, ut prudentiæ, etiam secundum rectitudinem *rationis* regulantis actus morales.—*c)* Tandem *virtutes theologicæ* per se et ratione objecti medium non habent nec excessum timent, bene tamen *per accidens* et ratione subjecti. Ratio est, quia regula istarum virtutum, utpote ipse Deus, nequit transcendi: nemo enim, objective loquendo, potest nimis amare Deum, aut nimis in ipsum credere et sperare; attenta tamen ratione subjecti, excessus, sicuti defectus, esse potest, in quantum debemus ferri in Deum secundum mensuram conditionis nostræ, quam nimio conatu vel tempore inopportuno contingit transcendere.

2° *De connexione virtutum.*

a) Si primum *morales* virtutes ad invicem comparemus, pro certo habendum est eas in *statu imperfecto*, seu prout sunt inclinationes quædam ad bonum opus vel ex indole et naturali complexione vel ex assuetudine exortæ, non esse mutuo connexas: experientiâ id constat. Verum virtutes morales *perfectæ*, seu quæ inclinant ad bonum opus *bene* agendum, necessario nexu inter se tenentur. Ratio est, quia non potest esse perfecta virtus moralis sine perfecta *prudentia*, qua regulantur virtutes morales; prudentia autem non est perfecta et sufficiens nisi extendatur actu vel habitu ad materias omnium virtutum moralium [1].—*b)* Amplius virtutes morales *acquisitæ* sine charitate esse possunt atque in *multis gentilibus* (ait Auctor, Q. LXV, a. 2) fuerunt [2]; *infusæ* vero, quæ ad finem supernaturalem tendunt, quæque idcirco *simpliciter perfectæ* virtutes dicuntur, nequeunt *sine charitate* existere, sicut nec charitas sine ipsis. Etenim, ex una parte, virtutes illæ supponunt infusam prudentiam cujus est procedere in suis direc-

1—Virtutes *intellectuales*, cum sint circa diversas materias ad invicem non ordinatas, non connectuntur inter se sicut virtutes morales (Q. LXV, a. 1 ad 3).
2—Cf. Billuart, Diss. II *de Virt.*, a. 4.

tionibus non solum ex finibus particularibus ad quos homo per virtutes morales ordinatur, sed etiam et maxime ex fine ultimo qui a charitate intenditur; ex altera parte, charitas non potest ordinare hominem ad finem ultimum per bona opera assequendum, nisi simul cum ipsa infundantur principia talium operum, seu virtutes morales. Unde virtutes morales infusæ non solum radicantur in prudentia, sed etiam in charitate, et qui amittit charitatem per peccatum mortale eas omnes amittit.—*c)* Denique, quamvis *fides* et *spes* possint sine charitate esse aliqualiter, nempe secundum rationem quamdam imperfectam virtutis (quod infra clarius illustrabitur), tamen *charitas* nequit esse sine fide et spe: siquidem significat amicitiam quamdam hominis ad Deum; hæc autem intima societas seu conversatio consistere non potest nisi fides revelet bona illius societatis, spesque adsit ad illam pertinendi eamque in cœlis consummandi.

3° *De virtutum comparatione.*

Quantitas virtutis attendi potest dupliciter: uno modo secundum rationem *speciei;* alio modo secundum *participationem subjecti*, in quo vel intenditur vel remittitur.

a) Sub primo respectu, nempe secundum *speciei* comparationem, manifestum est virtutes ab invicem differre ita ut una alteri præemineat.—Sic enim inter virtutes morales primum locum tenet *prudentia*, cujus est cæteras regere per dictamen practicæ rationis; post prudentiam venit *justitia*, quæ, voluntati insidens, propinquius rationis bonum attingit, atque hominem tum in seipso tum ad alterum ordinat.—Virtutes vero intellectuales, inter quas *sapientia* velut inchoatio quædam futuræ felicitatis excellit, *simpliciter* seu ex parte objecti et ob hujus universalitatem nobiliores sunt *habitus* quam virtutes morales; licet *secundum quid* et sub ratione *virtutis* præstent virtutes morales, in quantum perficiunt appetitum motivum aliarum potentiarum ad actum.—Demum, certum est virtutes *theologicas* aliis quibuscumque esse anteponendas, et inter illas eminere *charitatem:* quod suo infra loco demonstrabitur.

b) Sub alio respectu, nempe quoad *participationem* virtutis *in subjecto*, omnes virtutes unius hominis, secundum id quod *formale* est in ipsis seu secundum conformitatem ad regulam, æquales sunt et æqualiter crescunt æqualitate

quadam proportionis, quia omnes radicantur in prudentia, et etiam, si sint virtutes infusæ, in charitate. Unde per divinam infusionem, simul cum gratia sanctificante et eodem gradu, formaliter augentur omnes virtutes.—Quantum vero ad id quod *materiale* est in virtutibus, seu quantum ad inclinationem ipsam ad actum virtutis, potest unus homo, sive ex naturæ complexione, sive ex consuetudinis exercitio, sive etiam ex gratiæ auxiliantis dono, promptior esse ad actum unius virtutis quam ad actum alterius : unde quidam *sancti* solent præcipue laudari de una virtute, alii vero de alia.

4° *De duratione virtutum post hanc vitam.*

a) Si sermo sit de virtutibus *moralibus*, hæ post hanc vitam remanent, non quidem quantum ad *materiam* circa quam nunc versantur, sed quantum ad suum *formale* seu quoad ordinem rationis quo potentiæ secundum convenientiam status gloriosi reguntur. Attamen fortitudo et temperantia, quæ post resurrectionem actu erunt, ante resurrectionem corporum esse non possunt nisi *in radice* intellectus et voluntatis.—*b)* De virtutibus *intellectualibus* dicendum, eas quoque post hanc vitam, destructo corpore, manere secundum id quod est formale in ipsis, nempe quoad species intelligibiles quibus virtutes illæ in suo exercitio perficiuntur, licet non quoad phantasmata e quibus species nunc abstrahuntur.—*c)* Tandem si loquamur de virtutibus *theologicis*, non solum *fides* quæ est de non visis, sed etiam *spes* de non possessis simpliciter a statu gloriæ ablegandæ sunt, manente tamen in anima beata ante resurrectionem *desiderio* quodam corporis resumendi.[1] *Charitas* vero, quæ in suo formali conceptu nullam imperfectionem dicit, non evacuatur per gloriæ perfectionem, sed eadem numero manet; etsi charitas viæ, proportionata cognitioni per fidem, non possit simpliciter æquare charitatem patriæ ex visione Dei intuitiva provenientem : " Deus enim quanto perfectius cognoscitur, tanto perfectius amatur " (I-IIæ, Q. LXVII, a. 6 ad 3).[2]

1—I-IIæ, Q. LXVII, a. 4 ad 3.

2—Circa ea quæ in hoc procemio e D. Thomæ fontibus carptim deprompsimus, legendus est Commentarius nuperrime editus ab Em. Card. Satolli, *De Habitibus* (in I-IIæ QQ. XLIX-LXX) ; ubi egregius Auctor profundissime, pro more, doctrinam Angelici pertractat.—Cf. quoque Joan. a S. Thoma, *Curs. theol.* in l. cit.

VI. **Tractationis sequentis divisio.**—Post exploratam subcommuniori ratione virtutum naturam variamque indolem, dogmatico processu tractare aggredieınur de tribus *virtutibus theologicis* quæ proximum sunt fundamentum operationum supernaturalium, quæque vitam christianam quodammodo continent, juxta illud *S. Aug.* (Serm. 27) : "Domus Dei (spirituale ædificium animæ) credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur." Materiæ obvia partitio suadet ut tres instituamus disputationes, sc. unam de *fide*, aliam de *spe*, tertiam de *charitate* (II-II^{æ}, Q. I et sqq.).—Cum vero specialia quædam munera, Spiritui Sancto appropriata, gratiam ac virtutes infusas comitentur, omissis virtutibus infusis moralibus, de *donis Sp. Sancti* una cum *beatitudinibus* et *fructibus* ejusdem Spiritus in postrema totius operis dissertatione sermocinabimur.

DISPUTATIO SEXTA

DE FIDE THEOLOGICA

Nomen *fidei* (monet Mazzella, Disp. II) varias habet acceptiones.—Et primo usurpatur ad significandam perfectionem aliquam *voluntatis*, nempe vel fidelitatem in promissis, vel sponsionis confirmationem, vel propositi constantiam, vel fiduciam. — Usurpatur quoque ad significandam perfectionem *intellectus*: quo modo designare potest vel quemlibet mentis assensum, puta opinionem, vel conscientiæ notitiam et dictamen, vel communius et *strictius* cognitionem in testimonio alterius fundatam.

Fides, postremo hoc sensu accepta, alia est *humana*, humano testimonio innixa, alia vero *divina* quæ fundatur in auctoritate Dei.—Divina quoque fides solet dividi in fidem *simpliciter divinam* et *divino-catholicam*, non quidem ex parte motivi formalis quod idem est in utraque, sed secundum modum credendæ veritatis quæ, vel citra Ecclesiæ definitionem seu propositionem, vel per eam ut revelata apprehenditur. Ulterius dispescitur in fidem *publicam* et *privatam ;* in fidem *stricte* seu immediate *divinam* et fidem *ecclesiasticam* seu mediate divinam. Denique accedit partitio in fidem *informem* et *formatam :* quæ omnia ex dicendis illustrabuntur.

Cum habitus cognoscantur per actus, actus autem per objecta, hinc successive dicemus de fidei *objecto, actu,* et *virtute*, necnon de *vitiis* fidei oppositis. — Quia vero, nostris præsertim temporibus, multi circumferuntur errores circa *habitudinem inter fidem* et *rationem*, nonnulla de hoc argumento, juxta theologorum usum, sub fine disputabimus.— Igitur quinque agitari quæstiones poterunt.

Quaestiones: De objecto fidei. De actu fidei. De virtute fidei

QUÆSTIO PRIMA

DE OBJECTO FIDEI

Objectum fidei considerari potest dupliciter : *in se*, prout est tum formale tum materiale (art. 1), et in suis *proprietatibus*. Proprietates vero objecti fidei quatuor accipi queunt, nempe *veritas* rei creditæ (art. 2), ejus *obscuritas* cum evidentia motivorum credibilitatis (art. 3), fidei de eodem *incompossibilitas cum scientia* (art. 4), necnon *evolutio* credibilium secundum temporum progressiones (art. 5). En tota quæstio S. Thomæ ad quinque articulos reducta.

ARTICULUS I.

Utrum objectum fidei sit veritas prima.

1° Determinandi sunt *termini*.

a) Cujuslibet cognoscitivi habitus aliud est subjectum, aliud objectum.—*Subjectum* est res *de qua* cognitio habetur ; quæ si ratione sui attingatur, vocatur subjectum *principale* (objectum attributionis aut formale *quod*, ut alii loquuntur), cætera vero ad illud principale ordinata vocantur subjectum *secundarium*.—*Objectum* quoque duplex est, formale et materiale. Objectum *formale* est motivum *quo* vel ratio *qua* mens rei cognitæ adhæret ; objectum autem *materiale* sunt veritates vel propositiones de subjecto efformatæ quibus intellectus ex motivo formali assentit : sic in scientia geometriæ materialiter scita sunt conclusiones, formalis vero ratio sciendi sunt media demonstrationis per quæ conclusiones cognoscuntur.

b) Præterea *veritas*, primum ac necessario Deo conveniens, triplex distinguitur : alia est enim veritas *in essendo* seu ontologica et essentialis, quæ non est nisi ipsa Dei essentia qua verus Deus est ; alia veritas *in cognoscendo* seu intellectualis, quæ infinitam Dei sapientiam attinet ; alia tandem

DE FIDE THEOLOGICA.

De objecto fidei.

-est habitus supernaturalis infusus, inclinans in-
ctum ad firmiter assentiendum veritatibus in se
videntibus propter auctoritatem Dei revelantis.
um omnis habitus sit ad aliquod objectum et speci-
ur ab objecto, immediate quaeritur: de objecto fidei,
e vero de actu, de virtute, de vitiis oppositis, et
latione inter fidem et rationem.
tum: materiale, formale quod, formale quo.
ERE, objectum materiale, est illud quod per habitum
gitur.

Objectum formale quod:-illud quod primo attin-
ratione sui, v.g., color in objecto colorato.

Objectum formale quo:-ratio sub qua habitus
git suum objectum, vel medium favorabile permittens
m ut attingat objectum suum.

THESIS.

tum materiale fidei est omne illud quod divina re-
ione nobis innotescit (quod deducitur ad 12 arti-
symboli, quamvis diversimode.)
tum formale quod:-est Deus, quatenus prima veritas
sendo.
tum formale quo:-est Deus quatenus prima veritas
oscendo et dicendo.
MAM PARTEM, scil.: objectum materiale fidei est om-
lud quod divina revelatione nobis innotescit.
/.-Conc. Vatic.-"Porro fide divina et catholica ea
credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradi-
tinentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive
rio et universali magisterio tanquam divinitus re-
credenda proponuntur."
/.-St. Thomas.-"Divinum testimonium est principali-
e seipso et consequenter de aliis. Nec oportet quod
untiabile de Deo sit credibile, sed illid solum

de quo veritas divina testificatur."

c/.-Ratio:-Objectum materiale habitus cognoscitivi est res quae cognoscitur. Atqui res quae cognoscitur per fidem est ipse Deus et omnia quae D revelante ad Deum referuntur et ideo objectum fid totale complectitur haec omnia. Objectum vero attributionis est Deus ipse qui ita se habet ad omnia ipso non existente coetera non existerent.

N.B.--Ad objectum materiale plura pertinen 1, res a Deo revelatae explicite, v.g. "Ego et Pater unum sumus; 2.-Res implicite revelatae (quod habetu dupliciter: impliciter formaliter et implicite virt aliter).-Res implicitae formaliter, v.g. definitio definito; propositio particularis contenta in unive sali, v.g. omnes homines peccaverunt, ergo Petrus pe cavit; implicitae virtualiter dicitur res quae, e si realiter distincta a re revelata, trahitur tame cum altera, sed interveniente ratiocinio humano, un habent naturam conclusionum theologicarum:-non pos sunt dici credibiles simpliciter ex auctoritate D revelantis.--Exinde tria: a/.-fides divina, quae in solo verbo Dei fundatur; b/.-fides catholica, vel vino-theologica fundatur tum in verbo Dei tum in creto ecclesiastico; c/.-fides ecclasiastica, quae in magisterio fundatur.

SECUNDA PARS PROBATUR: Objectum formale quod fidei est Deus quatenus prima veritas in essendo.

Ratio:--Objectum formale alicujus potentiae v habitus est id quod per se primo attingitur. Atqui in attingendis veritatibus fidei, cum istae verita tes recelent materiam rationi imperviam, id quod mo attingitur est Deus, ut verus, cujus veritas est fundamentum omnium aliarum veritatum. Si enim Deus non esset in se verus, non posset res extra Deum formari alicui veritati essentiali. Ergo....

Ad minorem:-In scientiis naturalibus, quando q

rudis admittit,v.g.dimensiones solis vel lunae,propositio quae has dimensiones includit nullam certitudinem produceret nisi appareret vestita et credibilis,facta ratione auctoritatis doctorumque stabilitur super realitatem factorum

TIA PARS PROBATUR:-Objectum formale quo Dei est ut summe sciens et verax.

a/.-St.Thomas:-Testimonium veritatis primae se habet in fide sicut principia indemonstrationibus scientificis.Atqui in demonstrationibus scientificiis principia sunt objectum formale quo illarum scientiarum. Ergo in fide testimonium Dei veracis et cognoscentis debet considerari tanquam objectum formale quo.

b/.-Ratio:-Objectum formale quo alicujus actus est medium quo attingitur tum objectum materiale tum objectum formale quod.Atqui in fide illud non est nisi scientia Dei in cognoscendo et veritas Dei in dicendo, id.,veritas.Etenim veritates fidei cum sint in se obscurae et non evidentes non possunt nobis innotescere nisi vestitae auctoritate Dei:auctoritas ipsa nihil esset nisi appareret Deum esse conscium rei quam affirmat et veracem in dicendo.Ergo scientia Dei perfecta ejusque veritas sunt medium sub quo attingitur objectum.

DE PROPRIETATIBUS OBJECTI FIDEI.-

1.-Infallibilitas.
2.-Obscuritas.
3.-Incompossibilitas.
4.-Evolubilitas.

Punctum I.
De infallibilitate fidei.

Ex parte Dei.-Propositio quae ex motivis credibilitatis ostenditur tanquam verbum Dei revelatum non potest errorem continere.

probatur

Probatur:-Si error esse potest in propositione hu[...]modi,hoc verificaretur vel quia Deus ipse erraret[...] quia Deus cognoscens veritatem nollet tamen illam [...]bis revelare ~~scienti~~ sicuti est.-Atqui utrumque r[...]gnat:nam Deus sapientissimus omnia cognoscit;ex a[...]ra parte blasphemia esse dicere Deum mentiri poss[...] Ergo...

Punctum II.

De obscuritate fidei.

Proprium est objectum fidei esse obscurum.

a/.-Objectum fidei est necessario in se inevidens[...]

Conc.Vaticanum :-"Mysterium ~~fide~~ in Deo absco[...]ta quae post revelationem remanent quadam quasi c[...]gine obvoluta,etc..."

Scriptura:-(Ep.ad Hebr.II)"Est fides argument[...] non apparentium."

Ratio:-Si objectum fidei esset res evidens,co[...]funderetur cum visione,cum scientia.Atqui semper [...]tinguitur.-Ergo..

A/.-Si quaeratur quodnam sit munus proprium isti[...] obscuritatis in fide,responderetur:obscuritas pe[...] simul ad objectum formale quod et ad objectum for[...] quo fidei,quatenus carentia evidentiae et conditi[...]ne qua non apparitionis auctoritatis divinae rapi[...]tis assensum mentis ad ea quae revelantur.E contr[...] mens nostra raperetur evidntia objecti.

B/.-De facto in revelatione potest adesse eviden[...] quaedam extrinseca quin cesset veritas revelata [...] veritas fidei;nam veritas revelata,etiamsi motivu[...]lam admittendi sit cogens,non propterea veritas f[...] clara.Jamvero sola evidentia intrinseca veritatis [...]ponitur conceptui fidei.

C/.-Cum admissio veritatis in se non evidentis de[...] esse prudens et rationabilis,quando veritas in se [...] evidens proponitur,debet saltem esse evidens extr[...]

quatenus illuminetur motivis credibilitatis quo-
natura est ut rationabilis homo non possit ea sper-
.

...t quis teneatur veritatem revelatam admittere, re-
...itur ut judicium certum praecesserit tum de credi-
...tate objectiva, tum de subjectiva credendi obliga-
...e; et hoc propter tria: I.-Actus humanus debet esse
...nus. Atqui actus humanus exigit ut ratio potuerit
...care de indole actus ponendi quod non fieret si a-
... teneretur assentire veritatibus nullo modo eviden-
...s. II.-Voluntas ab intellectu illuminatur circa
...ctum et circa revelationes objecti cum ipsa volun-
... Si vero teneretur homo actum adhaesionis facere
...non constat de obligatione, voluntas videretur de-
...ens in operatione sua. III.-Non eadem requiritur
...itudo apud omnes, sed sufficit certirudo respectiva.
... obligans omnes ad assentiendum veritatibus fidei
...t tamen homines pro conditione singulorum. Atqui
...r homines, plures sunt capaces certitudinis majoris
... autem non.

Punctum III.

De incompossibilitate fidei.

...tio:-Fides est incompossibilis cum scientia de
... et secundum idem.

...atur: a/.-Scriptura.-(I, Cor, 23)"Cum venerit quod
...ectum est evacuabitur quod ex parte est."

b/.-Ratio:-Quae cognoscuntur per scientiam
... visa. Atqui visio et fides sunt incompossibiles. Er-
... Ad. minorem.-Visum est evidens; evidens autem non
...objectum fidei, quum objectum fidei debeat necessa-
...esse obscurum seu inevidens.

...Cur dicitur credi aliquando illud quod est visum?
...icitur: 1 vel sensu non stricto; 11 vel quia res
...ub eodem lumine attingitur ab omnibus.

Punctum IV.

De evolubilitate fidei.

A.--Articuli fidei,scilicet veritates principalio[...] non augmentati sunt quoad substantiam.

Probatur :-Si articuli fidei mutati essent et augmentati,hoc esset vel ex parte objecti vel ex parte [...]ti materialis.Atqui objectum formale fidei est idem [...] principio et nunc.Pariter objectum materiale princ[...]le idem quoque est etsi expressiones novae verita[...] in illo contentarum proponantur decursu temporum.

Scriptura:-(AD Ephes.IV,5.)"Unus Domin[...]na fides,unum baptismum."

B.--Articuli fidei augmentati sunt materialiter,q[...] propositiones quibus continentur,non quidem per co[n]trarietatem sed per additionem formularum.

Probatur:-De facto apparet.Considerentur Vetus et [No]vum Testamentum.Ratio:-Decebat ut homo cujus mens [...] deductiva non possideret simul omnia quae in gene[...]ribus contenta sunt.Atqui inter veritates fidei,[...] sunt in aliis contentae quae debuerunt decursu te[mpo]rum extrahi et credi.

C.--Sub lege christiana non sunt exspectanda nova [dog]mata neque quoad substantiam neque quoad numerum revelationum,sed solummodo quoad declarationem et [de]ductionem.

Ia Pars probatur:-Sub lege christiana non sunt e[x]pectanda nova dogmata.

Conc.Vatic.-Anathematizat illos qui dicent [reli]gionem christianam non esse nisi regimen quoddam [...]sitionis,quo cessante,melior religio regnatura es[t].

Ratio:-Mutari posset dogma si melior status [ha]beri posset.Atqui nullus melior status mortalis ha[beri] potest,cum status praesens a Filio Dei ipso factu[s f]erit.

Pars probatur:-neque quoad revelationes objective
es.

Scriptura:-(Joann.XV,25)-"Omnia quaecumque audivi
atre nota feci vobis."-"Cum venerit ille Spiritus
itatid docebit vos omnem veritatem."

Traditio:-St.Vincentius Lerniensis:"Ecclesia se-
a et cauta depositorum apud se dogmatum custos ni-
unquam in his permutat,nihil minuit,nihil addit."
indeque in Ecclesia catholica novitas doctrinae
per habita fuit ut nota erroris.

Pars probatur:-Per declartiones novas potest au-
i depositum fidei.

Cum omnes et singulae veritates materialiter sump-
non potuissen explicite et sub omnibus aspectibus
di,exponi et praedicari simul et eodem tempore,pro-
it Deus ut explicatio haec fieret pro exigentia tem-
m et ideo plura dogmata tres periodos habuerunt:
periodum obscuritatis,b/.-controversiae,c/.-certi-
tis,JJ(v.g.Immaculata-Conceptio.)

Medium vero declartionis ilius fuit triplex:
Auctoritas Ecclesiae in conciliis et definitioni-
pontificiis, b/.-scripta Patrum et Doctorum,quae
novas revelationes stricto sermone fecerunt sed de-
rationes novas praeparaverunt. c/.-Controversiae et
lasticae,quibus scriptores catholici fidei deposi-
dependerunt contra auscres applicantes dogmatibus
essum rationabilem sed humilem rationis humanae,
licet non ad modum rationalistarum,qui pro sua su-
ia dogmata ad mensuram sui parvuli ingenii mensu-
voluerunt.

Pars probatur:-De conclusionibus theologicis.

Cum homo sit rationabilis et deductivae indolis,
sita praemissa debet ex hac praemissa conclusiones
perceptibiles percipere,quae conclusio theologica

non est dogma novum, sed explicatio, et ideo definit[illegible]
theologia:-est habitus mentis quo ex veritatibus i[illegible]
diate vel mediate revelatis, aut ex una saltem reve[illegible]
ta, variae conclusiones de Deo et de his quae ad De[illegible]
referuntur, per discursum deducuntur.

A.M.D.E.M.C.

Grand Séminaire de Québec,
8 Mai 1916.
Hermas Roy,-Diacre.

veritas *in dicendo*, quæ dicitur veracitas, ex qua Deus neminem fallere potest, sicut nec ipse infinite sapiens potest falli.

2° In recensendis *opinionibus* circa propositam materiam, vix memorare opus est doctrinam *Protestantium* qui vel fidem cum fiducia confundunt, vel fidei naturam judicio proprio adulterant, ei assignantes tanquam speciale objectum, firmissime credendum, promissionem quam fecisset Christus infallibiliter remittendi cuique credenti peccata : id damnatum est a *Conc. Trid.* (Sess. VI)[1] vereque ducit ad subjectivismum et cæcum quemdam pseudomysticismum ;—quem mysticismum perperam *increduli* catholicis exprobrant, dictitantes fidem nostram solis rudibus et mulierculis sensu pronis in res mysteriosas convenire.

Catholici theologi, dum circa quædam communiora inter se concordant, in pluribus tamen ab invicem dissentiunt.—*a)* Sic ad *subjectum* principale fidei quod pertinet, docuit *Durandus* illud esse actum meritorium ; *Gabriel* et *Ocham*, Christum Dominum ; *alii*, Deum ut assequibilem a nobis ; *plerique* tandem assignant Deum sub ratione Deitatis.—*b)* Quod spectat ad *objectum formale* fidei, fuit sententia *Guillelmi Parisiensis* fidem præstari Deo, quia est *supremus Dominus* cui obediendum est, unde motivum esset voluntatis, non intellectus credentis ; *Aureolus* posuit pro motivo formali summam Dei veritatem *in essendo ; Ripalda* censuit assensum præstitum divinis promissionibus oriri ex Dei fidelitate, constantia et omnipotentia ; *communius* vero theologi reponunt motivum formale fidei in prima veritate quam tamen diversi diverse intelligunt, nempe vel pro veritate Dei in cognoscendo, vel pro veritate in dicendo, vel pro utraque simul.—*c)* Etiam quoad objectum *materiale* fidei, discrepantia quædam theologorum est vel in re vel saltem in modo illius extensionem explicandi : nos vero certiora tradere studebimus.

3° Primum omnium referre juverit ex verbis *Conc. Vatic.*, quæ magnam lucem citatis opinionibus affundunt, sequentem *fidei descriptionem* (Const. *de Fide*, cap. III) : " Hanc fidem...Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernatu-

1—Vid. supra, Disp. V, Q. I, a. 3.

ralem qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, *ab eo revelata* vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed *propter auctoritatem* ipsius *Dei revelantis*, qui nec *falli* nec *fallere* potest."— Quibus præmissis, veritas de fidei subjecto et objecto tum formali tum materiali tribus in conclusionibus aperienda est.

Conclusio 1ª.—ETSI SUBJECTUM FIDEI SECUNDARIUM POSSIT ESSE MULTIPLEX, TAMEN SUBJECTUM PRINCIPALE NON EST NISI DEUS SUB RATIONE DEITATIS ET PRIMÆ VERITATIS IN ESSENDO.

1ª *Pars* non eget demonstratione: liquet enim sub fide cadere humanitatem Christi, Sacramenta Ecclesiæ, actus meritorios aliaque multa, de quibus versantur veritates fidei, quæ lumine revelationis innotuerunt nosque in Deum, finem nostrum, ordinant.

2ª *Pars* prob:

1º Ex *Scriptura*, quæ res fidei in Deum ultimatim reducit. Sic (1 Cor. III, 22-23): *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei;* et (Eph. I, 17) orat Ap. "*ut Deus, D. N. J. C. pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus.*—Hinc quoque *S. Aug.* (l. IV de Civ. Dei, c. 20) de fide ait quod ejus "primum et maximum officium est ut in verum credatur *Deum.*"

2º Ex *ratione* D. Thomæ.—Illud est subjectum principale alicujus habitus quod per se primo ab eo attingitur et cujus respectu cætera attinguntur; v. g. id quod principaliter cadit sub medicina est sanitas ad quam omnia, quæ considerat medicus, ordinantur. Atqui ea præter Deum, de quibus est fides, sub assensu fidei non cadunt, nisi in quantum ordinem aliquem, vel efficientiæ, vel exemplaritatis, vel finalitatis, habent ad Deum secundum quod fide quadamtenus manifestari potest, usque donec per istam inchoatam cognitionem in immediatam ejus visionem ducamur. Ergo Deus, sub ratione Deitatis intellectu perceptibili seu primæ veritatis in essendo, est subjectum principale fidei.

Conclusio 2ª.—OBJECTUM FORMALE SEU MOTIVUM FIDEI EST AUCTORITAS DEI REVELANTIS SECUNDUM RATIONEM PRIMÆ VERITATIS IN COGNOSCENDO ET DICENDO; CUJUS DIVINÆ AUCTORITATIS NATURA ET HABITUDO UBERIUS DECLARATUR.

1ª *Pars* nititur ipsa definitione *Conc. Vat.* superius relata; sic *prob*:

1º *Scripturæ* fidem fundant in testimonio Dei maxime sapientis et veracis. Nam legimus (Gal. I, 11–12): *Notum vobis facio, fratres, Evangelium...quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud...sed per revelationem J. C.*—(1 Cor. II, 6–7): *Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi...sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.*—Et (1 Joan. V, 10): *Qui non credit Filium mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.*

2º Illud est formale objectum seu *motivum* fidei per quod firmissime assentimus veritatibus a Deo revelatis: quandoquidem fides infallibili certitudine gaudet. Atqui hoc esse non potest nisi auctoritas Dei infinite sapientis et veracis, seu prima veritas in cognoscendo et dicendo. Ergo. *Min. ostend.* ex eo quod testimonium hominis habet ut mereatur fidem ex *scientia* et *veracitate* quasi ex duobus elementis integrantibus auctoritatem testis: pariter igitur fidei firmitas innititur infinitæ sapientiæ et veracitati Dei testificantis, qui falli fallereque nescius est.

2ª *Pars* subjicitur ad declarandum conceptum objecti formalis fidei; quæ, ni fallor, ex sequentibus quæsitis satis constare poterit.

1º *Num divina revelatio pertineat ad objectum formale fidei?*—*a)* Certum est imprimis (contra paucos) revelationem *subjectivam* seu subjectivum habitus fidei lumen nullatenus esse de ratione motivi formalis fidei: siquidem fides subjectiva necessario præexigit objectum formale a quo specificetur.—*b)* Revelatio autem *objectiva*, aliqualiter saltem, formale illud objectum ingreditur, propterea quod non solum *Scripturæ* et *Patres*, imo et *Conc. Vatic. (loc. cit.)*, ad credendum inducunt ex *testimonio Dei loquentis* seu *revelantis*, sed etiam quia prima veritas non potest actu movere intellectum nisi in lucem prodire intelligatur per actualem revelationem seu testificationem. Hinc *S. Thomas* (3 S. D. XXIII, Q. II, a. 2, sol. 2) dicit: "Ratio qua voluntas inclinatur ad assentiendum his quæ non videt est, quia *Deus ea dicit*;" et *(de Ver.* Q. XIV, a. 8 ad 16): "*Testimonium* veritatis primæ se habet in fide ut principium in scientiis demonstra-

tivis. "—*c)* Cum autem revelatio considerari possit vel *ex parte Dei* revelantis, vel *ex parte signi* sive intellectualis sive sensibilis quo exprimatur, tenemus post *Cajetanum* (in h. art.) contra Mazzella aliosque revelationem primo sensu, nempe quatenus est Dei actus connotans externam manifestationem, spectare ad objectum formale fidei, non autem quatenus est solum Dei loquentis signum seu instrumentum; siquidem hæ veritatis significationes creatæ sunt neque virtutem theologicam specificare possunt.

2° *Num motivum formale fidei distinguatur a motivis credibilitatis?*—*Motiva credibilitatis* vocantur signa quædam mirabilia, sive in ordine cognitionis, sive in ordine efficientiæ, nempe prophetiæ et miracula diversi generis [1], quæ divinitatem revelationis certificant rerumque revelatarum credibilitatem consequenter suadent. Porro hæc argumenta externa, quæ possunt a Deo per lumen quoddam interius suppleri et quandoque supplentur, verum communius se produnt tanquam "revelationis signa certissima et omnium intelligentiæ accommodata" *(Conc. Vat. l. cit.)*, essentialiter discrepant a *motivo formali* fidei (contra scholam *Hermesianam*), neque partialiter, ut minus recte loquitur *Hurter*, illud ingrediuntur: quippe illa disponunt ad fidem et eam confirmant, hoc autem fidem constituit; illa ostendunt quam rationabile sit credere, hoc efficit ut homo actu credat; illa de se fundant assensum certitudinis naturalis, hoc vero fundamentum præbet certitudinis divinæ.—Quapropter verba (Joan. X, 38) *Si mihi non vultis credere, operibus credite,* aliaque similia intelligi debent, non quasi fides immediate et essentialiter subnitatur operibus seu miraculis, sed mediate et dispositive tantum.

3° *Quomodo se habet ad objectum formale fidei auctoritas Ecclesiæ?*—Respondemus ex *Cajetano* (in h. art.) atque secundum *communem* theologorum sententiam auctoritatem Ecclesiæ, quæ nobis credenda seu revelata proponit et infallibili veritatis sensu explicat, *ministram* tantum esse et *regulam proximam* [2] eorum quæ sub fide cadunt, nequa-

1—Cf. C. G. I, 6.

2—*Regula remota* fidei sunt Scripturæ et Traditiones revelationis depositum continentes; regula autem *directiva* et *proxima* est magisterium Ecclesiæ: quod quidem propriis argumentis constituere, ad Auctores *Theol. dogm. fundamentalis* pertinet.

quam vero pertinere ad formale fidei objectum. Ratio est quia non per se, sed *per accidens* tantum seu propter nos fidei dirigendæ præponitur; in angelis enim et in primis patribus, quibus Deus per seipsum proposuit atque explicavit credibilia, opus non erat ecclesiasticâ regulâ. Fides itaque *simpliciter divina* citra Ecclesiæ auctoritatem haberi potest; quamvis eadem auctoritas, in quantum hæc vel illa credenda hoc illove sensu infallibiliter proponit, ad fidem *divino-catholicam* requiratur. Ad rem *S. Thomas* (in Evang. Joan. IV, 42): " Quando homo sive per rationem naturalem sive per testimonium Legis et Prophetarum, sive per prædicationem Apostolorum vel aliorum manuductus credit, tunc potest dicere quod propter nullum istorum credit... sed propter ipsam veritatem tantum "[1].

Conclusio 3ª.—OBJECTUM MATERIALE FIDEI SUNT OMNES VERITATES DIVINITUS REVELATÆ TUM EXPLICITE, TUM IMPLICITE-FORMALITER; QUID AUTEM DE IIS QUÆ VIRTUALITER TANTUM REVELATA SUNT, NECNON DE PRIVATIS REVELATIONIBUS SENTIENDUM SIT, BREVITER APERITUR.

Prænotanda.—a) Juvat imprimis referre verba *Conc. Vat.* (Const. *de Fide*, cap. III): " Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tanquam *divinitus revelata* credenda proponuntur; " ubi generatim indicatur quid ad fidem tum *divinam* tum *catholicam* pertineat.—*b)* Memoretur insuper ex Tract. *de Ecclesia* distinctio Jurieu, hæreticis accepta, in articulos *fundamentales* et *non fundamentales*, perinde quasi vera fides ad priores tantum se extendat; qua quidem distinctione unitas fidei convellitur et pessumdatur.—*c)* Tertio loco veritas aliqua revelata esse potest vel explicite, vel implicite: *explicite* quidem, si ipsis locutionis divinæ terminis signanter exprimitur; *implicite* vero, quando in veritate explicite tradita continetur: quæ continentia *formalis* est aut *virtualis* tantum, prout unum verum vel eumdem conceptum formalem cum alio habeat, vel ab eo, etsi necessario illi conjunctum, realiter aut formaliter distinguatur.

1ª *Pars* concl. *communis* est apud theologos.

1—De obj. formali fidei redibit sermo in *quæst. seq.* a. 2.

1° Attendantur verba *S. Thomæ (de Ver.* Q. XIV, a. 8 ad 2 et 16) : " Quamvis divino testimonio sit de omnibus credendum, tamen divinum testimonium, sicut et cognitio, primo et *principaliter* est de se ipso et *consequenter* de aliis...Nec tamen oportet quod quodlibet enuntiabile de Deo formatum sit credibile, sed *illud solum de quo veritas divina testificatur.*"

2° Objectum materiale fidei complectitur non solum quæ *explicite* continentur in verbo Dei scripto et tradito, juxta illud (Marc. XVI, 15-16) : *Prædicate Evangelium omni creaturæ...qui non crediderit condemnabitur*, sed etiam quæ continentur *implicite-formaliter :* ratio est quia hæc, utpote identica etiam secundum conceptum formalem cum veritate explicite revelata, communi loquendi et intelligendi usu censentur et ipsa simpliciter et sufficienter proposita.

3° Itaque theologi communiter dicunt [1] ad fidem pertinere : *a) definitionem*, revelato definito, uti in prop. " Christus est homo " continetur eum esse animal rationale ; *b) partes essentiales*, revelato toto, unde vi ejusdem revelationis de Christo-homine, habetur eum constare ex anima et corpore ; *c)* unum *correlativum* in alio revelato coïntellectum, v. g. existentiam Filii Dei in existentia Patris; *d) falsitatem unius contradictorii*, revelata veritate alterius, et vice versa; *e) conclusionem*, ambabus præmissis explicite revelatis (nisi mens ratione connexionis, et non divini testimonii tantum ei assentiatur) : unde, semel revelato quod " Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem " et quod " Eucharistia est Sacramentum," pro revelato etiam habetur Eucharistiam conferre gratiam non ponentibus obicem ; *f) propositionem particularem* quæ sub universali revelata *immediate* continetur velut ejus explicatio seu manifestatio : sic in prop. revelata " omnes B. Petri successores gaudent dono infallibilitatis " objective et formaliter habetur, absque medio ex parte rei, Leonem XIII esse infallibilem, neque disquisitio naturalis de legitimitate electionis Leonis XIII motivum est credendi ejus infallibilitatem, sed solummodo *conditio prævia* nobis *explicans* particulare hoc certo contineri in universali prop. revelata. In hac autem asseveranda conditione (quæ

1—Cf. Mazzella, Disp. II, a. 9.

vocatur *factum dogmaticum)* Ecclesia infallibilis est, cui idcirco debetur *fides ecclesiastica* seu mediate divina [1].

2ª *Pars* concl. versatur circa ea quæ *implicite-virtualiter* in veritatibus explicite revelatis continentur.—Qua in re *prænotandum* est, juxta graviores theologos, in essentia revelata censeri etiam revelatas proprietates quæ formaliter tantum, non realiter, ab illa distinguuntur, quæque, cognita essentia, sponte menti occurrunt; quoad alia vero realiter distincta, *negatur* ea esse de fide attingente illud quocum conjuncta sunt.

Sane id est objectum fidei divinæ quod a Deo *dicitur* et creditur *unice* propter auctoritatem Dei loquentis. Atqui veritates, de quibus est sermo, proprie a Deo non dicuntur, sed ex verbo Dei *deducuntur* mediante ratiocinio, ideoque credi non possunt unice ob auctoritatem Dei, sed simul propter rationalem illam deductionem. Ergo hæ non sunt veritates fidei, sed appellandæ sunt *conclusiones theologicæ* tum verbo Dei tum discursu rationis subnixæ.—Quod si Ecclesia aliquam ex illis veritatibus definiat non tanquam revelatam, sed tanquam veram nexuque indivulso cum revelatione conjunctam, veritas hujusmodi tenenda est *fide ecclesiastica* auctoritati infallibili Ecclesiæ debita.

3ª *Pars* respicit *revelationes privatas* seu factas privatis personis et in privatum bonum; de quibus *S. Thomas* (II-IIæ, Q. CLXXIV, a. 6 ad 3): "Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiæ spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem." Pauca circa illas revelationes observabimus.

1º Juxta *generaliorem* theologorum sententiam, revelatio privata de rebus *ad salutem* spectantibus [2], modo divina ejus origo *sufficienter* alicui innotescat, potest *in isto* esse objectum fidei theologicæ. Ratio est, quia ad fidem theologicam requiritur et sufficit *(S. Thom.* in h. art.) veritas revelata in ordine ad Deum et testimonium *veritatis primæ* debitis motivis credibilitatis innixum, quin necessario exigatur propositio rei credibilis per Ecclesiam. Favet *Conc. Trid.*

1—Vid. plura ap. probatos auctores.
2—Cf. Gonet, *De Virt. theol.* Disp. I, a. 3.

(Sess. VI, cap. 12 et can. 16) declarans neminem infallibili certitudine, qualem confert fides divina, certum esse posse de perseverantia finali, *nisi hoc ex speciali* (privata) *revelatione didicerit.*—Quia vero sæpius illi tantum, ad quos tales revelationes diriguntur, de iis certiores fieri possunt, idcirco *alii ordinarie non tenentur* fide theologica illas credere.—At, qui sufficientibus motivis inducti easdem revelationes amplectuntur, non fide *divino-catholica*, sed *simpliciter divina* eis assentiunt. Hinc resistens revelationi privatæ sibi factæ et certo constanti amittit fidem theologicam et fit hæreticus coram Deo, non tamen coram Ecclesia.

2° Quod spectat ad *judicium Ecclesiæ* privatas revelationes quandoque approbantis, hæc tenenda videntur:[1]—*a)* Primo, judicium illud non *eo pertinet* ut revelationes proponantur fidelibus fide divina credendæ, licet fides divina non prohibeatur, sed ut declaretur in iis nihil esse quod fidei catholicæ, bonis moribus et disciplinæ christianæ adversetur.—*b)* Secundo, per idem judicium sufficienter colligitur revelationes hujusmodi pie et prudenter ac sine superstitione *fide humana* credi et ad ædificationem a fidelibus legi posse.—*c)* Post talem Ecclesiæ approbationem, vel si, nullo adhuc lato judicio, graves adsint genuinitatis probationes, certe fas non est revelationes illas *contemnere;* attamen infidelitatis argui non possunt qui, revelationum vel apparitionum facta mirabilia ex diffidentia negligentes, quasi ea non evenissent, christiane vivunt.

Solv. obj. (cont. 2am concl.)—Obj. 1.—Id videtur esse objectum fidei quod nobis proponitur ad credendum. Atqui, præter ea quæ pertinent ad Divinitatem, plura alia nobis ad credendum proponuntur. Ergo.

Resp. *D. M:*...objectum materiale, *C;* objectum formale, *N.*—*D.m:*...plura alia proponuntur quæ tamen ordinantur ad Deum et quibus propter divinam veritatem assentimur, *C;* quæ non referuntur ad Deum Deique testimonium, *N.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Fides est de omnibus quæ in Scriptura continentur. Atqui Scriptura plura exhibet vera veritate creata. Ergo.

1—Mazzella, *l. c.* a. 11.

Resp. *D. M* :...secundum quod considerantur sub lumine revelationis et in ordine ad Deum, *C;* secundum quod considerantur sub lumine creato et in seipsis tantum, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Fides charitati condividitur. Atqui charitas pro objecto habet tum Deum tum proximum. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :... pro ratione formali diligendi, *N;* pro objecto quod diligitur, *S.d* : æqualiter, *N;* quatenus diligitur proximus propter Deum primario et propter se dilectum, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum fidei possit subesse falsum.

1º De natura objecti fidei gradiendum est ad ejus *proprietates,* inter quas, prima et principalior, offertur infallibilis veritas.—Quæstio de veritate fidei dupliciter considerari potest: vel *ex parte Dei revelantis* et motivi formalis fidei, vel *ex parte hominis credentis* et judicii quo dogmata revelata complexa [1] ratione attingit.

2º *a) Priscillianistæ,* teste Augustino, docere non erubuerunt Deum et mendacem esse et fuisse aliquando mentitum.—Erronea quoque refertur opinio *Rob. Holchot* qui imaginatus est Deum non posse quidem mentiri, at posse dicere falsum et veluti præter intentionem decipere, non advertens Deum, necessario omniscium, falsum enuntiare non posse quin simul voluntatem falsum enuntiandi et consequenter mentiendi habeat.—*Quidam* olim etiam e catholicis auctoribus, nescio qua ratione ducti, finxerunt Deum posse saltem *de potentia absoluta* falsum revelare: quam sententiam universi abhinc theologi reprobant tanquam *temerariam* vel *hæresi proximam.*

b) Sensus alterius quæstionis est, an assensus fidei theologicæ ferri possit in aliquid quod reputatur verum et a Deo

1—II-IIæ, Q. I, a. 2.

revelatum, quin verum ac revelatum sit: omnes theologi negant.

Conclusio 1ª.—DEUS NON POTEST ETIAM DE POTENTIA ABSOLUTA DICERE FALSUM AC REVELANDO MENTIRI.

Prob. 1º ex *Scriptura*, cujus veritatem adversarii admittunt; nam legitur (Heb. VI, 18): *Impossibile est mentiri Deum;* et (1 Joan. II, 21) commendatur doctrina Christi: *Quoniam omne mendacium ex veritate non est.*

2º Præ aliis *Patrum* sententiis, digna sunt quæ referantur verba *S. Anselmi* (l. I cur Deus homo, c. 12): " Non enim sequitur, justum est mentiri, si Deus vult mentiri, sed potius Deum illum non esse. Nam nequaquam potest velle mentiri voluntas, nisi in qua corrupta est veritas, imo quæ deserendo veritatem corrupta est."

Sane 3º impossibile est primam et essentialem veritatem deficere et mentiri. Atqui Deus est prima et essentialis veritas. Ergo.—*Conf:* quia mendacium est malum ex genere suo; siquidem, ut habet *S. Thomas* (II-IIæ, Q. CX, a. 3), " est actus cadens super indebitam materiam. Cum enim voces sint signa intellectuum, innaturale est et indebitum quod aliquis voce significet id quod non habet in mente." Atqui malum seu peccatum e diametro opponitur perfectæ Dei sanctitati. Ergo.

Conclusio 2ª.—FIDEI SUBESSE NEQUIT ALIQUOD FALSUM PRO VERO REPUTATUM; prout definivit *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 9) loquens de " certitudine fidei, cui *non potest* subesse falsum."

Prob. 1º ex *causa remotiori.*—Nulla virtus perficiens intellectum se habet ad falsum ut ei assentiatur, quamvis falsum ex vero cognosci queat. Atqui fides est virtus perficiens intellectum, ut infra patebit. Ergo. *Maj. ostend.* (ex resp. ad 1). Nam virtus est dispositio et perfectio potentiæ in ordine ad objectum, quod est potentiæ bonum. Atqui *verum* est bonum intellectus, non autem est bonum appetitûs. Ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falsum, quamvis virtutes perfectivæ appetitus sint cum falso compossibiles: potest enim aliquis secundum justitiam aut temperantiam agere, habens aliquam falsam opinionem de eo circa quod agit; minime autem potest, assentiendo falso, intellectum suum ornare.

2° Ex *causa proxima.*—Nihil subest alicui potentiæ, habitui vel actui nisi mediante formali ratione objecti, sicut color videri non potest nisi per lucem et conclusio sciri non potest nisi per demonstrationis medium. Atqui jam accepimus rationem formalem objecti fidei esse veritatem primam. Ergo nihil potest cadere sub fide, nisi radio primæ veritatis illustretur. Atqui repugnat falsum prima veritate irradiari seu ei subesse, sicut implicat non ens sub ente, et malum sub bonitate stare posse. Ergo fides nequit ferri in aliquid quod falso revelatum judicetur.

Inde *colligi* potest rudes qui, ignari parochi auctoritate decepti, aliquid non revelatum credunt, v. g. angelos esse corporeos, non peccare quidem, at nequaquam de ea re actum fidei theologicæ elicere.—Etsi vero possint hebetudinem pati circa aliqua quæ sunt præter necessitatem salutis; tamen circa necessaria ad salutem sufficienter instruuntur a Spiritu Sancto, ne inculpabiliter ista ignorent.[1]

Solv. obj.—Omittimus quæ contra 1am concl. ex Scripturis objiciuntur, puta quod aliqui viri inspirati falsum dixisse videantur: hæc enim explicari debent, vel quia viri illi quidpiam humani passi sint, vel potius secundum verborum amphibologiam, metaphoram ac figuram, sensum mysticum et propheticum[2], etc.—Sed de his vide Expositores Sacræ Scripturæ.

Obj. 1.—Fides connumeratur spei et charitati. Atqui spei et charitati potest subesse falsum. Ergo.

Resp. *D. M*:... et spes et charitas sunt virtutes intellectuales sicut fides, *N*; sunt virtutes appetitivæ, *C*.—*Transeat min.*—*Neg. conseq.*

Ut patet ex supra dictis, non est similis ratio de fide, et de spe et charitate quæ partem *appetitivam* perficiunt.—Minorem autem *transmisi, a)* quia reapse *spei* falsum non

1—II-IIæ, Q. VIII, a. 4 ad 1.

2—Locum illum (Gen. XXVII, 24), ubi Jacob se dixit esse Esaii, ita explicat *D. Thomas* (II-IIæ, Q. CX, a. 3 ad 3): "Jacob vere mystice dixit se esse Esaii primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur. Usus autem est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum mysterium, quia videl. minor populus, scil. gentilium, substituendus erat in locum primogeniti, scil. in locum Judæorum." (Cf. 3 S. D. XXXVIII, a. 3 ad 1)

subest: sperans enim se habiturum vitam æternam, quam non habebit, id sperat, non secundum propriam potestatem, sed secundum auxilium gratiæ; in qua si perseveraverit, infallibiliter salutem consequetur. *b)* Similiter ad *charitatem* pertinet diligere Deum, in quocumque homine fuerit, unde non refert ad ejus essentiam an revera bonus sit necne qui tanquam bonus diligitur.

Obj. 2.—Abraham credidit Christum nasciturum. Atqui post Abrahæ tempus poterat Deus non incarnari. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m:*...absolute, *C;* secundum quod eventus ille jam cadebat sub præscientia divina, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Fides antiquorum de Christo nascituro duravit in multis etiam post Christum natum usque ad prædicationem Evangelii. Atqui, Christo jam nato, falsum erat Christum nasciturum. Ergo.

Resp. *D. M:*... et ad hanc fidem pertinebat Christum *quandoque* nasci, *C;*... pertinebat quoque determinatio temporis circa quam decipiebantur, et non potius ad conjecturam humanam, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 4.—Objectum fidei est, sub Sacramento altaris verum corpus Christi contineri. Atqui contingere potest ex defectu consecrationis reapse corpus Christi non adesse. Ergo.

Resp. *D. M:*... scil. fides nostra refertur ex se ad has vel illas determinatas hostias, *N;* pro objecto habet verum Christi corpus in hostia rite consecrata, *S.d:* et necesse est fieri adorationem sub explicita conditione rectæ consecrationis, *N;* subaudita hac conditione, adorari potest absolute hostia quæ prudenter seu morali quadam certitudine judicatur consecrata [1], *C.—C.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum objectum fidei possit esse aliquid visum.

1° Altera fidei conditio exploranda est *obscuritas;* quæ cum habeat secum adjunctam quamdam evidentiam, ideo doctrinæ nexus, claritudo et complementum postulant ut sub

1—Cf. Cajet. in h. loc.

præsenti articulo quatuor in ordine ad propositam quæstionem consideremus, nempe indolem propriam objecti fidei, evidentiam divinæ attestationis, credibilitatem rei attestatæ, et proximam ad credendum mentis dispositionem.

2° Quod ad indolem objecti fidei attinet, *obscuritatem* ejus labefactarunt non solum antiqui hæretici, sed quotquot theorias falsæ philosophiæ ad Theologiam applicantes fidem et scientiam turpiter permiscuerunt: cujus generis nuper exstitere *Hermesiani* et *Güntheriani*.—Alia ex parte graviter decipiuntur sanamque doctrinam offendunt qui cum *Fideistis* et *Subjectivistis* objectiva fidei fundamenta negligunt certamque ejus *credibilitatem* in discrimen vocant. Quamobrem conabimur singula in singulis conclusionibus distinctim enucleare.

Conclusio 1ª.—OBJECTUM FIDEI EST NECESSARIO OBSCURUM SEU INEVIDENS; QUÆ OBSCURITAS, NON FORMALITER, SED ESSENTIALI CONCOMITANTIA AD FIDEI MOTIVUM PERTINET.

1ª *Pars* innititur verbis *Conc. Vatic.* (Const. *de Fide*, cap. IV), ubi fidei objectum exhibentur " mysteria in Deo abscondita," quæ etiam post revelationem " quadam quasi caligine obvoluta " manent.

Revera 1° legitur (Heb. XI, 1): *Est fides . argumentum non apparentium*; (1 Cor. XIII, 12): *Videmus nunc per speculum in ænigmate*; et (2 Pet. I, 19) laudantur fideles attendentes fidei *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat.*

2° Inter *Patres* citetur *S. Athanasius* (l. 2 c. Apollin. n. 11): " Neque enim, inquit, fides evidenter apparens fides dici potuerit; " *S. August.* (Tract. 40 in Joan. n. 9): " Quid est fides, nisi credere quod non vides? " Et *S. Hilarius* (de Trin. l. 8): " Melius est nihil scire et credere Deo."

3° Præsto est *rationis* confirmatio.—Illa tantum videri dicuntur quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem. Atqui fides importat assensum ad id quod creditur, non quia intellectus rapitur ab ipso objecto, sed quia voluntas movet intellectum ad assentiendum. Ergo obscuritas fidei inest. *Min. decl.* Etenim mens assentit alicui dupliciter: uno modo quia movetur ab ipso objecto sive immediate noto, ut in primis principiis quorum est *intellectus*, sive mediate cognito, ut in conclusionibus

quarum est *scientia;* alio modo quia movetur, non ab objecto proprio, sed a voluntate, per quamdam electionem libere declinans in unam partem magis quam in aliam, vel cum dubitatione et formidine alterius partis, unde *opinio*, vel cum certitudine absque tali formidine, unde *fides* divina, quæ consequenter obscura dici debet.

2ª *Pars* additur ex Billuart (Diss. I, a. 4) ad determinandum obscuritatis *modum*.—Nam motivum fidei est ratio assentiendi rebus quæ creduntur. Atqui ratio cur assentiamur rebus fidei est prima veritas revelans, non obscuritas; non enim credo Deum esse trinum, quia non video, sed, etsi non videam, quia Deus verax revelavit. Igitur obscuritas seu inevidentia pertinet ad fidei motivum, non formaliter, sed velut conditio propria et inseparabilis.

Conclusio 2ª. — POTEST HABERI QUÆDAM EVIDENTIA IN ATTESTANTE (ut aiunt) SEU EVIDENTIA FACTI AC DIVINITATIS REVELATIONIS, QUIN RATIO FIDEI PERIMATUR.

1ª *Pars.* — 1° Favet auctoritas *S. Thomæ* (II-IIæ, Q. CLXXI, a. 5): " De his, inquit, quæ expresse per spiritum prophetiæ propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, et *pro certo habet quod hæc sunt divinitus sibi revelata* " experimentali scil. et evidenti notitia, quatenus per species, ministerio Angelorum formatas [1], immediate audit seu percipit Deum ipsum revelantem.

2° Revelatio aut est immediata aut mediata. Atqui dum utraque certo cognoscibilis est, immediata saltem etiam evidenti cognitione potest attingi. Ergo. *Min. declar.* — *a)* Et vere vulgatior sententia est illos qui *immediatam* revelationem acceperunt, puta primum Angelum, prophetas, etc, habuisse evidentiam de ejus existentia seu de divina testificatione. Ratio est quia, quemadmodum immediate audienti locutio humana evidenter demonstrat hominem loquentem, ita locutio divina, sub cœlesti lumine immediate percepta, signate indicat Deum ut revelantem.—*b)* Quoad alios vero qui *mediatam* revelationem habent, etsi certe non iis omnibus divina testificatio evidens esse queat, sunt tamen qui putant eam fieri posse evidentem oculis doctorum qui proprias ac scientificas indagationes valent instituere; alii vero negant. Priorum opinio forte non displicebit, dummodo

1—*Ibid.* Q. CLXXII, a. 2.

demonstratio existentiæ revelationis fieri intelligatur *in genere* tantum et per *effectus* mirabiles doctrinæ revelatæ qui evidenti nexu causam supernaturalem et divinam postulant, non autem *in specie* neque per prophetias et miracula, seu per *signa* illa *externa* quibus sola *credibilitas* divinæ *loquelæ* patefieri potest.

2ª *Pars*, scil. quod evidentia *in attestante*, seu evidentia revelationis ac testificationis divinæ compossibilis sit cum fide, declaranda suscipitur.

1º *a)* Infra dicemus (Q. II, a. 2) fidem nostram, seu fidem eorum ad quos revelatio *mediate* pertingit, resolvi in auctoritatem Dei revelantis *per se creditam.*—Neque huic doctrinæ officit demonstratio quam mox admisimus peragi posse a doctis de revelatione secundum viam causalitatis: quippe hæc demonstratio, si qua evidentia ornetur, solummodo revelationem *in genere* illustrare potest, non autem revelationem singulorum dogmatum et sensus quo proferuntur; in quibus credendis testificatio divina, quamdam inevidentiam retinens, potest esse simul id *quo* credimus et *quod* creditur.

b) Quoad eos vero qui *immediate* fidem a Deo acceperunt, *primo* licet divina revelatio *præcisive* sumpta sit illis evidens nec credi possit; tamen probabile est eam *terminative* minori evidentia clarere, eo quod obscuritas objecti ad quam terminatur refundi in eam videatur; unde sub hac ratione forsan credi poterit simul cum re revelata.—*Secundo*, si cum *Cajetano* (in II-IIæ, Q. V, a. 1) concedamus fidem in quibusdam, v. g. in primo Angelo vel etiam in prophetis, etc, resolvi in Dei revelationem evidenter perceptam, non autem per se creditam, hæc Dei loquentis immediata evidentia censenda est cœlitus infusa tum ex parte luminis tum ex parte specierum, scil. *undequaque supernaturalis*, neque idcirco timenda sunt inconvenientia opinionis eorum qui aliquid naturale objecto formali fidei adsociant (infra, Q. II, a. 2).

2º Quocumque modo evidentia illa revelationis intelligatur, hujusmodi non est quæ *rationem fidei divinæ et liberæ perimat* (contra Mazzella [1] aliosque plures).

Etenim, ut docet *Cajetanus* (in h. art.), evidentia attestationis, formaliter loquendo, non infert veritatem rei attestatæ

1—Disp. III, art. 5.

in se, sed ut *attestatæ* tantum, seu infert ejus credibilitatem. Atqui credibilitas alicujus rei, quantumvis plena et evidens, non cogit physice intellectum, etsi moralem quamdam coactionem exercere valeat in voluntatem quæ imperat intellectui assensum. Ergo. *Min. decl.* Nam proprium objectum intellectus est veritas sive immediate sive mediate evidens, quæ sola potest physice rapere mentis adhæsionem; deficiente autem evidentia intrinseca et sub externa credibilitatis luce, etiam si lux ista talis supponatur quæ forte positivum dissensum prohibeat, potest intellectus supersedere assensu et anceps manere, donec voluntas imperando ad assentiendum moveat. Quod imperium si fiat ex eo solum, quia in tanta revelationis evidentia negare assensum foret stultum et ridiculum, habemus fidem *quodammodo coactam* [1] (scil. moraliter) dæmonum; sin autem fiat ut impleatur debitum officium credendi Deo certo loquenti legitimeque assensum exigenti, est fides laudabilis et divina.—Hanc esse doctrinam *S. Thomæ* maxime elucet ex quæst. cit. (art. 1-2).

Conclusio 3ª.—QUÆ FIDEI SUBSUNT, SUMPTA IN COMMUNI ET OBJECTIVE, SUNT EVIDENTER CREDIBILIA, ET HOC PROPTER MIRACULA ALIAQUE EXTERNA CREDIBILITATIS SIGNA.

Prænotanda.—*a)* Objecta fidei dupliciter considerari possunt: uno modo in *speciali* seu secundum prædicata propria, et sic, ut dictum est, non possunt esse simul visa et credita; alio modo *in generali* seu secundum communem rationem *credibilis*, et sic videri possunt ab eo qui credit (resp. ad 2).—*b)* Quamobrem in conclusione dicimus: *evidenter* credibilia; quæ quidem evidentia aut *physica* est in iis qui immediate signa seu motiva credibilitatis percipiunt, aut *moralis* tantum in iis ad quos notitia illorum signorum per testimonia fide digna devenit.—*c)* Adversi conclusioni propositæ recensentur tum *Rationalistæ* dictitantes fidem nostram nullo rationali fundamento fulciri, tum *Novatores* aliique recentiores hæretici ponentes hominem moveri ad revelata acceptanda sola privata inspiratione seu revelatione, tum *Neoterici* ex schola idealistica effutientes animum ad fidem induci ex quodam instinctu vel interna experientia absque sufficienti ratione objectiva.—*d)* Conclusio in duas partes dispesci poterit; uni-

1—II-IIæ, Q. V, a. 2 ad 1.

titur autem explicitæ definitioni *Conc. Vat.* (III *de Fide*, c. 3): " Si quis dixerit revelationem divinam *externis* signis *credibilem* fieri non posse, ideoque sola interna cujusque *experientia* aut *inspiratione privata* homines ad fidem moveri debere; A. S. [1] "

1ª *Pars* de evidenti credibilitate generatim ostenditur.— 1º Ex *Scriptura ;* nam legitur (Ps. XCII, 5): *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et (Marc. XVI, 20) dicitur de Apostolis : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.*

2º *Ratione,* cum a priori, tum a posteriori.—*a) A priori* quidem ; nam prudens homo non credit nisi quod est evidenter credibile. " Non crederet nisi *videret* ea esse credenda vel propter *evidentiam* signorum, vel propter aliquid hujusmodi " (resp. ad 2). Atqui, juxta Dei legem, credere tenemur, non quomodocumque, sed virtuose seu prudenter et rationabiliter. Ergo.—*b) A posteriori* quoque: illud enim dici debet evidenter credibile cujus suasibilitas nititur proxime testibus fide dignis, remotius vero portentis aliisque extrinsecis argumentis omnino convincentibus, prout patet ex discrimine inter evidentiam *credibilitatis* et *intrinsecæ veritatis.* Atqui hujusmodi est christiana revelatio: quod theologi in *Theol. fundamentali* luculenter demonstrant [2]. Ergo.—*c)* Utramque rationem complexa est *Syn. Vatic.* (Const. *de Fide*, cap. 3) dicens: " Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Sp. S. auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scil. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata."

2ª *Pars* concl., derivans credibilitatem rerum fidei ex factis et argumentis *externis*, dirigitur contra *subjectivismum Novatorum* et *Neotericorum.*

1º *Privatam revelationem* aut *inspirationem* non esse unicum atque *ordinarium* medium quo doctrina fidei credi-

1—Cf. quoque Encycl. *Qui pluribus* Pii IX.
2—Cf. C. G. I, 6.

bilis appareat, prob :—*a)* ex *Scripturis*, in quibus mediata revelatio, signis confirmata, per Prophetas et Apostolos seu per primos Ecclesiæ fundatores omnibus fidelibus commendatur. Hinc S. Paulus (Heb. II, 3-4): *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus.*—*b)* Ex *ratione* etiam : conveniens enim erat ut Deus hominem de veritatibus fidei instrueret eo modo qui magis ordini rerum humanæque naturæ indoli congrueret atque efficacius illusionem mentis præcaveret. Porro hujusmodi est instructio data unicuique per alios seu per idoneos divinæ veritatis testes, quorum auctoritas externis et irrefragabilibus argumentis obsignata sit. Ergo.

2° Nec *interna*, ut aiunt, *experientia* esse potest legitimum medium movendi homines ad fidem.—Præter ea enim quæ modo attulimus contra privatam inspirationem quæque præsenti opinioni æque adversantur, addamus oportet hanc hypothesim transformare *rationalem* motum cognitionis fidei in *cæcum* quemdam instinctum : quod est antibiblicum, antiphilosophicum, nostræque naturæ summe injuriosum [1].

Conclusio 4ª.—AD ASSENSUM FIDEI DIVINÆ PRÆREQUIRITUR TUM DE CREDIBILITATE REVELATIONIS TUM DE OBLIGATIONE CREDENDI JUDICIUM CERTUM CERTITUDINE VEL ABSOLUTA VEL SALTEM RELATIVA.

Quædam *præobserventur.*—*a)* Judicium, actum fidei antecedens, duplex est : *speculativum* quo constat aliquid esse *credibile*; *practicum* quo constat illud esse *credendum.*—Credibilitas autem respicere potest vel *factum* revelationis vel *objectum* revelatum; quæ tamen duo intime consociantur.—Certitudo judicii alia est *absoluta* quæ pendet a re objective certa, alia est *respectiva* cujus fundamentum alicui, non tamen omni intellectui, solidum videtur.

b) Præsupponimus ex Tract. *de Gratia* non solum judicium practicum de obligatione credendi, sed etiam judicium speculativum de credibilitate revelationis tum quoad factum tum quoad objectum non posse *formaliter* ad fidem divinam *disponere* sine auxilio gratiæ [2].—Quæstio præsens est an,

1—Cf. Mazzella, Disp. III, a. 6.
2—Vid. II-IIæ, Q. II, a. 9 ad 3.

supposito tali auxilio, præerequiratur ad eliciendum actum fidei unum vel aliud mentis judicium, et quanam certitudine judicium hujusmodi gaudere debeat : tres erunt concl. partes.

1ª *Pars* de *certo* judicio circa *credibilitatem* revelationis *a)* definita invenitur tum in prop. 21ª damnata ab *Innoc. XI*,[1] tum in verbis *Pii IX* (Encycl. *Qui pluribus*): "Humana ratio... divinæ revelationis factum inquirat oportet, *ut certo sibi constet Deum esse locutum*, ac eidem, quemadmodum sapientissime docet Ap., rationabile obsequium exhibeat." — *b)* Sane, nemo tenetur credere mysteria fidei nisi judicet ea esse *credibilia*, juxta illud (Joan. XV, 24): *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Atqui, nisi judicium illud certum foret, voluntas imperans assensum deficeret a prudentia, quæ eo firmiora credibilitatis motiva exigit quo res credenda majoris momenti sit. Ergo.

2ª *Pars* versatur circa *obligationem credendi*, quam quisque perspicit ultro consequi ex facta divina revelatione (vid. dicenda infra, Q. V, a. 1). Itaque practicum judicium de illa obligatione præcedere debet atque dictare actum quo voluntas fidei assensum intellectui imperat, juxta illud *Aug.* (de Prædest. Sanct. II, n. 5): "Nullus credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum." Id enim exigit mutua inter intellectum et voluntatem relatio.

3ª *Pars* agit de *gradu certitudinis* necessariæ in judicio prærequisito ad credendum.

Dicendum est *non eamdem* in omnibus requiri evidentiam et certitudinem credibilitatis, sed in aliis requiri certitudinem *absolutam*, aliis vero sufficere certitudinem *respectivam*. *a)* Etenim Deus unumquemque movet secundum suam capacitatem. Atqui *docti* quidem possunt per seipsos de motivis credibilitatis inquirere et certitudinem absolutam, adæquatam illis motivis, sibi comparare ; *pueri* vero et *rudes* incapaces sunt discussionis motivorum credibilitatis, at proni sunt ad assentiendum iis quæ tradunt parentes ac legitimi pastores, præsertim cum eos videant subjectos Episcopis, Episcopos autem Rom. Pontifici. Ergo.—*b) Conf.* ex *S. Thoma*

1—En ista prop : ***Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus.***

(II-II^{æ}, Q. IV, a. 8 ad 2) : " Cæteris paribus, inquit, visio est certior auditu; sed si ille a quo auditur multum excedit visum videntis, sic certior est auditus quam visus; sicut aliquis *parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico* quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur." Ergo, juxta S. Thomam, certitudo *respectiva* indoctis sufficit.—*c)* Eo magis quia credibilitati externæ efficax subsidium accedit ex superna virtute qua Deus errantium et imbecillium mentes excitat atque illustrat (Conc. Vat. *de Fide*, cap. 3). Unde, prout jam art. præc. insinuavi, saltem in *casu necessitatis* et quoad eos qui versantur in *bona fide*, æstimandum est Deum interiori instinctu et illuminatione suæ gratiæ [1] supplere defectum insufficientis credibilitatis, adeo ut etiam pueri et rustici fidem certissimam habeant.

Solv. obj. (cont. 1^{am} concl.) — OBJ. 1. — Dixit Dominus Thomæ (Joan. XX, 29) : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Ergo de eodem est visio et fides.

RESP. *D. antec:* Thomas sub eadem ratione Christum vidit et credidit, *N;* hominem vidit, et de miraculo resurrectionis factus certior, Deum credens [2] confessus est, cum dixit (v. 28) *Dominus meus et Deus meus, C.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Fides est quoddam spirituale lumen. Atqui sub quolibet lumine aliquid videtur. Ergo.

RESP. *D. M :...* est lumen illustrans naturam credendorum, *N;* illustrans eorum credibilitatem et fasciens discernere credenda a non credendis, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

Sicuti per habitus virtutum moralium homo adjuvatur ad practice judicandum de iis quæ sibi secundum habitus illos conveniunt, ita et multo magis per fidem, quæ est virtus intellectiva divini ordinis, non solum homo inclinatur ad assentiendum veritatibus revelatis, quod est principalis ejus actus, sed etiam movetur ad discernendum revelata ab extraneis et contrariis necnon (si fidei lumen sufficienter participet) ad videndum credibilitatem eorum quæ utcumque testimonio constant: [3] quæ duo sunt velut præviæ operationes

1—Cf. S. Thom. *Quodlib.* II, a. 6.
2—S. August. (Tract. 79 in Joan.).
3—Cf. Cajet. in h. loc.

principali actui deservientes et ad eumdem fidei habitum pertinentes.—Patet itaque fidem hoc sensu lucidam quadamtenus esse, quanquam tamen natura credendorum velamine contecta manet.

OBJ. 3. — Quilibet sensus *visus* nominatur (August.). Atqui fides est ex auditu (Rom. X, 17). Ergo.

RESP. *Trans. M.—D.m*:...quatenus auditus est verborum significantium veritates fidei, *C*; quasi mentem introducat in apertam illarum veritatum naturam, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum ea quæ sunt fidei possint esse scita.

Quæstionem hanc, ad tertiam spectantem fidei *conditionem*, non sine opinionum discrimine agitarunt olim scriptores catholici, qui etiam nunc in extremas controversiæ partes abeunt: pauca præmittamus ad disputationis statum delineandum.

1º Theologi omnes concedunt fidem simul esse non posse in eodem subjecto cum *visione beatifica* : quandoquidem nimis claret visionem hanc dissipare omnes fidei umbras [1].—Iterum a plerisque conceditur *theologiam nostram* compossibilem esse cum fide in eodem subjecto de eadem veritate supernaturali; etsi enim vera sit scientia, non tamen in statu perfecto scientiæ versatur [2]. — Quæstio est igitur de fide comparata ad evidentem cognitionem seu ad scientiam in *statu perfecto*.

2º Advertendum est cum *D. Thoma* (in h. art.) dubium præsens institui de eodem objecto *secundum idem* considerato, non autem secundum diversa; patet enim fieri posse ut de una eademque re aliquis quidpiam sciat et aliud credat.—Agitur etiam de *eodem subjecto*; siquidem potest

1—Cf. I-IIæ, Q. LXVII, a. 3.
2—Cf. Cajet. in h. art.

contingere ut id quod est scitum vel visum ab uno homine sit ab alio creditum, qui hoc demonstrative non novit.

3⁰ Plures theologi, duce *Suarezio*, existimant *habitum* fidei et *habitum* scientiæ in eodem circa idem consistere posse; imo arbitrantur compossibiles esse duos *distinctos actus* fidei et scientiæ.—Utrumque tamen, post Angelicum Doctorem, *thomisticæ* scholæ theologi vehementer negant.

Conclusio 1ª.—PRO CERTO TENENDUM EST NEQUE ACTUS NEQUE HABITUS FIDEI ET SCIENTIÆ DE EODEM SECUNDUM IDEM IN EODEM SUBJECTO SIMUL CONSISTERE POSSE.

1ª *Pars*, scil. quoad *actus*, probatur.

Et 1⁰ suum *Scripturæ* suffragium præbent.—Legitur enim (1 Cor. XIII, 10): *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Atqui cognitio fidei ex parte est seu imperfecta, cognitio autem scientiæ est perfecta. Ergo scientia fidem evacuat *(de Ver.* Q. XIV, a. 9).—Præterea fides est *argumentum non apparentium* (Heb. XI, 1). Atqui scientia, naturam rerum penetrans, apparere facit quod scitur. Ergo.

2⁰ Nec prætereunda est *Patrum* auctoritas. Ait enim *August.* (Tract. 40 in Joan.): "Quid est fides? credere quod non vides." Et (l. *de vid. Deo*, Ep. 147, n. 2): "Creduntur illa quæ *absunt* a sensibus nostris, si videtur idoneum testimonium quod eis perhibetur; videntur autem quæ *præsto sunt* vel animi vel corporis sensibus." Non aliter *S. Greg.* (Hom. 21 in Evang.): "Apparentia non habent fidem, sed agnitionem."

1ᵘᵐ *Arg.*—Quæcumque sunt scita, oportet esse visa. Atqui impossibile est quod idem ab eodem sit visum et creditum. Ergo. *Maj.* patet, quia omnis scientia habetur ex principiis per se notis et consequenter visis, sub quorum lumine conclusiones educuntur. *Min. prob.* Quod est visum est evidens, creditum autem est inevidens. Atqui evidentia et inevidentia, haud secus ac forma et privatio, nequeunt esse simul in eodem subjecto circa idem objectum. Ergo.—*Respondent adversarii* dicendo evidentiam et inevidentiam inveniri non posse in eodem circa idem secundum idem medium, bene tamen *secundum diversa media.* Sed contra: diversitas mediorum, quæ effectus sibi ex parte subjecti prorsus oppositos inducant, nequit efficere ut effectus illi simul in eodem subjecto consistant; v. g. lux et tenebræ, tametsi ex diver-

sis causis proveniant, nunquam esse possunt in eadem parte aëris. Jamvero medium fidei et medium scientiæ contradictorios effectus absque dubio pariunt: fides enim, dum generice convenit cum scientia ut cognitio quædam, ab ea tamen specifice differt in quantum communi loquentium sensu et essentiali sua ratione importat privationem claritatis et evidentiæ non solum *radicalem* (ut volunt adversarii), sed etiam *actualem*. "Fides, inquit *S. Thomas* (I-II^{æ}, Q. LXVII, a. 3), *in suî ratione* habet imperfectionem quæ est ex parte subjecti, *ut* scil. *credens non videat id quod credit;*" unde "quam cito aliquid incipit esse præsens vel apparens, non potest ut objectum subesse actui fidei" *(de Ver. l. cit.)* Secus, objectum fidei non esset *ænigmaticum*, ut docet Ap. (1 Cor. XIII, 12).

2um *Arg.*—Fides exigit ut homo assentiatur rei creditæ ex sola confidentia luminis alieni, et suum intellectum libere captivet in obsequium Dei docentis, quin a veritate ipsa revelata necessitetur. Atqui intellectus, scientiæ luce perfusus, sibi ipsi confidit, atque intrinseco veritatis lumine ad assentiendum cogitur. Ergo. *Maj.* innotescit tum ex nomine fidei quod est a *fidendo;* tum ex verbis Ap. (2 Cor. X, 5): *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi;* tum ex libertate actûs fidei quam infra vindicabimus.

2^{a} *Pars* concl., nempe quoad *habitus*, sponte ex prima profluit.

Etenim dispositiones aliquæ habituales in tantum dicuntur sibi invicem repugnare in quantum ad motus oppositos inclinant. Quapropter talis est, proportionaliter, oppositio habituum fidei et scientiæ, qualis est repugnantia actuum utriusque habitus. Atqui ex dictis novimus actus fidei et scientiæ ita sibi mutuo adversari ut coëxistere nequeant in eodem subjecto. Ergo.—*Notandum* tamen est non posse formas contrarias sese ab eodem subjecto expellere, nisi fortior plene participetur subjectique indifferentiam perfecte vincat; quare lumen gloriæ, quod Paulus in raptu beatifico recepit, fidei habitum non evacuavit, quia non fuit illi datum in statu perfecto seu permanenter, sed per modum *passionis transeuntis* (II-II^{æ}, Q. CLXXV, a. 3 ad 2). [1]

1—Cf. *de Ver.* Q. XIII, a. 2, c. et ad 5.

Conclusio 2ª.—HABITUS FIDEI VIDETUR POSSE CONSISTERE DE EODEM CUM ACTU VISIONIS ET SCIENTIÆ, DUMMODO TALIS ACTUS NULLUM IMPORTET VEL PRODUCAT HABITUM. —Id consequitur ex observatione proxime facta; quo in casu, lapsaque scientifici actus memoriâ, poterit fides circa idem objectum in actum exire. [1]

Prob. concl.—*a) Primo* ex auctoritate *S. Thomæ* (II-IIæ, *l. cit.* ad 3): " Quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed solum habuit *actum beatorum*, consequens est ut simul tunc in eo non fuerit actus fidei; fuit tamen simul tunc in eo *fidei habitus."—b) Secundo* ex *ratione.* Actus et habitus non opponuntur directe, sed velut actualis tendentia et habitualis dispositio contraria. Atqui actualis tendentia ad unum bene stat cum inclinatione habituali ad oppositum, v. g. actus justitiæ cum habitu injustitiæ. Ergo. [2]

Dixi *dummodo talis actus nullum importet vel producat habitum:* hujus restrictionis ratio patescit ex incompossibilitate superius demonstrata habituum fidei et scientiæ.

Solv. obj. (cont. 1am concl.). — OBJ. 1.— Scientia per rationes acquiritur. Atqui ad ea quæ sunt fidei rationes a sacris auctoribus inducuntur. Ergo.

RESP. *D. M :...*per rationes quascumque, *N;* per rationes stricte demonstrativas, *C.—C.d.m :...*inducuntur rationes quibus vel *fundamenta* fidei demonstrentur, vel fidei *principia* defendantur et illustrentur, vel ex illis principiis *conclusiones* logice deducantur, *C;* quibus demonstrentur in se mysteria circa quæ est habitus fidei, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Quæ demonstrative probantur sunt scita. Atqui quædam sunt demonstrative probata, quæ in fide continentur, v. g. Deum esse, Deum esse unum et alia hujusmodi: etenim legitur (Heb. XI, 6): *Credere oportet accedentem ad Deum quia est;* et (Symb.): *Credo in unum Deum,* etc. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m :...*quæ in fide continentur quasi de ipsis *simpliciter* sit fides apud omnes, *N;* quia *præexiguntur* ad fidem vel credi debent ab his qui eorum *demonstratione carent, C.—Neg. conseq.*

1—Cf. Cajet. in II-IIæ, *l. cit.*
2—Vid. plura ap. Gonet, Disp. I, a. 6.

1° Hoc criterio solvendum est argumentum quod quidam theologi (e quibus cl. Mazzella) nimis fidenter petunt ex *Conc. Vat.* verbis (cap. 3) : " Fide divina *ea omnia* credenda sunt quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur ; " inter quæ sane sunt plura naturaliter scibilia.—2° Quod pertinet ad *textum S. Pauli*, plura responderi possunt. *a)* Imprimis vox *credere*, juxta quosdam, potest intelligi non de assensu fidei stricte sumpto, sed de quocumque assensu certo. *b) Vega* idem explicat, non secundum fidem simpliciter, sed secundum *præparationem* ad credendum, si Deum esse non appareret. *c) Gotti* tenet ibi sermonem esse de Dei exstantia, quatenus est auctor et finis *supernaturalis. d)* Tandem *S. Thomas*, post relata verba Apostoli, ait (II-IIæ, Q. I, a. 7) : " In *esse* divino includuntur omnia quæ credimus in Deo æternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit."—3° Quod ad *Symbolum* attinet, denuo audiatur *S. Thomas (De Ver.* Q. XIV, a. 9 ad 8) : " Deum esse unum, prout est demonstratum, *non dicitur articulus fidei*, sed præsuppositum ad articulos : cognitio enim fidei præsupponit cognitionem naturalem, sicut et gratia naturam. Sed unitas divinæ essentiæ talis qualis ponitur a fidelibus, scil. cum omnipotentia et omnium providentia et aliis hujusmodi, quæ probari non possunt, articulum constituit."

Obj. 3.—Opinio plus distat a scientia quam fides. Atqui opinio et scientia possunt esse aliquo modo de eodem. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m :...* in diversis hominibus aut secundum diversa, *C ;* in eodem et secundum idem, *N.—Neg. conseq.*

Scientia in uno homine et respectu ejusdem veritatis contrariatur tum opinioni tum fidei, alia tamen et alia ratione : opinioni quidem, quia hæc non excludit omnem errandi formidinem ; fidei vero, utpote quæ inevidentiam dicit.

Obj. 4.—Ex doctrina thomistica sequeretur hominem, quo doctior evadit, eo magis de fide amittere. Atqui id absurdum est, quippe tunc melior foret rusticorum quam doctorum conditio. Ergo. (Ita Perrone)

Resp. *D. M :...* sequeretur hominem... eo pauciora credere, *C ;* eo minorem fidei perfectionem habere, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

1° Fidei perfectio et meritum non pendent *formaliter* a *numero objectorum* quæ creduntur, sed a *dispositione animi*

qua quis inhæret motivo credendi, scil. auctoritati Dei revelantis [1].—2° Licet fides divina certitudine præemineat scientiæ humanæ, hæc tamen evidentiæ primatum tenet.—3° Quas veritates a Deo revelatas doctus homo evidenter demonstrat, eas noscit etiam esse credibiles quia revelatæ, et quamvis non possit illas credere innitendo divinæ auctoritati *ut motivo assentiendi rei obscuræ*, potest tamen earum certitudinem supernaturalem participare adhærendo revelationi divinæ *ut confirmanti quod aliunde evidens est* [2] : nihil enim prohibet quominus scientia de se naturalis, secundum quod subjicitur actioni superioris agentis, scil. Dei revelantis, confirmationem quamdam supernaturalem obtineat [3].

ARTICULUS V.

Utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint.

1° Nomine *articulorum* fidei (prout colligitur ex II-IIæ, Q. I, a. 6 et 8) intelligendæ sunt " veritates principaliores seu *per se* ad fidem spectantes quæque seorsum specialem ad credendum difficultatem habent " ; quorum articulorum summa seu summarium *symbolum* vocatur. — Quæritur itaque an et quo sensu articuli illi, temporum decursu, *incrementa* susceperint.

2° Primum omnium juverit *distinctiones* quasdam præmittere.—*a)* In fide considerare possumus vel prima et fundamentalia principia quæ fidei *substantiam* quodammodo efformant, vel credibilia quæ in illis principiis implicite continentur et per quamdam *explicationem* ab eis derivantur [4].—*b)* Præ-

1—Cf. II-IIæ, Q. II, a. 10 ad 1 et 2.
2—Cf. Goudin, *Phil.* P. IV.
3—Cf. *de Verit.* Q. XXII, a. 13.—Alias objectiones solutas invenies in (I-IIæ, Q. LXVII, a. 3 et 5 ; *de Ver.* Q. XIV, a. 9).
4—Cf. I-IIæ, Q. CVII, a. 3.

terea implicita illa continentia quarumdam veritatum in aliis principalioribus dupliciter haberi potest, vel *objective tantum* et entitative, vel *etiam logice* et quoad nos: *objective tantum*, sive naturali rerum conjunctione, sive ex libera divinæ voluntatis determinatione, ita ut nequeat mens nostra ex uno explicite revelato aliud implicite contentum absque nova revelatione et quasi dicam evolutione eruere; *logice* vero, si possit absque nova revelatione unum in alio vel ex alio accipi.—*c)* Hoc postremum fieri potest dupliciter: aut per modum simplicis *declarationis* eorum quæ obscure et confusim revelata sunt; aut per modum rationalis *illationis* conclusionum ex præmissis.—*d)* Itaque explicatio principiorum substantialium fidei est triplex: *evolutiva*, *declarativa* et *illativa*.

3° Circa profectum veritatum fidei male senserunt *sectæ hæreticæ* exspectantes, post Christi œconomiam, novam ac perfectiorem divinæ veritatis revelationem [1], sed et male sentiunt recentiores *Rationalismi dogmatici* propugnatores [2], quorum alii (ut Günther) docent, proficiente philosophia, *novos sensus* in dogmatibus ope illius scientiæ reperiri posse, alii audacius reponunt supremum progressum in plena mysteriorum dilucidatione sub lumine philosophicarum disciplinarum: quod quidem non progressio, sed fidei destructio nominandum est.—Veram doctrinam proponamus.

Conclusio 1ª.— SPECTATA ARTICULORUM FIDEI SUBSTANTIA, NON EST FACTUM EORUM AUGMENTUM PER TEMPORUM SUCCESSIONEM.

Prob.—1° Fides substantialiter constat tum ex motivo suo formali, quod est auctoritas Dei revelantis, tum ex illis primis credibilibus quæ sunt cæterorum omnium fundamentum et summa. Atqui ex quo fides homini imposita est, non solum idem formale motivum, sed etiam eadem fundamentalia objecta habuit. Ergo. *Min. decl.* Duo per se ad fidem pertinent et quocumque tempore credi debent, scil. Deus existens sub ratione finis supernaturalis, et Dei providentia circa hominum salutem: siquidem nemo potest beatitudinem suam prosequi nisi et finem et media idonea ad finem præ-

1—Cf. I-IIæ, Q. CVI, a. 4 ad 2.
2—Cf. Perrone, Tract. *de Loc. theol.*, P. III, S. I, cap. 3, art. 2.

cognoscat. Porro in his primis credibilibus implicite clauduntur omnes articuli fidei: in *esse* enim divino ex natura rei continentur omnes veritates ad Deum ipsum spectantes; in fide autem *providentiæ* includuntur vel ex naturali connexione vel ex Dei determinatione omnia quæ temporaliter a Deo dispensantur ad perducendos homines in finem salutis, puta gratia, Incarnatio, Sacramenta. Igitur quæcumque posteriores crediderunt continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicite. Ergo.

2° *Scriptura* id aperte confirmat. Nam Ap. (Heb. XI, 6) statuens necessitatem fidei: *Sine fide, impossibile est placere Deo,* statim indicat objecta essentialiter et ab omnibus credenda: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* quæ duo, ut modo explicuimus, pertinent ad substantiam fidei et omnes articulos virtute præhabent.—Idem eruitur ex *unitate* specifica fidei[1] (Eph. IV, 5): *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

Conclusio 2ª.—QUANTUM AD EVOLUTIONEM PRINCIPIORUM ESSENTIALIUM FIDEI PER NOVAS AC SUCCESSIVAS REVELATIONES, CREVIT NUMERUS CREDENDORUM A TEMPORE PATRIARCHALI USQUE AD ÆTATEM CHRISTIANAM INCLUSIVE.—Prænotetur triplicem ætatem distingui, unam ante Legem seu *Patriarchalem,* aliam sub Lege seu *Mosaïcam,* tertiam post Legem cui œconomia gratiæ successit, seu *Christianam.*

Prob. — 1° Præsto sunt *Scripturæ* argumenta[2]. Nam *a)* ante Legem Abraham et alii Patres prophetice sunt instructi de his quæ pertinent ad fidem Deitatis; unde et Prophetæ nominantur (Ps. CIV, 15): *In prophetis meis nolite malignari.*—*b)* Sub Lege autem facta est de Deo rebusque divinis revelatio excellentior quam antea, quia jam oportebat circa illa institui non solum quasdam personas aut familias, sed totum populum. Unde Dominus dicit Moysi (Ex. VI, 2-3): *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente; et nomen meum Adonaï non indicavi eis.* Ait quoque David (Ps. CXVIII, 100): *Super senes intellexi.*—*c)* Postmodum vero, tempore gratiæ,

1—*De Ver.* Q. XIV, a. 12.
2—II-IIæ, Q. CLXXIV, a. 6.

non solum a Filio Dei clare revelatum est (Math. XXVIII, 19) *mysterium Trinitatis*, usque tunc in fide majorum occultatum, sed præsertim *mysterium Christi* seu Verbi Incarnati (comprehendens circumstantias Redemptionis, Ecclesiam, Sacramenta) distinctim apertum est, ut habet Ap. (Eph. III, 5): *Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in Spiritu.*

2º Huc pertinent dicta *S. Greg. M.* (in Ezech. l. 2, h. 4, n. 10), quibus consonant verba *Hug. de S. Victore* (l. I, de Sacr. a. 10, c. 6) : "Per incrementa temporum crevit scientia sanctorum patrum... et quanto viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tanto sacramenta salutis plenius perceperunt." Et *S. Thomas (Comm.* in Eph. *l. cit.)* ait : "Prophetis et patriarchis fuerunt revelata (mysteria Christi) in quadam generalitate ; sed Apostolis manifestata sunt quantum ad singulares et determinatas circumstantias."

3º Multipliciter arguere fas est (ex resp. ad obj. 1-3).

a) Primo, ex *distantia a Christo.* — Quanto aliquid a longinquioribus videtur, tanto minus distincte conspicitur. Atqui veritates salutis sub fide cadunt per respectum ad incarnatam sapientiam, scil. ad Christum, a quo plus minusve distabant patriarchæ et prophetæ secundum temporum remotionem. Ergo distinctius veritates illas cognoverunt qui viciniores Christo fuere.

b) Secundo, ex *conditione V. T.*—Juxta Ap. (Gal. III-IV), status V. T. comparari potest pueritiæ disciplinis informandæ. Atqui magister, scientiam et artem suam callens, non statim a principio eam totam discipulo tradit, sed paulatim condescendens ejus capacitati. Ergo hac ratione, temporum successu, Deus homines in fidei cognitione instituit.

c) Tertio, ex *lege processus generativi.*—Secundum ordinem causæ *agentis* naturaliter prius est quod est perfectius, quo mediante res adducuntur in suam perfectionem ; secundum vero ordinem causæ *materialis*, prius est quod est imperfectius; unde natura de imperfecto ad perfectum procedit. Atqui in manifestatione fidei Deus est sicut agens æternæ ac infinitæ scientiæ, homo autem sicut materia divino influxui subjecta. Ergo oportuit cognitionem fidei progressiva evolutione in hominibus procedere.

Conclusio 3ª.—LEX GRATIÆ ADEO PERFECTA EST UT NEC NOVÆ LEGIS ŒCONOMIAM, NEC ULLUM OBJECTIVUM FIDEI AUGMENTUM PER NOVAS REVELATIONES PUBLICAS EXSPECTARE LICEAT; SED TOTA FIDEI EXPLICATIO A CHRISTI TEMPORIBUS CONTINGIT PER MODUM DECLARATIONIS VEL ILLATIONIS.

1ª *Pars*, intime connexa cum *indefectibilitate* Ecclesiæ, prob.—1° Ex *Scriptura*, ubi œconomia a Christo instituta exhibetur tanquam *plenitudo temporis* (Gal. IV, 4; Eph. I, 10) et ejus revelatio dicitur facta *in novissimis diebus* (Act. II, 17; Heb. I, 2; 1 Pet. I, 20).—2° Ex *ratione* S. Thomæ (I-IIæ, Q. CVI, a. 4). Successit enim status N. L. statui V. L. tanquam perfectior imperfectiori. Atqui nullus status præsentis vitæ potest esse perfectior quam status novæ Legis: quippe nova lex per viam Christi (Heb. X, 19-20) immediate nos in finem ultimum introducit. Ergo.—3° Ex *sensu Ecclesiæ;* quem satis clare demonstrat, inter *schemata* Conc. Vatic., canon 8 sub capite *de Ecclesia Christi* paratus: " Si quis dixerit præsentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendæ salutis œconomiam, sed exspectandam esse aliam per novam et pleniorem divini S. effusionem, A. S."

2ª *Pars*, negans post Christi revelationem augmentum objectivum fidei, *fide* certificatur ex *Leone XIII* (Encycl. *Divinum*), ubi ait: " Nequaquam comminisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque *divini Spiritus manifestationem* et *ostensionem*; quæ enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est; eaque tamdiu manebit quoad Ecclesiæ contingat ut, militiæ emensa stadium, ad triumphantium in cœlesti societate lætitiam educatur."

Ostend. assertio.—1° Ex *Scriptura;* legitur enim (Joan. XV, 15): *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis;* et (*ibid.* XVI, 13): *Cum venerit ille Sp. veritatis, docebit vos omnem veritatem.*—2° Ex *traditione;* cujus mentem expressit *Vincentius Lirinensis* (*Commonit.* c. 32): " Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil nunquam in his permutat, nihil minuit, *nihil addit.* " Quapropter apud Patres *novitas doctrinæ* semper habita fuit quasi *nota erroris.* — 3° Ex *indole christianæ revelationis*, quæ velut plena solis mani-

festatio mundum illustravit. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I, 9) [1].

Notandum.—Sicuti in singulis statibus primi fidei institutores perfectius quam alii veritatem assecuti sunt, puta Abraham ante Legem, Moyses sub Lege [2], ita Apostoli, Ecclesiæ Christi fundatores, quidquid Scripturæ ac traditiones credendum continent explicite cognoverunt, quamvis ignoraverint plerasque veritates a contingentibus futuris dependentes, v. g. Leonem XIII fore verum Christi vicarium. "Docuit Sp. S. Apostolos omnem veritatem de his quæ pertinent ad necessitatem salutis, scil. de credendis et de agendis; non tamen docuit eos de omnibus futuris eventibus; hoc enim ad hos non pertinebat" (I-II^æ, Q. CVI, a. 4 ad 2).

3ª *Pars* sequitur de *declaratione* qua objectum fidei explicari atque illustrari potest.

1º Necessariam esse fidei declarationem secundum diversas hominum ac temporum exigentias, ex eo apparet quia plura in divina revelatione *implicite* tantum (quamvis formaliter) continentur, vel *obscure* et magis praxi quam documentis, vel *minus instanter* proposita sunt. Neque enim statim ab initio poterant tam multa credenda sub omnibus adspectibus et secundum omnes possibiles relationes exponi ac prædicari.

2º Idcirco, in *historia* plurium dogmatum, triplex *stadium* distinguere licet: 1um *obscuritatis*, sub cujus velamine veritas, actu revelata, implicita tantum fide a plerisque creditur;—2um *controversiæ*, qua durante veritas illa, diligentius examinata, in dubium tamen a quibusdam vocatur;—3um *certitudinis* qua, accedente vel consensu unanimi vel magisterii authentici judicio, res controversa definitive firmatur.

3º Fidei declaratio *auctoritativa* reperitur in Symbolis [3],

1—De hac materia cfr. Card. Franzelin, *de Trad.* th. 22.

2—II-IIæ, Q. CLXXIV, a. 6.

3—Symbola tria sunt, *Apostolicum*, *Nicæno-Constantinopolitanum*, et *Athanasianum;* quorum *primum* ordinatur ad instruendos fideles de necessariis ad salutem, *secundum* ad confutandas graviores hæreses, *tertium* ad præcipua dogmata magis explicanda. "In omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas; sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa quare necesse fuit edere plura Symbola, quæ in nullo differunt, nisi quod in uno plenius explicantur quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia" (II-II^æ, Q. I, a. 9 ad 2).

Conciliorum decretis, et Pontificiis definitionibus.—Præter illam habetur declaratio *scholastica*, quæ veritatem revelatam in lucem profert, scientifice proponit, contra adversarios defendit, ejusque sensum intimius scrutatur.—Non est autem ea confundenda cum declaratione *rationalistica* quam Neoterici plures præsumunt, quasi ratio, scientiis exculta, valeat mysteria penitus metiri aut sensus alios a sensu per Ecclesiam definito in eis detegere: hæc de medio tollunt ipsam mysterii rationem [1], et unitatem ac immutabilitatem fidei graviter offendunt. Sat esto referre verba *Conc. Vat.* (de Fid. cap. 4): "Neque fidei doctrina...velut philosophicum inventum proposita est, humanis ingeniis perficienda...Crescat... intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scil. dogmate, *eodem sensu*, eademque sententia."

4ª *Pars* adjicitur circa *illativum* fidei progressum ex opere rationis.

Opus illud maxime in eo est quod ratio, collustrata divino lumine, ex una præmissa immediate vel mediate revelata et ex altera naturali debitam ducat conclusionem: qua quidem conclusione proprie non augetur depositum fidei, sed divinæ doctrinæ *semen* mirifice *fecundatur*. Inde habes præclarum illum scientiæ theologicæ profectum, cujus laus rationem æque ac fidem summopere commendat.

Solv. obj. (cont. 2ᵃᵐ concl.)—Obj. 1. — Fides est *substantia rerum sperandarum* (Heb. XI, 1). Atqui omni tempore sunt eadem speranda. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :...et eodem explicito modo, *N*; diverso modo secundum quod diverse innotescunt, *C.—Neg. conseq.*

Obj. 2. — Scientiæ humanæ augmentum suscipiunt ob defectum cognitionis in primis cultoribus seu inventoribus. Atqui doctrina fidei est ab omnisciente Deo. Ergo.

Resp. *D. M* :... augmentum suscipiunt *ex parte docentis* ob defectum cognitionis inventorum, *C*; etiam *ex parte hominum addiscentium*, *N.—C.d.m* : et ideo nullum augmentum admittit ex parte Dei docentis, *C*; neque progressio quædam servanda fuit ex parte hominum instruendorum seu in docendi modo, *N.—Neg. conseq.*

1—Cf. C. G. I, 8.

OBJ. 3.—Operatio gratiæ non minus ordinate procedit quam operatio naturæ. Atqui natura semper initium sumit a perfectis (Boëtius). Ergo.

RESP. *C. M.—D.m :...* secundum ordinem causæ agentis seu efficientis, *C;* secundum ordinem causæ materialis seu subjecti perficiendi, *N.—Neg. conseq.*

Objectio probat Deum, fidei nostræ auctorem, præhabuisse ab initio perfectam omnium mysteriorum notitiam; etiam, in singulis statibus humani generis, quosdam fidei doctores seu institutores, peritiores aliis, existere debuisse qui tantum de fide noscerent quantum oportebat pro quocumque tempore populo tradi; non autem in populo et in ipsis doctoribus humanis, sæculorum decursu, nullum divinæ scientiæ profectum contigisse.

OBJ. 4.—Sicut per Apostolos fides ad nos devenit, ita in V. T. per priores Patres ad posteriores. Atqui Apostoli plenissime fuerunt instructi de mysteriis, juxta illud (Rom. VIII, 23) : *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Ergo.

RESP. *D. M :...* secundum eamdem propinquitatem ad Christum, veritatis fontem, *N;* secundum diversam habitudinem, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

QUÆSTIO SECUNDA

DE ACTU FIDEI

Post exactam objecti fidei considerationem, de ejus *actu* disserendum occurrit; qui cum sit internus et externus, *internus* actus præsertim ad dogmaticam provinciam pertinet et a nobis explorandus est.

Materiam hujus quæstionis in sex articulos distribuemus. Siquidem actus fidei investigari potest vel *in se* (art. 1) suorumque elementorum *analysi* (art. 2), vel in suis *proprietatibus* quæ duæ accipiuntur, *necessitas* et *meritum*. De necessitate autem quæri potest vel *in genere* (art. 3), vel *in specie* seu quoad determinatum objectum (art. 4); meritum quoque aut *in se* (art. 5), aut secundum *habitudinem ad rationes fidei* sub considerationem cadit (art. 6).

ARTICULUS I.

Quid est credere seu actus fidei.

Plurimum interest rectam actus fidei notionem stabilire, tum ad clarificandos conceptus, tum ad dissipandos errores eorum qui vel cum *Protestantibus* in locum *intellectualitatis* fidei fiduciam quamdam voluntatis substituunt, vel cum *Rationalistis* eorumve asseclis (Hermes, Günther) fidem in habitum scientificum transformant.

déf DEFINITIO ACTUS FIDEI.—Actus fidei divinæ definiri potest *operatio qua intellectus cogitando assentit, sub voluntatis imperio, veritatibus revelatis ob auctoritatem Dei revelantis.*—Singula definitionis elementa perpendamus.

1° Non virtus, sed actus fidei seu *credere* modo describitur; unde dicitur *operatio.*—Cum autem in nobis alia sit mentis

operatio apprehensiva, alia judicativa, actus fidei, quo verum præ falso amplectimur, quique idcirco *ab intellectu elicitur*, pertinet ad *judicium* [1].

2° Actus ille est *assensus cum cogitatione*: *assensus* quidem seu firma adhæsio veritati propositæ, et in hoc convenit cum actu intelligentis et scientis, differt vero tum a *dubio* in neutram partem abeunte, tum a *suspicione* ex levi signo in unam partem declinante, tum ab *opinione* uni parti adhærente, tamen cum formidine alterius; *cum cogitatione* autem seu cum inquietudine mentis deliberantis circa rem adhuc obscuram, et in hoc convenit cum dubio, suspicione et opinione, differt vero ab actu *intellectus* et *scientiæ* quibus mens plenam veritatis visionem assequitur et in hac contemplatione quietatur.

3° Intellectus fide non assentit nisi *sub imperio voluntatis*.—*a)* Etenim *corde creditur ad justitiam* (Rom. X, 10), i. e. voluntate movente et applicante ad credendum, ut exponit S. Thomas *(ibid.* lect. 2). Unde (Act. XVI, 13) laudatur fides Lydiæ purpurariæ, *cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*.—*b) Ratio* est illa quam passim affert *S. Thomas*, præsertim *(de Ver. l. cit)*: "Quandoque, ait, intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis neque statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinate et præcise *propter aliquid quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non* autem *ad movendum intellectum*, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire, et ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens vel utile; et *sic* etiam *movemur ad credendum* dictis, in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, præmium æternæ vitæ." Igitur cum intellectus, ad præstandum firmum assensum, non possit provocari ab objecto mysterii tenebris involuto, indiget moveri a principio supplente objecti evidentiam, scil. a voluntate quæ, præeunte judicio credibilitatis et obli-

1—*De Verit.* Q. XIV, a. 1.

gationis credendi (vid. supra, Q. I, a. 3), ex pia affectione intellectum determinat [1].

4° Reliqua definitionis verba exprimunt objectum tum *materiale* tum *formale* fidei divinæ *(ibid.* a. 1), et eam a fide humana specifice distinguunt.

Solv. obj.—OBJ. 1.—Cogitatio importat quamdam inquisitionem. Atqui fides est "non inquisitivus assensus" (Damasc.). Ergo.

RESP. *C. M.*—*D.m* :...scil. non habet inquisitionem rationis demonstrantis id quod creditur, *C;* non habet inquisitionem eorum per quæ homo inducitur ad credendum, nec ullam de creditis mentis agitationem, *N.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Fides ponitur in intellectu. Atqui cogitatio est actus cogitativæ potentiæ, quæ pertinet ad partem sensitivam. Ergo.

RESP. *C. M.*—*D.m :* cogitatio circa intentiones particulares et sensibiles, *C;* circa intentiones universales et immateriales, *N.*—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Credere, quia *verum* attingit, est actus intellectus. Atqui assentire, sicut consentire, videtur esse actus voluntatis. Ergo.

RESP. *D. M* :...est actus *elicitus* ab intellectu, *C;* quin etiam sit *imperatus* a voluntate, *N.*—*D.m* :...actus imperatus a voluntate, *C;* elicitus a voluntate, eo modo quo elicitur consensus, *N.*—*Neg. conseq.*

Intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem, et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus *imperato* a voluntate.—Præterea *(de Ver.* Q. XIV, a. 1 ad 3) "*assentire* proprie pertinet ad intellectum, quia importat absolutam adhærentiam ei cui assentitur; sed *consentire* est proprie voluntatis, quia consentire est simul cum alio sentire, et sic dicitur in ordine ad aliquid præcedens" sive intellectum proponentem sive rem propositam cui voluntas conjungitur.

1—Cf. Gonet, Disp. VI, a. 1-2.

ARTICULUS II.

Utrum convenienter distinguatur actus fidei per hoc quod est credere Deo, Deum, et in Deum : de analysi actus fidei.

Cupiens S. Thomas magis magisque fidei conceptum elucidare, hunc addidit articulum, ubi actus fidei distinctioni cuidam analyticæ subjicitur. — Quapropter locus hic erit breviter agitandi problema in quo solvendo moderni theologi tam operose laborant atque insudant, scil. *de eo in quod ultimo fidei actus resolvitur.*—Duas conclusiones expediet instituere.

Conclusio 1ª.—CONVENIENTER DISTINGUITUR ACTUS FIDEI PER HOC QUOD EST CREDERE DEUM, DEO, ET IN DEUM.

Prob. argumento ipsisque pene verbis *D. Thomæ.*

Actus cujuslibet potentiæ vel habitus accipitur secundum ordinem illius potentiæ vel habitus ad suum objectum. Atqui objectum fidei potest tripliciter considerari, ita ut unus idemque fidei actus pro diversa relatione ad istud objectum triplicem denominationem enunciatam recte suscipiat : ergo. *Declar. min.* Cum enim credere ad intellectum pertineat, prout est a voluntate motus ad assentiendum, potest objectum fidei accipi vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte voluntatis intellectum moventis. Si quidem ex parte intellectus, sic in objecto fidei duo possunt considerari : quorum unum est objectum *materiale, a)* et ita ponitur actus fidei *credere Deum,* quia nihil proponitur nobis ad credendum nisi secundum quod ad Deum pertinet. Aliud est *formalis* ratio objecti seu medium propter quod tali credibili assentitur, *b)* et sic habetur *credere Deo,* quia formale objectum fidei est veritas prima cui inhæret homo ut propter eam creditis assentiat. Si vero consideretur tertio modo objectum fidei, secundum quod intellectus est motus a voluntate, *c)* sic ponitur actus fidei *credere in Deum,* quatenus veritas prima, in cujus obsequium voluntas fidem imperat, ad voluntatem refertur sub ratione finis.

Conclusio 2ª.— ERGO ACTUS FIDEI NOSTRÆ CONGRUA ANALYSI ULTIMO RESOLVITUR : DISPOSITIVE QUIDEM IN PRÆ-

VIUM JUDICIUM DE MOTIVIS CREDIBILITATIS ET CREDENDI ; CREDITIVE SEU FORMALITER IN AUCTORITATEM DEI REVELANTIS PER SE CREDITAM ; DETERMINATIVE VERO IN EAMDEM AUCTORITATEM LI[illegible]E A VOLUNTATE ACCEPTATAM.

Antequam thesis proposita ostendatur, quædam *præmittere* opus est.—*Card. de Lugo* [1], ut explicaret habitudinem mentis ad objectum formale fidei, docuit *a)* fidem formaliter sumptam resolvi ultimo in sequentem processum : Si Deus revelat, verum revelat ; porro Deus revelavit, v. g. mysterium Trinitatis : ergo hoc mysterium est verum. Quo in processu, qui verus est discursus, ambæ præmissæ (suppositis omnibus præambulis ad fidem) perceptæ dicuntur ex ipsa naturali evidentique terminorum apprehensione ; assensus autem præmissarum, scil. in Dei *auctoritatem* et factum *revelationis*, gignit assensum conclusionis seu fidei. Hinc *b)* tenet De Lugo tum motiva credibilitatis ex quibus revelatio immediate innotescit, tum bonitatem illationis in præfato discursu, *partialiter* ingredi objectum formale fidei. *c)* Negat tamen fidei actum esse naturalem, quia assensus credentis procedens ex habitu fidei infuso et gratia voluntatis *supernaturaliter elicitur*. Alii quidam theologi plus minusve idem sentiunt.—Plerique tamen post *Cajetanum* et cum *Suarezio*, *Joan. a S. Thoma*, *Mazzella*, etc., doctrinam illam abnuunt, et docent fidem *nostram* ultimo resolvi in auctoritatem Dei revelantis *per se creditam*, non vero naturali evidentia perceptam, eodemque assensu per auctoritatem illam absque discursu credi mysterium revelatum.—Sententia *S. Thomæ*, huic postremæ propinquior, ea nobis videtur quam in conclusione significavimus quæque nunc declaranda est.

1° Itaque *concl. ostenditur* ex *doctrina S. Doctoris* huc usque exposita.—*a)* Docet enim S. Thomas nos *induci* ad credendum ex motivis credibilitatis et ex absoluta fidei necessitate ad salutem. Ergo actus fidei *dispositive* seu *præsuppositive* (non vero aliter) resolvitur in duplex judicium de credibilitate rerum fidei et de obligatione credendi ; quæ duo judicia sunt velut *conditio* actus fidei, non ejus causa.

b) Docet insuper Angelicus ex parte intellectus considerandum esse objectum formale fidei, scil. veritatem primam,

1—Ap. Mazzella, Disp. II, a. 5.

cui homo *inhæret* ut per eam credibilibus assentiat; et *(de Ver.* Q. XIV, a. 8 ad 4) veritas prima comparatur ad credibilia, sicut lux ad visibilia. Porro lux, qua colorata cernuntur, per seipsam cernitur, in quantum visio et rem visibilem et rationem videndi uno actu attingit. Igitur uno etiam actu seu assensu homo, ex mente S. Thomæ, credit et rem credibilem et rationem credendi seu auctoritatem Dei revelantis, in quam fides *formaliter* seu *creditive* resolvitur.—*Cajetanus* (in II-IIæ, Q. I, a. 1) profunde, ut solet, rem dilucidat; ait enim: " Sicut in transcendentibus unitas est una et bonitas est bona, sic divina revelatio est *quo* et *quod* creditur, ita quod sicut unitas est una seipsa, et ibi est status, ita divina revelatio, qua cætera creduntur, est *credita seipsa* et non per aliam revelationem. Unus enim et idem actus fidei credit Deum et Deo...In hac adhæsione ad primam veritatem ut revelatricem stat *resolutio ultima* creditorum et non ad fidem acquisitam qua credo Joan. Evang., aut Paulo Ap., aut communitati Ecclesiæ."

c) Verum S. Thomas ubique etiam docet intellectum nostrum in fide non posse ab objecto ipso credendo determinari, quippe quod obscurum et inevidens est, sed indigere mediatione et impulsu voluntatis quæ, perspecta credibilitate dogmatum et obligatione obsequendi verbo divino, se movendo nostram quoque mentem moveat eamque ad assentiendum determinet. Ergo eatenus intellectus inhæret objecto formali fidei, scil. auctoritati Dei revelantis, eaque quasi informatus credit objecta sibi proposita, quatenus voluntas, supplens defectum nexus evidentis inter medium credendi et mysteria credita, impellit et determinat intellectum ad credendum ob auctoritatem illam divinam quam ipsa, prius natura saltem, libere acceptaverit. Igitur *determinative* actus fidei ultimo resolvendus est in auctoritatem Dei revelantis *ultro* et *prius a voluntate receptam.*

2° Directe contra sententiam *De Lugo* arguemus.—*a)* Et imprimis deceptus est ille theologus circa objectum formale fidei quod nihil, vel partialiter, ingredi potest, præter veritatem primam seu auctoritatem Dei revelantis, juxta verba *S. Thomæ* (II-IIæ, Q. I, a. 1): " Sic in fide si consideremus formalem rationem objecti, *nihil est aliud quam veritas prima*"; et (3 S. D. XXIV, Q. I, a. 1, sol. 1): " Ideo veri-

tas prima est formale in objecto fidei et *a qua est tota ratio objecti.*—*b)* Præterea, assensus fidei natura et specie sua esse debet omnino *supernaturalis* et quolibet assensu naturali *firmior* [1]. Porro duo isti characteres ægre salvari possunt in hypothesi quam impugnamus; siquidem, in ea, elementa *naturalia* (judicium de credibilitate, bonitas illationis) admiscentur objecto formali fidei, ex quo fides speciem indolemque suam præcipuam desumit.—*c) Vitium capitale* opinionis De Lugo in eo residet, quia falso æquiparavit assensum fidei assensui scientifico ex præmissis evidentibus derivato. In hoc vero fides a scientia penitus discriminatur, quod scientia quidem mediatum conclusionis assensum obtinet *intrinseca evidentiâ* ex immediatis principiis, fides autem objecto suo non conjungitur nisi *mediatione extrinseca* voluntatis [2].

ARTICULUS III.

Utrum credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium ad salutem.

(Q. II, art. 3-4)

1⁰ Objectum fidei aliud est natura sua impervium humanæ rationi ideoque *supernaturale*, aliud rationi humanæ pervium subindeque *naturale.*—Cum vero jam alibi (Theolog. fundament.) exploratam supponamus necessitatem quamdam moralem revelationis plurium veritatum naturalium quas plerique per seipsos demonstrare nesciunt, sat erit sub præs. art. fidei necessitatem per respectum ad objectum *supernaturale* inspicere.

2⁰ At duplex solet distingui necessitas, *medii* et *præcepti* [3]. Illud dicitur necessarium *necessitate medii* ad salu-

1—Cf. *De Ver.* Q. XIV, a. 8.
2—De hoc argumento cfr. Mazzella, Disp. II;—Zigliara, *Propædeutica*, l. I, c. 16;—necnon opusc. cui titulus: *Analysis actus fidei juxta S. Thomam et recentiores theologos*, Diss. P. Joan. Semeria.
3—Billuart, Tract. *de Fide*, Diss. III, a. 1.

tem sine quo, etiam inculpabiliter omisso, salus sive ex natura rei, sive ex institutione divina, haberi non potest, v. g. gratia pro omnibus, baptismus in re pro parvulis. Dicitur autem necessarium *necessitate præcepti* quod, quamvis non sit medium absolute necessarium, quia tamen est præceptum, necessario observandum est, ita ut ejus omissio voluntaria sit peccatum salutis impeditivum.—Quæstio hic est *de necessitate medii;* et quia aliquid hoc modo necessarium esse potest vel *in voto* vel *in re,* quod mox dicemus intelligendum erit de necessitate fidei *in re:* si quidem fides requiritur tanquam justificationis radix et salutis initium quo nihil prius dari potest in cujus virtute, quasi in voto, fides præexistat.

3° *a)* Necessitatem fidei negarunt veteres hæretici, maxime *Pelagiani,* contra quos in Tract. *de Gratia* disputavimus, sed et eam negant *Rationalistæ* qui, revelationem ordinemque supernaturalem e medio tollentes, consequenter fidem omnem supernaturalem respuunt.—*b)* Theologi quidam catholici, etsi necessitatem præcepti admitterent, tamen necessitatem medii plus minusve inficiati sunt, quasi fides *objective* naturalis (ita Soto) [1], imo etiam *subjective* naturalis (ita Vega), absolute sufficeret.

Conclusio.—FIDES, UNDEQUAQUE SUPERNATURALIS, NECESSARIA EST NECESSITATE MEDII AD SALUTEM.—Sermo est de fide secundum *habitum* in infantibus, sed insuper secundum *actum* in adultis [2]. Utramque autem absolutam fidei necessitatem tuentur *Conc. Trid.* et *Vat.* Sic Trid. (Sess. VI, cap. 6) fidem actualem recenset inter dispositiones requisitas ad justificationem, et ibidem (cap. 7) expresse dicit: "Sine qua (fide) *nulli unquam* contigit justificatio." Concilium autem loqui de fide *stricte* sumpta seu essentialiter supernaturali, ex contextu liquet.

1° Concl. ostenditur ex *Scriptura.*—Nam legitur (Heb. XI, 6): *Sine fide impossibile est placere Deo.* Porro hæc fides certe supernaturalis est, cum sit de *non apparentibus* (v. 1); actualis quoque censeri debet propter sequentia verba: *Credere enim oportet,* etc.—(Marc. XVI, 16) dicitur: *Qui non crediderit, condemnabitur;* ibi autem est sermo de fide in Evangelium.

1—Soto errorem suum retractavit.
2—Cf. supra, Disp. V, Q. I.

2° Suppetunt graves rationes.—*a)* Nam " altior vita altiori cognitione indiget. Sed vita gratiæ est altior quam vita naturæ. Ergo indiget aliqua cognitione supernaturali, quæ est cognitio fidei " *(de Ver.* Q. XIV, a. 10).—*b)* Præterea, in præsenti rerum ordine, perfectio rationalis creaturæ non solum consistit in eo quod sibi competit secundum suam naturam, sed etiam in eo quod, ex supernaturali divinæ bonitatis participatione, visionem Dei intuitivam consequatur. Atqui, ex Dei lege in natura humana fundata, homo ad hanc visionem pertingere non potest nisi mediante fidei cognitione et actu circa res in Deo contemplandas. Ergo. *Min. prob.* Homo perfectam Dei cognitionem seu visionem assequi non potest nisi revelatione et instructione Dei qui est suî perfectus cognitor, juxta illud (Joan. VI, 45) : *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Atqui non statim, sed successive et per gradus, secundum modum suæ naturæ homo solet fieri disciplinæ particeps, quatenus, ex imperfecto ad perfectum procedens, prius fide et ex confidentia accipit a magistro quæ postmodum sub plena luce capturus est. Ergo ad hoc quod homo perfectam beatitudinis visionem attingat, præexigitur fides qua Deo credat, ut discipulus præceptori. [1]

Solv. obj.—Obj. 1.—Ad perfectionem cujuslibet rei ea sufficere videntur quæ ei conveniunt secundum suam naturam. Atqui ea quæ fidei sunt excedunt naturalem rationem. Ergo.

Resp. *D. M:* Ad perfectionem rei quæ non sit capax elevationis ad superiorem ordinem... *C;* ad perfectionem creaturæ rationalis, cujus est attingere universale verum et bonum, quæque idcirco ad ordinem Supremæ Veritatis et Bonitatis divinitus evehi potest atque evecta est, *N.*—*C.m.* —*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Periculosum est assentiri iis de quorum veritate judicari non potest. Atqui hujusmodi sunt mysteria fidei; nil autem periculosum ad salutem exigitur. Ergo.

Resp. *D. M :*...de quorum veritate nec credibilitate judicari potest, *C;* quorum veritas intrinseca non apparet, apparet autem credibilitas, *N.*—*C.d.m.* quoad 1^am^ partem.—*Neg. conseq.*

1—Cf. *de Ver., l. cit.*

OBJ. 3.—Salus hominis in Deo consistit. Atqui *invisibilia Dei...intellecta conspiciuntur* (Rom. I, 20), non creduntur. Ergo.

RESP. *D. M*:... in Deo naturaliter tantum cognito ex testimonio creaturarum, *N*; in Deo supernaturaliter cognito ex testimonio ipsius Dei revelantis, *C.—C.d.m*: invisibilia Dei in creaturis relucentia, *C*; invisibilia Dei altiori modo et secundum se cognoscibilia, *N.—Neg. conseq.*

Sub lege naturæ, et ante Legem scriptam aut citra eam, quidam fuerunt salvati, non quasi naturaliter tantum Deum cognoverint, sed quia Deus, saltem ante mortem, fidem eis seu supernaturalem quorumdam cognitionem infudit.

ARTICULUS IV.

Utrum homo teneatur ad credendum aliquid explicite.

(Art. 5-8)

Determinato quod fides supernaturalis et divina necessario et absolute requiratur ad salutem, ulterius inquirendum est ad quid *in specie* se extendat hæc fidei necessitas. — Cum autem præcipue agatur de *necessitate medii, a)* primum sermocinabimur de duobus *primis credibilibus* quæ velut substantiam fidei efformant; *b)* deinde de mysteriis *Incarnationis* et *Trinitatis* de quibus tam frequenter revelatio christiana testatur. Nec, in proposito, licet horum mysteriorum unum sejungere ab alio: quandoquidem (ait *S. Thom.* a. 8) Incarnatio credi non potest sine fide Trinitatis, "quia mysterio Incarnationis Christi hoc continetur quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Sp. Sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Sp. Sancto conceptus fuerit."

Conclusio 1ª.—OMNI TEMPORE ET QUOAD OMNES FUIT NECESSARIUM NECESSITATE MEDII CREDERE EXPLICITE HÆC DUO, SCIL. DEUM ESSE AUCTOREM GRATIÆ ET REMUNERATOREM GLORIÆ.—Huc spectat prop. 23ª damnata ab *Innoc. XI*: "Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem *explicita* Remuneratoris."

1º Concl. evincitur ex (Heb. XI, 6): *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hic enim, ut contextus palam facit, sermo est de Deo quatenus est auctor supernaturalium et in eodem supernaturali ordine Remunerator. Atqui duo illa proferuntur ab Ap. tanquam fundamentalia fidei objecta explicite credenda. Ergo.—Sane 2º homo, sicut et tenetur necessitate medii habere fidem, ita tenetur eadem necessitatis lege explicite credere quæ sunt substratum essentiale et *per se primo constitutivum* objecti fidei. Atqui, ut constat ex quæst. præc. (a. 5), objectum fidei primo constituitur per duo illa credibilia in quibus cætera implicite continentur, scil. per Deum sub ratione principii et finis supernaturalis et per Dei providentiam media ac præmia dispensantem. Ergo.

Conclusio 2ª.—ANTE ADVENTUM CHRISTI REQUIREBATUR EX NECESSITATE MEDII AD SALUTEM FIDES IMPLICITA TRINITATIS ET INCARNATIONIS, NON AUTEM FIDES EXPLICITA.

Præmitto ante statum peccati hominem habuisse explicitam fidem de Incarnatione secundæ personæ SS. Trinitatis, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem quatenus erat Redemptio a peccato: ratio est quia ex una parte primus homo non fuit præscius peccati futuri; ex altera autem parte, prænovisse videtur futuram Incarnationem, quod Auctor colligit ex verbis inspiratis Adami (Gen. II, 24): *Relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ.* Mysticus enim horum verborum sensus, quem verisimilius Adam haud ignoravit, ab Ap. exponitur (Eph. V, 32) de unione Christi cum Ecclesia.

1ª *Pars* concl. modo ostend.—1º *Ex Scriptura*; legitur enim (Gal. II, 16): *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem J. C.* Cui auctoritati consentit *S. August.* (l. de Corr. et Gr. c. 7).—2º *Ratione* S. Thomæ. Homo tenetur ex necessitate medii credere quod Deus viam salutis cuique provideat. Atqui in hac generali fide Providentiæ supernaturalis implicite continetur mysterium Incarnationis, quod est via hominibus perveniendi ad beatitudinem, juxta illud (Act. IV, 12); *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ergo mysterium incarnationis Christi (proinde Trinitatis) *aliqualiter*, seu saltem implicite, omni tempore apud omnes debuit esse

creditum.—3° Accedunt verba, notatu digna, *Aquinatis* (art. 7 ad 3) : " Si qui salvati fuerunt quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati *absque fide Mediatoris;* quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem *implicitam* in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset. "—4° Tandem exstat sententia *Catech. Trid.* (P. I, a. II, 3) : " Hujus autem Redemptionis fides et confessio hominibus ad salutem consequendam necessaria est *semperque fuit.* "

Conf. non solum ex eo quod multis gentilibus facta fuit revelatio explicita de Christo, sed etiam quia in ethnicorum traditionibus vigebat obscura quædam persuasio de futuro Redemptore, prout testantur Sybillina vaticinia [1], historiæ narrationes [2] et poëtæ; audiamus Virgilium (IV Bucol.) :

" Ultima Cumæi venit jam carminis ætas ;
" Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
" Jam redit et Virgo ; redeunt Saturnia regna ;
" Jam nova progenies cœlo demittitur alto."

2ª *Pars* concl. negat necessitatem absolutam fidei explicitæ de Incarnatione et Trinitate ante Christi adventum.—Et 1° in hunc sensum adduci possunt verba (Gal. III, 23): *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat;* quasi nempe ante Christum fides, saltem inferioris populi, de præcipuis mysteriis in signis et figuris lateret, juxta illud (1 Cor. X, 11) : *Hæc omnia in figura contingebant illis.*—2° Quod est necessarium necessitate medii ad salutem curat Deus per causas ministeriales procurari omnibus. Atqui ante Christum non curavit Deus fidem explicitam in Redemptorem et Trinitatem extra limites judaïcæ gentis diffundi ; imo, teste *D. Thoma* (in h. art.), plebs Judæorum nonnisi velatam cognitionem habebant sub figura sacrificiorum de futuris Christi mysteriis. Ergo.—3° Præter verba Auctoris superius

1—Cf. Gonet, *De Virt. theol.* Disp. I, Digressio, VII ;–S. Aug. *de Civ. Dei*, l. XVIII, c. 23.
2—S. Thom. hic, a. 7 ad 3.

relata ex resp. ad 3, succurrunt alia (3 S. D. XXV, Q. II, a. 2, sol. 2 ad 3): " Salvabantur fide *implicita* Redemptoris, implicando fidem suam in cognitione Dei vel eorum qui a Deo docti erant."

Tamen videtur quod, apud Judæos, *majores* populi tenerentur saltem *necessitate præcepti* habere fidem aliquo modo explicitam Incarnationis, quandoquidem offerebant sacrifia Christi præfigurativa, et prophetias de Christo venturo legebant atque interdum explicabant.

Conclusio 3ª.—POST SUFFICIENTEM EVANGELII PROMULGATIONEM PROBABILIUS EST REQUIRI SECUNDUM INSTITUTIONEM DIVINAM EX NECESSITATE MEDII FIDEM QUADAMTENUS EXPLICITAM INCARNATIONIS ET TRINITATIS.—Dico: *probabilius* est; quia non desunt graves theologi, haud spernendis rationibus freti, qui aliter opinantur. Attamen in nostram sententiam quadrant verba *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 6): " Disponuntur ad justitiam dum...libere moventur in Deum, *credentes... in primis* a Deo justificari impium per gratiam ejus, per *redemptionem* quæ est *in Christo Jesu* [1]."

1º Satis valida *Scripturæ* argumenta afferri possunt, v. g. (Joan. III, 18): *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*; et (*ibid.* XIV, 1): *Creditis in Deum, et in me credite;* ubi Christus parem exigit fidem de seipso ac de Deo.

2º Suffragatur *S. August.* (l. de Corr. et Gr. c. 7): " Ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere non se audiisse Evangelium Christi." Clarius adhuc *S. Thomas* (hic, a. 8 ad 1): " Non est sufficiens omni tempore et quoad omnes " explicite credere Deum auctorem gratiæ et Remuneratorem; et (3 S. D. XXV, Q. II, a. 2, sol. 2): " Post adventum Christi, quia jam mysterium redemptionis impletum est corporaliter et visibiliter, et prædicatum, omnes tenentur ad explicite credendum, et *si aliquis instructorem*

1—Memoranda est prop. 64ª inter damnatas ab *Innoc. XI*: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C*; et 65ª: *Sufficit illa mysteria semel credidisse.*

non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpa remaneret;" addamus quoque: vel nisi quis adeo hebes et stupidus sit ut infantibus et amentibus sit annumerandus.

3⁰ *Ratio* est quam innuit S. Doctor. Perfectio legis gratiæ exigit ut cognitio atque fides Christi Redemptoris perfectior nunc quam antea habeatur. Atqui, in statu legis naturæ et legis Mosaïcæ, necessaria fuit necessitate medii fides implicita Christi Redemptoris: ergo nunc requiritur fides explicita.— Neque *dicatur arctatam* propterea esse *viam ad salutem;* nam, ut colligitur ex *S. Thoma* (I-IIæ, Q. CVII, a. 4), si Lex nova gravior quam vetus videatur quoad *interiores* actus virtutis, abundantior gratia ad eliciendos illos actus nobis subministratur. [1]

Consignanda supersunt quæ habet *Angelicus* (hic a. 7) de *necessitate præcepti:* " Post tempus gratiæ revelatæ tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi (necnon Trinitatis), præcipue quantum ad ea quæ communiter in Ecclesia solemnizantur et publice proponuntur... Alias autem subtiles considerationes circa incarnationis articulos tenentur aliqui magis vel minus explicite credere secundum quod convenit statui et officio uniuscujusque."—Hinc, ut theologi communiter docent, omnes tenentur 1⁰ credere *Symbolum Apostolorum* quoad substantiam articulorum; 2⁰ noscere *præcepta Decalogi* et *Ecclesiæ*, necnon quæ spectant ad *Sacramenta* recipienda, et substantiam *Orationis Dominicæ*; verum 3⁰ majores in Ecclesia, scil. doctores, prælati, pastores animarum, multo plura et perfectius scire tenentur pro exigentia officiorum quibus funguntur.

ARTICULUS V.

Utrum credere sit meritorium.

1⁰ Non solum necessitas, sed et *merendi vis* veluti dos actus fidei consideranda est.—Meriti autem conditiones jam alibi (Disp. V, Q. II) recensuimus, inter quas eminent ex

1—Vid. plura apud Gonet, Billuart, etc.

parte operis *libertas* et ex parte merentis *gratia* ; præterea meritum aliud est *de condigno*, aliud *de congruo*.

2° Catholici omnes admittunt actum fidei elicitum in Dei obsequium esse meritorium; non tamen eodem modo hanc merendi potestatem exponunt, prout alii aliter libertatem actus fidei, ex qua meritum dependet, intelligunt et explicant.—Cum autem dupliciter fieri possit actum fidei esse liberum, nempe quoad *usum* seu *exercitium* et quoad *assensum seu specificationem*, sequentem propositionem statuemus.

Conclusio. —ACTUS FIDEI POTEST ESSE MERITORIUS TUM QUOAD USUM, TUM QUOAD ASSENSUM.—Meritum fidei haud obscure definitum continetur his verbis *Conc. Vatic.* (Const. *de Fide*, cap. 3) : " Actus ejus (fidei) est opus *ad salutem* pertinens, quo homo *liberam* præstat ipsi Deo obedientiam."

1° Concl. generatim evincitur ex *Scriptura* ; legitur enim (Rom. IV, 3) : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* (Matth. XV, 28): *O mulier, magna est fides tua ; fiat tibi sicut vis.* Et (Heb. XI, 33) de sanctis dicitur : *Per fidem...adepti sunt repromissiones.*

2° *Ratione* sic proceditur.—Actus nostri sunt meritorii in quantum procedunt ex libero arbitrio moto a Deo per gratiam. Ergo omnis actus humanus libero arbitrio subjectus, si sit vi gratiæ relatus in Deum, potest esse meritorius. Atqui actus fidei seu *credere* est actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis a Deo motæ per gratiam, ita ut libero arbitrio subjaceat in ordine ad Deum tum quoad usum tum quoad assensum. Ergo. *Min. expl.—a)* Jam in comperto est (ex art. 1) ad actum fidei requiri voluntatis imperium quod non potest esse virtuti illi divinæ proportionatum nisi sit supernaturale, ideoque *ex gratia* procedat. Igitur actus fidei meritorius est simpliciter seu *de condigno*, prout quis ex motivo et impulsu charitatis ad credendum movetur; meritorius est autem *congruitate* quadam, prout, deficiente charitate, peccator tamen credit ex influxu divini auxilii quo se ad gratiam habitualem charitatemque recuperandam præparat.—*b)* Fides autem subjacet libero arbitrio tum quoad usum seu exercitium actus, tum quoad assensum seu objecti specificationem; et ideo quantum ad utrumque potest esse

meritoria. Quoad *usum* quidem : quemadmodum enim consideratio actualis in sciente vel opinante, secundum quod libera est et ad Deum refertur, meritoria est, ita et usus fidei in credente seu actualis applicatio ad credendum. Quoad *assensum* vero : in hoc enim fides discriminatur a scientia, quod assensus scientiæ in rem scitam non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis ; assensus vero fidei in rem creditam liber est non solum libertate *contradictionis*, sed etiam (saltem in iis quibus revelatio mediate tantum innotescit) libertate *contrarietatis*, quatenus, stante obscuritate intrinseca rei credibilis, nihil est ex parte objecti quod adhæsionem mentis rapiat, sed potest intellectus assentire aut dissentire pro libero voluntatis arbitrio. Unde " meritum fidei consistit in hoc quod homo ex obedientia Dei assentit illis quæ non videt secundum illud (Rom. I, 5) : *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus*" (III, Q. VII, a. 3 ad 2).

Solv. obj.—OBJ. 1.—Principium merendi est charitas Atqui fides est præambula ad charitatem, Ergo.

RESP. *D. M* :...merendi *de condigno*, *C*; quacumque *congruitate*, *N*.—*D.m* : fides formata, *N*; fides informis, *S.d* : et tamen fides hæc citra charitatem potest habere actum supernaturalem ex auxilio divino, *C*; non potest... *N*.—*Neg. conseq.*

Fides informis seu nondum per charitatem perfecta potest esse meritoria secundum *congruitatem* quamdam ex auxilio divino, non tamen *de condigno*. — Postquam vero forma charitatis advenerit, jam agere valet virtute illius formæ et habere actum simpliciter seu *de condigno* meritorium, sicut ipse actus naturæ, v. g. actus comedendi, in finem charitatis erectus simpliciter meritorius est.

OBJ. 2.—Credere medium est inter opinari et scire. Atqui neque scientia, neque opinio meritoria est. Ergo.

RESP. *Trans. M*.—*D.m* :... quantum ad assensum, quia scil. assensus scientiæ cogitur ab objecto, assensus vero opinionis debile quiddam et infirmum est, *C*; quantum ad usum, puta si quis considerationem actualem scientiæ et opinionis in honorem Dei vel utilitatem proximi ordinet, *N*.—*Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Nemo rationabiliter credit nisi habeat causam sufficienter inducentem ad credendum. Atqui credere propter sufficiens inductivum ad credendum non videtur meritorium. Ergo.

RESP. *C. M.—D.m:* non est meritorium assentire veritati *in se* sufficienter perspectæ, *C;* nec meritorium est credere veritatem obscuram ex motivo evidenter sufficiente, *N.—Neg. conseq.*

Ille qui credit habet sufficiens inductivum *ad credendum;* inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis; unde non leviter, sed virtuose credit.—Tamen, quia credibilia velamine contecta proponuntur, non habet sufficiens inductivum *ad sciendum;* et quantumvis magna sint motiva ex quibus voluntas intellectui fidem imperat, cum moralis necessitas officii alicujus implendi nequaquam libertatem auferat, idcirco non tollitur in fide ratio meriti.

ARTICULUS VI.

Utrum ratio inductiva ad ea quæ sunt fidei minuat meritum fidei.

Postquam constiterit meritum convenire actui fidei tum quoad usum, tum quoad assensum, dubium exurgit num meritum *assensus* detrimentum pati queat ex rationibus quibus fides utcumque firmatur.—Porro ratio humana inducta ad ea quæ sunt fidei dupliciter se potest habere ad voluntatem credentis, vel *antecedenter* et per modum motivi, vel *consequenter* et per modum effectus : hinc duo concludenda sunt.

Conclusio 1ª.—RATIO HUMANA, ANTECEDENTER SUMPTA ET PROUT MOVET VOLUNTATEM AD CREDENDUM, MINUIT FIDEI MERITUM.

Etenim 1º id sonant verba *S. Gregor.* (hom. 26 in Evang.): « Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet expe-

rimentum". — 2° Illud certe inficit meritum fidei, quo *motivum proprium* ac supernaturale hujus virtutis in motivum naturale mutatur. Atqui quandocumque ratio confirmativa fidei antecedenter se habet, ita ut, nisi talis ratio induceretur, homo vel non crederet vel non haberet tam promptam voluntatem ad credendum, motivum proprium fidei, quod est auctoritas Dei revelantis, adulteratur et mutatur in motivum naturale. Ergo, etc.—3° *Conf.* ex comparatione : nam sicut homo debet actus virtutum moralium exercere propter judicium rectæ rationis, non propter passionem, ita credere tenetur quæ fidei sunt non propter rationem humanam, sed propter auctoritatem divinam. Atqui passio præcedens electionem in virtutibus moralibus diminuit laudem actus virtuosi, puta si quis ad largiendam eleemosynam moveatur non tam ex morali consideratione quam ex compassione sensibili. Ergo a pari, etc.

Conclusio 2ª.—RATIO HUMANA, CONSEQUENTER SE HABENS AD VOLUNTATEM CREDENTIS, NEDUM EXCLUDAT MERITUM FIDEI, MAJORIS MERITI SIGNUM EST.

Sane 1° legimus (1 Pet. III, 15) : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe ;* scil. Apostolorum Princeps nos hortatur ad quærenda et exhibenda argumenta quibus fidei rationalitas appareat, nec alia est totius Ecclesiæ mens, uti constat præcipue ex *Conc. Vatic.* (Const. *de Fid.* cap. IV) et ex *Leone XIII* (Encycl. *Æterni Patris).* Porro S. Petrus universaque Ecclesia non nos inducerent ad confirmativas fidei rationes exquirendas, si per hoc fidei meritum diminueretur Ergo voluntas jam firmiter credens potest, absque meriti jactura, immo aucto merito, attendere rationibus in fidem conferentibus non quasi motivis credendi, sed quasi fidei adjumentis.—Et hoc (ait Auctor) significatur Joan. IV, 42 ubi Samaritani ad mulierem, per quam ratio humana figuratur, dixerunt : *Jam non propter tuam loquelam credimus.*

2° Sic arguitur.—Illud fidei meritum non minuit, sed majus esse ostendit quod ex fide consequitur et virtutem ejus commonstrat. Atqui quando homo prompte et fortiter credit Deo loquenti, hac fide instructus *veritatem creditam diligit* et diligendo impellitur ad excogitandum et amplectendum quidquid inter argumenta humana demonstrare valeat quam

rationabile sit obsequium mentis se verbo Dei subjicientis [1]: cujus rei imperitura, in fidei laudem, exegere monumenta Doctores illustriores Ecclesiæ. Ergo. *Min. decl.* (ex resp. ad 2); quia argumenta in rebus fidei duplicis sunt generis. *Alia* enim solummodo auctoritatem fidei et convenientiam mysteriorum patefaciunt; et ista nec meritum nec rationem fidei minuunt. *Alia* vero proprie sunt demonstrativa; demonstrant enim præambula ad fidem, quin tamen mysteriorum naturam aperiant; et ista minuunt quidem rationem *materialem* fidei seu numerum credibilium, non tamen rationem fidei formalem neque meritum in charitate radicatum.

3° *Conf.* ex comparatione jam inducta. Quemadmodum enim passio consequens in virtutibus moralibus vel per modum deliberatæ electionis, vel per modum naturalis redundantiæ [2], signum est promptioris voluntatis et moralitatem auget actionis, ita ratio humana, consequenter se habens ad voluntatem credentis, fidei decori est animumque ad credendum procliviorem ostendit.

1—Hinc Theologia dicta est " fides quærens intellectum."—De quo scribit *S. August.* (de Trin. l. XV, c. 27, n. 49): " Certe cum inconcusse crediderint Scripturis Sanctis tanquam veracissimis testibus, agant orando et quærendo et bene vivendo *ut intelligant*, id est, ut, quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, immo vero ad hoc quis non hortetur? " Cf. idem Aug. (Ep. ad Consent. 120) et alibi passim.

2—I-IIæ, Q. XXIV, a. 3 ad 1.

QUÆSTIO TERTIA

DE IPSA FIDEI VIRTUTE

(Q. IV-VI)

Comperto objecto fidei, ad actum investigandum superius processimus; de actu nunc ad habitum seu ad ipsam fidei virtutem directe explorandam cum D. Thoma progredimur.

Virtus autem fidei considerari potest vel *secundum se*, scil. quoad naturam definitione claudendam (art. 1), quoad distinctionem qua partitur (art. 2), et quoad ordinem quo constat (art. 3);—vel secundum *subiectum* in quo sit (art. 4);—vel secundum *causam* qua in anima gignatur (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrùm hæc sit competens fidei definitio: Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.

Ratio dubitandi est, quod verba hujus definitionis Paulinæ, traditæ (Heb. XI, 1), nimis discrepant a solitis fidei descriptionibus.—Verum expedit distinguere inter *essentiam* definitionis et *modum*. Quamvis enim definitio S. Pauli non sit secundum debitam formam et artem concinnata, tamen continet et tangit omnia principia quæ ad fidei naturam pertinent; sicut etiam apud philosophos, omissa quandoque syllogismorum et definitionum forma, principia tanguntur quæ haud ægre ad modum debitum reduci possunt.

Conclusio.—Vera et completa, licet minus proprie expressa, dicenda est Paulina fidei definitio;—quod sic ostendi potest.

1° Ex *natura rei*.—Illa vera et competens est fidei definitio quæ adstruit principia seu elementa ex quibus esse fidei

dependet, nempe quæ tangit fidei habitum secundum ordinem quem habet tum ad objectum voluntatis seu bonum, tum ad objectum intellectus seu verum. Atqui hujusmodi est definitio Paulina: ergo. *Maj.* apparet: nam cum habitus cognoscantur per actus et actus per objecta, fides, quæ est habitus quidam, definienda est per proprium actum in ordine ad proprium objectum. Porro actus fidei est credere, quod consistit in actu intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis. Ergo tum actus tum habitus fidei ordinem dicit et ad objectum voluntatis, quod est bonum et finis, et ad objectum intellectus, quod est verum; ita ut utrumque in definitione fidei concludi oporteat. *Min. evolv.*—Et *primo* in fide ordo voluntatis ad finem rite significatur per verba *substantia rerum sperandarum.* *a)* Nam quia fides, utpote virtus theologica, idem habet pro objecto et fine, necesse est ut fidei objectum et finis proportionaliter sibi correspondeant. Atqui compertum est veritatem primam esse objectum fidei, secundum quod ipsa aliaque propter ipsam credita non videntur. Ergo oportet ut objectum fidei respectu voluntatis induat rationem finis secundum modum rei non visæ. Atqui id pertinet ad rationem rei speratæ: siquidem spes est de vita æterna quæ nondum visione habetur. Ergo fides recte imprimis describitur per respectum ad *res sperandas*, ex quibus voluntas movetur ad imperandum fidei assensum. *b)* Dicitur autem *substantia* rerum sperandarum: quippe hoc nomine nuncupari solet prima inchoatio cujuscumque rei, maxime vero primum et fundamentale principium cujus virtute cætera continentur; sic prima principia indemonstrabilia sunt velut substantia scientiæ. Atqui prima inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnia bona cœlestia; in hoc enim beatificari speramus quod aperta visione contemplabimur ea quibus fidè adhæremus. Ergo.—*Secundo* habitudo fidei ad objectum intellectus designatur in hoc quod dicitur *argumentum non apparentium.* *a)* Ubi voce *non apparentium* appellatur verum revelatum et obscurum circa quod est fides. *b)* Dicitur autem *argumentum* pro argumenti effectu: per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero; unde ipsa firma adhæsio ad veritatem fidei non apparentem argumentum, quasi mentis convictio, denominatur.

2° Ex *distinctione fidei* ab omnibus aliis, quatenus definitio Paulina fidem secernit a quocumque alio habitu vel mentis dispositione.—Nam *a)* per hoc quod dicitur *argumentum*, distinguitur fides ab opinione, suspicione et dubitatione, in quibus mens non arguitur, i.e. non ad aliquid unum firma adhæsione determinatur. *b)* Per hoc quod dicitur *non apparentium*, discriminatur a scientia et intellectu, sub quorum luce aliquid fit apparens. *c)* Per hoc autem quod dicitur *substantia sperandarum rerum*, diversificatur virtus fidei a fide humana seu communiter sumpta, quæ non ordinatur ad speratam beatitudinem.

3° Ex *comparatione* cum aliis definitionibus: siquidem omnes aliæ definitiones, quæcumque de fide dantur, explicationes sunt hujus quam Apostolus posuit.—*a)* Quod enim dicunt "fides est virtus qua creduntur quæ non videntur" (August.), vel "fides est non inquisitivus assensus" (Joan. Damasc.), vel "fides est certitudo quædam animi de absentibus supra opinionem et infra scientiam" (Hug. de S. Victore), quadrat cum verbis Apostoli: *argumentum non apparentium*. *b)* Quod etiam ferunt "fides est manens credentium fundamentum collocans eos in veritate et in eis veritatem" (Dionys.), vel "fides est eorum quæ sperantur hypostasis" etc (Damasc.), idem est ei quod dicitur: *Substantia sperandarum rerum.*

Coroll.—Ex verbis Paulinis colligi potest cum D. Thoma sequens definitio in formam redacta: *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* *a)* Hic enim quod directe definitur est *habitus*, non actus; in quo est genus remotum. *b)* Additur habitus *mentis*, ad indicandum genus proximum. Quamvis autem fidei actus pendeat ex duobus principiis activis, scil. ab intellectu et voluntate, quia tamen immediate ab intellectu elicitur in ordine ad *verum*, ideo fides, quæ est proprium principium hujus actus, ponitur in intellectu sicut in subjecto, et quidem in intellectu speculativo; nisi dicamus (cum Cajetano in art. 2) eam esse eminenter speculativam et practicam. *c)* Sequentia verba explicant differentiam specificam habitus fidei, quam S. Paulus laudata descriptione proposuit.

Solv. obj.—OBJ. 1. — Apostolus fidem definit *substantiam*. Atqui fides est qualitas. Ergo.

RESP. *D. M* :...et sumitur *substantia* proprie secundum quod est genus supremum contra alia genera divisum, *N*; sumitur *similitudinarie*, secundum quod in quolibet genere invenitur aliquid primum et veluti substantiale, *C.—D.m* :... qualiscumque, *N*;...qualitas quæ est fundamentum totius spiritualis ædificii, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Diversarum virtutum diversa sunt objecta. Atqui *res speranda* est objectum spei. Ergo poni non debet in definitione fidei.

RESP. *D. M* :...absque mutuo influxu, *N*; una virtute in aliam influente, *C.—D.m* :...formaliter, *C*; nec per quamdam circumlocutionem intelligi potest nomine rei sperandæ bonum divinum inclinans ad fidem antequam possit fidei assensus imperari proprie ex spe vel charitate, *N.—Neg. conseq.* [1].

OBJ. 3.—In definitione Paulina res speranda ponitur tanquam elementum perfectivum fidei. Atqui fides magis perficitur per charitatem quam per spem. Ergo potius, etc.

RESP. *D. M* :...sub ratione boni absentis et non visi, *C*; sub ratione boni præsentis et visi, *N.—C.d.m* : et dilectio charitatis se habet tantum ad absentia sicut desiderium et spes, *N*; se habet æque ad præsentia et absentia, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 4.—Idem non debet poni in diversis generibus. Atqui *substantia* et *argumentum* sunt diversa genera non subalternata. Ergo.

RESP. *C. M.—D. m* : proprie, *C*; secundum quod in fidei definitione ponuntur, *S.d* : important diversa genera vel etiam diversos actus fidei, *N*; diversas habitudines unius actus ad diversa objecta, *C.—Neg. conseq.*

OBJ. 5.—Argumentum dicitur quod arguit mentem ad assentiendum alicui. Atqui mens arguitur ad assentiendum aliquibus, quia sunt *apparentia*. Ergo.

RESP. *D. M* :...et sumi potest vel ex propriis rei principiis vel ex auctoritate convenienti, *C*; ex primo tantum capite, *N.—C.d.m.— Neg. conseq.*

1— *De Ver.*, Q. XIV, a. 2 ad 5.

ARTICULUS II.

Quomodo accipienda est distinctio fidei in fidem formatam et informem.

(Q. IV, art. 3-6)

Quia distinctio rei ex ejus natura dependet, post exploratam fidei essentiam atque definitionem, locus est exponendi vulgatam illam, quam tradunt, partitionem in fidem *formatam* et *informem* seu vivam et mortuam.—Tria in proposito considerabuntur: *unum* de distinctionis veritate; *aliud* de mutua rerum distinctarum habitudine; *tertium* de utraque fide, formata et informi, sub ratione virtutis.

Conclusio 1ª.—RECTE FIDES DISPESCITUR IN FIDEM FORMATAM SEU VIVAM ET INFORMEM SEU MORTUAM.

Distinctio hæc, *communissime* recepta apud theologos, 1º fundatur in *S. Scriptura*, præsertim in (Gal. V, 6), ubi *fides, quæ per dilectionem operatur*, certe designat fidem vivam et charitate formatam, cui fides informis et *mortua* (Jac. II, 26) opponitur.—2º Veritas hujus distinctionis clarius elucet, ex eo quod illa fides dicenda est *formata* cujus actus veluti novam formam, speciem, vitæque supernaturalis influxum recipit ex fine et imperio altioris virtutis; *informis* vero est illa fides quæ influxu talis principii caret. Atqui charitas, qua contingit hominem fidelem ornari, fidei actum quodammodo informat, in quantum illum ordinat ad proprium finem qui est bonum divinum; seclusa vero charitate, nequit fides vi propria ad bonum divinum *in se* assequendum assurgere. Ergo.

Conclusio 2ª.—FIDES FORMATA ET INFORMIS NON DIFFERUNT AB INVICEM ESSENTIALITER SEU INTRINSECA HABITUUM DIVERSITATE, SED ACCIDENTALITER TANTUM.—Omissis falsis quorumdam opinionibus hac super re, statim doctrinam Angelici Magistri proponemus.

1º Habitus diversificatur secundum illud quod *per se* ad habitum pertinet. Atqui distinctio fidei formatæ et informis non pertinet per se ad habitum fidei, sed per accidens tantum. Ergo fides formata et informis non sunt diversi habitus.

Min. prob. Cum fides sit perfectio intellectus, illud per se ad habitum fidei pertinet quod spectat ad intellectum, non autem quod spectat ad voluntatem. Atqui distinctio fidei formatæ et informis accipitur secundum id quod spectat ad voluntatem, i. e. secundum charitatem. Ergo.—2º Hoc ipsum *conf:* nam quandocumque *imperfectio* aliqua *non est de ratione propria* rei imperfectæ, tunc illud numero idem quod erat imperfectum fieri potest perfectum; v. g. quia pueritia non est de ratione hominis, idem homo ex puero fit vir. Atqui informitas fidei, ut constat ex dictis, non est de ratione intrinseca illius habitus, qua est habitus credendi, sed per accidens se habet ad ipsum. Ergo talis est fidei informis et formatæ habitudo ut una fiat alia secundum essentialem et numericam habitus identitatem.

Conclusio 3ª.—FIDES FORMATA EST VIRTUS SIMPLICITER; FIDES AUTEM INFORMIS, VIRTUS SECUNDUM QUID.

1ª *Pars* prob.—Virtus simpliciter dicitur ille habitus per quem actus humanus redditur simpliciter bonus. Atqui hujusmodi est habitus fidei formatæ: ergo. *Min. ostend.* Perfectio seu bonitas simpliciter actus fidei duo requirit: unum, ut intellectus infallibiliter tendat in suum objectum, quod est verum; aliud, ut voluntas imperans intellectui assensum infallibiliter ordinetur ad ultimum finem propter quem imperium illud datur. Atqui utrumque reperitur in actu fidei formatæ; nam ex ratione ipsius fidei est quod intellectus semper feratur in verum, ex charitate autem informante fidem habet anima quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem ultimum et bonum simpliciter. Ergo.

2ª *Pars* apparet, quia, etsi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen gaudet perfectione debita ex parte voluntatis [1].

Coroll. —1º Secundum dictum Ap. (Eph. IV, 5), *una fides* specie admittenda est, quoniam unum est informis et formatæ fidei objectum tum formale, tum materiale principale, ad quod cætera reducuntur.—2º Distinguitur fides *numero* pro diversis subjectis ex quibus individuatur.

1—Circa materiam hujus art. plura reperies in op. *de Verit.*, Q. XIV, a. 5-7.

ARTICULUS III.

Utrum fides prima sit ordine et certitudine inter reliquas virtutes.

(Q. IV, art. 7-8)

Cum duplex sit ordo, *generationis* scil. et *perfectionis*, prioritas fidei sub utroque respectu inquirenda offertur. Et quamvis jam alibi (in Proœmio) nonnulla ea de re tetigerimus, doctrinæ vis et processus exigit ut sequentia statuamus.

Conclusio 1ª.—SECUNDUM ORDINEM GENERATIONIS ET PER SE, PRIMA EST FIDES INTER OMNES VIRTUTES; PER ACCIDENS VERO, POTEST ALIQUA VIRTUS ESSE PRIOR FIDE.

1ª *Pars* liquido constat.—Cum enim in agibilibus finis sit principium, necesse est virtutes theologicas, quarum objectum est ultimus finis, cæteris virtutibus antecedere. Atqui ipse ultimus finis prius sit oportet in intellectu quam in voluntate, cum voluntas non feratur nisi in objectum mente apprehensum. Ergo fides, qua finis supernaturalis apprehenditur, præcedere debet spem et charitatem quibus voluntas in finem tendit.—*Conf: a)* quia quamvis *spes* in hoc conferre possit quod quis perseveret in fide vel fidei firmius adhæreat, non potest tamen universaliter introducere ad fidem; siquidem spes nequit haberi de æterna beatitudine nisi prius *credatur* possibilis (resp. ad 2). *b)* Item, *obedientia*, qua mens inclinatur ad credendum (Rom. I, 5), non est specialis virtus et justitiæ pars (hæc enim sequitur fidem manifestativam Dei ceu superioris cui obediendum est), sed est inclinatio generaliter inclusa in omni virtute (resp. ad 3).

2ª *Pars* prob.—Illæ virtutes dici debent priores fide per *accidens*, quæ removent impedimenta credendi. Atqui non desunt virtutes quæ id efficiant: sic *fortitudo* depellit inordinatum timorem fidei impeditivum; *humilitas* depellit superbiam per quam intellectus recusat se veritati fidei submittere, et ita porro. Ergo.

Conclusio 2ª.—FIDES SIMPLICITER SEU SECUNDUM SE ET QUOAD CERTITUDINEM INHÆSIONIS PRÆSTAT QUALIBET COGNITIONE NATURALI; QUAMVIS SECUNDUM QUID SEU EX PARTE SUBJECTI ET QUOAD CERTITUDINEM EVIDENTIÆ CEDAT SCIENTIÆ NATURALI.

Prænotetur a) primo certitudinem fidei, de qua loquimur, quæque ex efficacia proprii medii oritur, non esse confundendam cum *pertinacia* voluntatis qua falsa firmissime credi possunt.—*b)* Secundo, dubium non est quin fides, cum sit de æternis, præferatur in certitudine, saltem ratione materiæ, *prudentiæ* et *arti* quæ sunt de contingentibus; præfertur etiam *donis* sapientiæ, scientiæ et intellectus quorum certitudo ex certitudine fidei derivatur.—*c)* Num vero præferenda sit istis habitibus prouti sunt virtutes naturales, quæstio est inter Catholicos ex una parte et *Rationalistas* ex altera; hi enim fidem eo usque calumniant ut dogmata ejus inter fabulas relegent.

1ª *Pars* concl. innititur *Conc. Trid.* (Sess. VI, can. 16) et *Vat.* (Const. *de Fide*, cap. 3).

Et sane 1° *Scriptura* haud obscure docet excessum certitudinis fidei præ humanis cognitionibus. Sic (Luc. XXI, 33) ait Christus: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* (1 Cor. II, 6-7): *Sapientiam loquimur... non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur, sed...Dei sapientiam.* Et (1 Joan. V, 9): *Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei majus est.*

2° Hoc idem *ratione* innotescit. — *a)* Certitudo fidei *secundum se* et *simpliciter* illa judicatur quæ ex propria causa seu ex objecto suo formali oritur, quæque in firma mentis adhæsione, sub voluntate imperante, consistit. Atqui fides divina pro motivo formali habet Dei auctoritatem seu veritatem; humanæ autem disciplinæ fundantur in ratione humana, quæ quam longe ab excellentia divini luminis deficiat, nemo unus non videt. Ergo.

b) Neque id intelligendum est de certitudine fidei mere *objectiva*, quasi *subjective* mens eam participare non valeat: nihil quippe vetat quominus intellectus virtute fidei divinitus infusa inclinetur ad dandum assensum præ omnibus firmissimum iis quæ sibi constat infallibili certitudine medii formalis gaudere. Hinc *S. Thomas* (resp. ad 2): "Sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur; et multo magis *homo certior est* de eo quod audit a

Deo, qui falli non potest, quam de eo quod videt propria ratione quæ falli potest "[1].

2ª *Pars* facile intelligitur.—Nam id *secundum quid* seu ex parte subjecti et certitudine *evidentiæ* præstantius dici potest quod plenius seu majori sub luce intellectus hominis consequitur. Atqui major est manifestatio intrinseca rerum cognoscibilium lumine humanæ rationis quam mysteriorum quæ captum humanæ mentis excedunt. Ergo.—Inde fit quod, non obstante firmissima fidei virtute et assensione, indeliberata quædam dubitatio exagitare hominem potest, quatenus mens, nondum satiata per fulgidam creditæ veritatis evidentiam, irrequieta est et anceps quodammodo manet.

Solv. obj. (cont. 1am p. 2æ concl.)—Obj. 1.—Dubitatio opponitur certitudini. Atque fides patitur dubitationem, non autem scientia. Ergo.

Resp. *D. M:* Dubitatio quæcumque... *N;* dubitatio orta ex motivo formali cognitionis, *C.—C.d.m:* fides patitur dubitationem ex parte suæ *causæ formalis, N;* quoad *nos*, et in quantum, licet certitudine firmati ex Dei verbo nondum tamen plene assequimur per intellectum ea quæ sunt fidei, *C.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Visio est certior auditu. Atqui fides est ex auditu, scientia autem ex visione. Ergo.

Resp. *D. M:...* cæteris paribus, *C;* si ille a quo res auditur multum excedit visum videntis, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Certitudo fidei ponderanda est ex ejus motivis. Atqui motiva fidei plerumque morali tantum firmitudine gaudent. Ergo.

Resp. *D. M:...* ex motivo formali et immediato assensus, *C;* ex motivis credibilitatis mediate et exterius tantum ad assensum impellentibus, *N.—C.d.m:* motiva credibilitatis, *C;* motivum formale et immediatum, scil. auctoritas Dei loquentis, quasi hæc non inducat absolutissimam assensus firmitatem, *N.—Neg. conseq.*[2]

1—Cf. 3 S. D. XXIII, Q. II, a. 2, sol. 3.

2—Damnata est ab Innocentio XI seq. prop. 19ª: *Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in seipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.*

ARTICULUS IV.

De habentibus fidem.

(Q. V, a. 1-4)

Constat 1º omnes *justos* multosque *peccatores* [1] his in terris habere fidem, ex qua vita supernaturalis initium ducit.—Id ipsum pronuntiandum est de *animabus* purgatorii, quarum invicta spes in fide radicatur.

At 2º *non omnes* fideles *eodem gradu* fidem participant. Diversitas enim esse potest tum objective, tum subjective: *objective* quidem, non sane ex parte motivi formalis quod unum est et simplex, sed ex parte objecti materialis, sub quo plura vel pauciora explicite credi possunt; *subjective* vero, tum ex parte intellectus, propter majorem certitudinem et firmitatem in uno quam in alio, tum ex parte voluntatis propter disparem promptitudinem, devotionem vel confidentiam in credendo.

Verum 3º dubietas modo exurgit de Angelis et primis parentibus in primæva conditione, de dæmonibus et damnatis nec non de hæreticis, numquid scil. illi omnes habuerint vel habeant fidem ;—quod determinandum suscipitur.

Conclusio 1ª.—ANGELUS ANTE GLORIAM ET HOMO IN PRIMA SUA CONDITIONE FIDEM HABUERUNT; ETSI PLURA QUAM NOS DE DIVINIS MANIFESTA COGNITIONE ATTIGERINT.

1ª *Pars* concl. certissima est.—Nam Angelus et homo creati fuerunt in ordine supernaturali, cujus principium et radix est proportionalis Dei rerumque divinarum cognitio. Atqui neque Angelus ante gloriam neque primævus homo manifestam contemplationem habuerunt qua Deus per essentiam videretur. Ergo relinquitur quod Deum resque divinas fide cognoverint.

2ª *Pars* nullo negotio expeditur.—Angelus enim ante confirmationem et homo ante peccatum, utpote instructi clarissimo lumine intelligibili, plura poterant manifeste cognoscere de divinis effectibus et mysteriis quæ nos non possumus nisi credendo assequi.

1—*Conc. Trid.* (Sess. VI, can. 28): " Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse christianum, A. S."

Conclusio 2ª.—FIDES INFUSA NON EST IN DÆMONIBUS NEQUE IN DAMNATIS ; NATURALIS TAMEN QUÆDAM FIDES IN EIS PONENDA EST.

1ª *Pars* prob.—*a)* Fides infusa vel supernaturalis ea est quæ ex *pia* voluntatis *affectione* in *obsequium* divinæ auctoritatis credendi actum elicit. Atqui habitus hujusmodi nequit dæmonibus vel damnatis convenire ; siquidem ex una parte voluntatem firmatam in malo habent, ex altera autem parte repugnat ut Deus conservet in ipsis habitum cujus actus impossibilis est. Ergo.—*b)* Præterea, fides informis, secundum Dei intentionem, via est ad justificationem. Atqui dæmones et damnati incapaces prorsus justificationis existunt. Ergo.

2ª *Pars* asseritur 1º ex (Jac. II, 19) : *Dæmones credunt, et contremiscunt;*—2º ex *ratione.* Dæmones, quodammodo coacti ex signorum evidentia, judicant esse credendum veritatibus a Deo revelatis, non quidem quasi reverentia erga auctoritatem divinam moveantur, sed quia acumine suo intellectivo tam clare motiva credibilitatis perspiciunt ut nihil eis contrarium appareat; unde nimis absurdum foret assensum recusare. Atqui voluntas necessaria lege sequitur ultimum dictamen practicum intellectus. Ergo *dæmones* credunt fide moraliter coacta et innixa perspicuitati motivorum credibilitatis, scil. fide naturali.

Eadem fides naturalis seu acquisita manere dicenda est in *damnatis*, utpote qui in pœnis quas sustinent Deum vindicem sentiunt atque ex amissa fide infusa pleraque a Deo revelata mente retinuerunt.

Conclusio 3ª.—HÆRETICUS FORMALIS SEU PERTINACITER NEGANS UNUM FIDEI ARTICULUM NON HABET NEQUE FORMATAM NEQUE INFORMEM FIDEM INFUSAM ; SED ALIA QUÆ FIDEI SUNT TENET PROPRIO JUDICIO ET ARBITRIO SECUNDUM QUAMDAM OPINIONEM VEL FIDEM NATURALEM.—Agitur, ut patet, de hæretico *formali* seu pertinaci, non solummodo de *errante* cujus aberratio materialiter quidem, non tamen formaliter, fidei contrariatur.—Licet autem *Durandus* aliique pauci diverse quondam senserint, una nunc omnium sententia est præsertim post Encycl. *Satis cognitum* Leonis XIII *de Unitate Ecclesiæ* (an. 1896).

1º Referantur *verba Pontificia (l. cit.):* " Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur, *nihil*

omnino fide divina creditur." Quod enim Jac. Apostolus [1] de delicto judicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei judicandum: "*Quicumque... offendat in uno, factus est omnium reus*"; imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod majestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel in uno capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei*, recusat vereri: "In multis mecum, in paucis "non mecum; sed in his paucis, in quibus non mecum, non "eis prosunt multa, in quibus mecum." [2] Ac sane merito: qui enim sumunt de doctrina christiana quod malunt, ii judicio suo nituntur, non fide; iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* [3] sibimetipsis verius obtemperant quam Deo."—Luculentissimo huic suffragio consonat aliud (1 Tim. I, 19): *Quam quidam repellentes* (sc. fidem et bonam conscientiam) *circa fidem naufragaverunt*; ubi error Hymenæi et Alexandri, negantium resurrectionem, naufragio circa fidem seu bonorum omnium jacturæ comparatur.

2° Veritas *rationali* processu evolvatur.

Species cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti; qua sublata, species illa remanere non potest. Atqui objectum formale fidei est veritas prima revelans secundum quod hæc revelatio (saltem ordinaria lege) nobis innotescit per infallibile Ecclesiæ magisterium veluti per *conditionem* seu regulam necessario cum fide connexam. Ergo quicumque non inhæret, tanquam infallibili et divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, quam ipsa prima veritas uti credendorum interpretem proposuit, eo ipso recedit ab objecto formali fidei ideoque fidei habitum amittit, credibilia tenens alio modo quam per fidem; sicut si quis mente amplectatur aliquam conclusionem quin medium demonstrationis cognoscat, manifestum est quod non habet ejus scientiam, sed opinionem tantum. Atqui hæreticus pertinaciter discredens unum fidei articulum paratus non est sequi in omnibus doctrinam Eccle-

1—II, 10.
2—S. Augustinus, in Ps. LIV, n. 19.
3—Cor. X, 5.

siæ ;[1] quoniam propriæ voluntati innixus loco illius divinæ regulæ, de his quæ Ecclesia docet, quæ vult tenet, et quæ non vult non tenet. Ergo.—Patet itaque adhæsionem hæretici formalis ad ea, quæ tenet, dogmata non esse nisi vel *opinionem* in rationalitate fidei fundatam, vel quamdam mentis ac voluntatis *pertinaciam*, vel *fidem acquisitam* sive ex hominum instructione sive ex naturali inveteratæ consuetudinis credendi impressione.

Solv. obj. (cont. 3am concl.).—OBJ. 1.—Hæreticus potior non est intellectu quam catholicus. Atqui catholicus ad credendum quemcumque fidei articulum indiget dono fidei adjuvari. Ergo.

RESP. *C. M.—D. m :*...ad credendum simpliciter inhærendo primæ veritati, *C ;* ad credendum propria voluntate et judicio, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Sicut sub fide continentur multa revelata, ita sub una scientia multæ conclusiones. Atqui aliquis potest habere scientiam circa quasdam conclusiones, aliis rejectis. Ergo a pari, etc.

RESP. *D. M :*...analogice, *C ;* univoce, *N. — C.m.—Neg. conseq.*

Præter *medium primarium* quo veritas fundamentalis cujusque scientiæ illustratur, sunt pro conclusionibus secundariis diversa media quorum unum sine alio cognosci potest ; et ideo valet homo scire quasdam conclusiones unius scientiæ, v. g. geometriæ, aliis neglectis.—Sed omnes fidei articuli creduntur propter *unum* medium, scil. propter veritatem primam nobis secundum doctrinam Ecclesiæ propositam. Et ideo qui ab hoc medio decidit totaliter fide destituitur.

OBJ. 3.—Homo se habet ad obedientiam fidei, sicut ad observationem legis. Atqui potest quis servare quædam mandata et non alia. Ergo.

RESP. *Trans. M.—D. m :*...attentis motivis *proximis* quæ diversa sunt pro diversis præceptis, *C ;* potest servare quædam mandata, et non alia, ex perfecta virtute quæ a *supremo* motivo charitatis dependet, *N.—Neg. conseq.*

1—Hæreticus *formalis* cognoscit, sed non agnoscit auctoritatem Ecclesiæ ; hæreticus vero *materialis* seu bonæ fidei illam non agnoscit, quia non cognoscit ; agnosceret vero, si cognosceret.



IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)

6"

ARTICULUS V.

De causa fidei.

(Q. VI, a. 1-2)

Agitur de fide divina non solum communiter sumpta, sed tum *formata* tum *informi*. Jam nonnulla de hoc argumento præhabita fuerunt in Tract. *de Gratia*; proprius tamen hic locus est illud pertractandi. — Memoretur error *Pelagianorum* aut *Semipelagianorum* dicentium *initium* fidei esse ex nobis, in quantum scil. nostrum sit quod quisque sit paratus ad assentiendum veritatibus revelatis, sed consummationem esse a Deo, per quem credibilia nobis proponuntur.

Conclusio 1ª.—FIDES (SIMPLICITER DICTA AUT FORMATA) EST PRINCIPALITER A DEO, TUM EX PARTE OBJECTI CREDIBILIS, TUM EX PARTE VIRTUTIS ET ASSENSUS.

1ª *Pars*, quam ipsi Pelagiani concedebant, quæque expresse a *Conc. Vatic.* (Const. *de Fide*, cap. 3-4) definita est, breviter expediatur.—1º Legimus (Eccli. III, 27): *Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi*; et (Sap. IX, 17): *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Sp. S. tuum de altissimis?*—2º Quæ excedunt rationem humanam non cadunt in cognitionem hominis nisi Deo revelante. Atqui in comperto est (ex disputatis alibi) mysteria fidei longe rationem humanam excedere. Ergo.—At 3º mysteria illa quibusdam revelantur *immediate* a Deo, prout contigit Apostolis et Prophetis; quibusdam vero, immo plerisque *mediate*, scil. per fidei prædicatores quos mittit secundum illud (Rom. X, 15): *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

2ª *Pars* sancita est tum a *Conc. Arausic. II* (can. 5 et 7) tum a *Trid.* (Sess. VI, can. 3).

Et sane 1º perspicua sunt Apostoli documenta, v. g. (Eph. II, 8): *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Et (Phil. I, 29): *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.*—Hinc *S. Fulgentius* (l. de Incarn. et gr. Ch. c. 20): "Vita nostra a fide sumit initium... Quam fidem non ex voluntate nostra nasci, sed per Sp. Sanctum unicuique dari B. Paulus ostendit."

2º *Ratione* arguamus.—*a)* Assensus hominis in ea quæ

sunt fidei potest considerari duplex causa: una quidem *exterius inducens*, sicut miraculum visum, vel docentis hominis persuasio. Atqui hæc causa, quamvis valeat pleraque fidei obstacula removere, non est tamen per se sufficiens: videntium enim unum et idem miraculum et audientium eamdem prædicationem quidam credunt, et quidam non credunt. Ergo requiritur causa *interior*, scil. divina, quæ habitum fidei infundat et hominem ad assentiendum mysteriis moveat.—*b)* Revera homo, assentiendo his quæ sunt fidei firmiter et salubriter, elevatur supra suam naturam, cum objective, tum etiam subjective. Atqui id esse non potest nisi ex supernaturali principio infundente fidem et interius movente secundum proportionem ad finem et terminum supremæ ac æternæ veritatis, scil. ex Deo ipso. Ergo.

Conclusio 2ª.—ETIAM FIDES INFORMIS DONUM DEI EST; QUOD PROBABILIUS ALIQUANDO DATUR ABSQUE CHARITATE.

1ª *Pars* certa *fide* constat ex *Conc. Vat.* (III, can. 5): "Si quis dixerit...ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; A. S."—Et vere, illud est causa fidei informis quod est causa fidei simpliciter dictæ. Atqui mox dictum est fidem simpliciter esse a Deo. Ergo. *Maj. prob.* Quandocumque enim informitas seu privatio aliqua non est de ratione propria alicujus rei, sed ei supervenit, causa illius rei eadem indiscriminatim assignanda est, sive res subsit tali defectui, sive non. Atqui informitas fidei, utpote consistens in defectu cujusdam exterioris formæ, scil. charitatis, non pertinet ad specificam fidei rationem, sed ei accidit. Ergo.

2ª *Pars* controvertitur inter theologos [1]; *probabilius* tamen et conformius menti S. Thomæ (a. 2, resp. ad 3) nobis videtur quod fides informis actu et habitu quandoque antecedat charitatis infusionem.—1º Namque ait *S. Doctor (l. cit.)*: "*Ille qui accipit a Deo fidem absque charitate* non simpliciter sanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis; sed sanatur secundum quid, ut scil. cesset a tali peccato": quæ verba in sensum nostrum exponit *Cajetanus*. — 2º Sicubi (puta I-II, Q. LXII, a. 4) Angelicus asserit habitus virtutum simul infundi, hoc dupliciter intel-

1—Cf. Mazzella, *De Virt. inf.* Disp. I, a. 7.

ligi potest, nempe vel secundum *esse virtutis simpliciter* quod habitus illi a sola charitate sortiuntur, vel *quantum est ex parte Dei infundentis* et ratione infusionis.—Siquidem 3° licet Deus, quantum est de se, omnes virtutes infundere paratus sit, obstare tamen potest indispositio subjecti, ut patet ex baptizatis in peccato mortali. Quemadmodum enim materiæ dispositæ ad substantiam animæ et non ad opera ejus infunditur anima, ut in amentibus ab utero; ita subjecto disposito ad susceptionem unius habitus, et per accidens indisposito quoad alium, infundi congruit primum sine altero. Atqui contingere potest ut adultus, qui baptizatur, sit ad fidem suscipiendam dispositus, non autem ad charitatem, quatenus in statu peccati perseveret. Ergo adultus ille suscipit fidei habitum recipiendo characterem, fitque vere fidelis; manet tamen charitatis expers. Unde fides datur quandoque sine charitate, sicut sine ea in peccatoribus conservatur.

Solv. obj. (cont. 1am concl.).—Obj. 1.—Per scientiam fides "gignitur, nutritur, defenditur, roboratur" (Aug. l. XIV de Trin. c. 1). Atqui ea quæ per scientiam gignuntur magis videntur esse acquisita quam infusa. Ergo.

Resp. *D. M* :... per modum exterioris persuasionis, *C*; per modum causæ propriæ et principalis, *N*.—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Id ad quod homo pertingit audiendo, acquiritur. Atqui *fides ex auditu* est (Rom. X, 17). Ergo.

Resp. *D. M* :... supposito quod *ex se* assentiat iis quæ audit sibi exterius proponi, *C*; posito quod mysteriis divinitus revelatis et humanitus propositis assensum præstet *ex Dei dono*, *N*.—*D.m* :... quatenus secundum legem ordinariam credibilia exterius proponuntur, *C*; quasi tota fidei ratio ex causa creata pendeat, *N*.—*Neg. conseq.*

Obj. 3.—Illud potest acquiri quod in hominis voluntate consistit. Atqui fides "in voluntate est" (Aug. l. de Præd. Sanct., c. 5). Ergo.

Resp. *D. M* :... in voluntate hominis quin præparetur a Deo per gratiam, *C*; in voluntate hominis per gratiam adjuta et elevata, *N*.—*C.d.m.*—*Neg. conseq.* [1]

1—Vid. plura ap. Bellarminum, *de Gr. et lib. arb.*, l. VI, c. 2-3.

QUÆSTIO QUARTA

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS

Fidei opponitur *infidelitas*, sub cujus communi nomine eminent *hæresis* et *apostasia*. Tres itaque articulos circa tria hæc sub dogmatico præsertim adspectu et concisa oratione instituere expediet.

ARTICULUS I.

De infidelitate in communi.

(Q. X, a. 1-6)

1° *Infidelitas* triplex recensetur, negativa, privativa et contraria : *negativa* est fidei carentia in eo qui nihil audivit de fide, unde non habet rationem peccati, sed magis pœnæ ex peccato originali consecutæ, ut patet ex damnata prop. 65ª inter Baïanas ; *privativa* habetur in eo qui sufficienter de fide audivit, at ei assentiri detrectat, contempta voluntate Dei illam authentice proponentis ; *contraria* vero est qua quis positivo et adverso errore auditui fidei repugnat.

2° Infidelitas, sicut et fides, residet quidem in intellectu sicut in *proximo subjecto*, in voluntate autem sicut in *primo motivo*, ex quo peccati malitiam desumit. — Porro peccatum istud, hominem a Deo seu a vera Dei cognitione directe elongans atque separans, *gravius* est *ex genere suo* quam peccata virtutibus moralibus opposita ; tamen minoris videtur esse gravitatis quam odium Dei, caritati contrarium, siquidem infidelitas ad odium illud tanquam effectus ad causam comparatur [1].—Duo cursim concludenda subjiciemus.

Conclusio 1ª.—TRES INFIDELITATIS SPECIES FORMALITER ASSIGNANDÆ SUNT, SCIL. PAGANISMUS, JUDAÏSMUS ET HÆRESIS.

Etenim diversitas formalis infidelitatis attendenda est non ex parte eorum in quibus infideles errant, quæque pene

1—Vid. plura ap. Auctorem, II-IIæ, Q. XX, a. 3 ; Q. XXXIV, a. 2.

infinita sunt, sed ex parte *modorum* quibus fidei renituntur: quippe modi illi in genere moris habendi videntur tanquam circumstantiæ *speciem mutantes* [1]. Atqui renisus ille potest tripliter contingere: ergo.—Vel enim aliquis renititur fidei quam nondum suscepit aut professus est se suscipere, et talis infidelitas est *paganorum* sive gentilium, sub quorum nomine comprehenduntur Mahumetani pluresque athæi ac Deistæ moderni; — vel aliquis renititur fidei christianæ quam in figura tantum professus est, et est infidelitas *Judæorum*;—vel tandem aliquis repugnat fidei christianæ quam suscepit aut quadamtenus professus est in manifestatione veritatis, et hæc est infidelitas *hæreticorum*.

Conclusio 2ª.—SIMPLICITER LOQUENDO, INFIDELITAS HÆRETICORUM GRAVIOR EST QUAM JUDÆORUM, JUDÆORUM QUAM PAGANORUM.

Nam 1° legimus (2 Pet. II, 21): *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ quam post agnitionem retrorsum converti.* Atqui gentiles non cognoverunt viam justitiæ; hæretici autem et Judæi aliqualiter cognoscentes eam deseruerunt. Ergo.—2° *Simpliciter* et in ratione culpæ gravius est reniti fidei jam susceptæ quam fidem nondum susceptam respuere, sicut gravius peccat qui non implet quod promisit quam non implens quod nunquam promisit. Atqui hæretici ii sunt qui, dum profitentur fidem Evangelii, eam nihilominus corrumpunt; Judæi vero, etsi nunquam in veritate fidem evangelicam sint professi, susceperunt tamen ejus figuram in veteri lege, quam male interpretantes adulterant; gentiles autem nullo modo fidem Evangelii susceperunt. Ergo.

Dixi *simpliciter*.—Nam si consideretur in infidelitate corruptio eorum quæ ad fidem pertinent, cum in pluribus errent gentiles quam Judæi et Judæi quam hæretici, idcirco *secundum quid* gravior est infidelitas gentilium quam Judæorum et Judæorum quam hæreticorum, nisi forte quorumdam, puta Manichæorum et Apostatarum hodiernorum, qui etiam circa credibilia plus errant quam gentiles [2].

1—Cf. Cajet. in h. loc.
2—Reliqua notatu digna, quæ Auctor habet in præs. quæst., omittimus, quia spectant proximius vel ad *Theol. moralem* vel ad *Jus* Ecclesiæ *privatum* aut *publicum*.

ARTICULUS II.

De hæresi ;—de censuris theologicis.

(Q. XI, a. 1-2)

Hæresis sumi potest vel *lato* sensu pro quocumque recessu a fide, vel *stricto* sensu pro recessu partiali, secundum quod dividitur contra *apostasiam* quæ est recessus totalis: *stricte* nunc de hæresi loquimur.—Discrimen quoque advertatur inter hæresim et *schisma :* "nam hæresis per se opponitur fidei, schisma autem per se opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis. Et ideo sicut fides et charitas sunt diversæ virtutes, quamvis quicumque caret fide careat charitate ; ita etiam schisma et hæresis sunt diversa vitia, quamvis quicumque est hæreticus sit etiam schismaticus ; sed non convertitur " (II-IIæ, Q. XXXIX, a. 1 ad 3).—Pauca dicamus de natura hæreseos, necnon de censuris theologicis, quibus doctrinæ plus minusve ad hæresim accedentes notari solent.

Conclusio 1a.—HÆRESIS DESCRIBENDA VIDETUR : ERROR CHRISTIANI HOMINIS PERTINAX FIDEIQUE MANIFESTE CONTRARIUS.—Singula definitionis elementa expendere juvabit.

a) Primo *error* designat genus peccati, quatenus hæresis est quædam infidelitas *proxime* consistens in vitio intellectus, licet *remote* ex vitio voluntatis, scil. ex superbia aut cupiditate, oriatur.—*b)* Additur *christiani hominis* ad significandum subjectum hæreseos ; persona enim hæretica in hoc a pagana et judaïca distinguitur quod religioni Christi utcumque adscripta est.—*c)* Requiritur autem error *pertinax* seu obstinata adhæsio propriæ sententiæ contra doctrinam fidei sufficienter propositam et agnitam ; qua quidem in pertinacia voluntatis, scil. illius potentiæ cujus est actum fidei imperare, formaliter sita est malitia hæreseos. Ad hanc vero pertinaciam non sufficit error ex ignorantia etiam culpabili et crassa de rebus fidei ; sufficit tamen vera resistentia etiam brevissima, imo dubium positivum circa dogmata clare proposita.—*d)* Tandem dicitur *fidei manifeste contrarius :* cum enim hæresis importet corruptionem fidei christianæ, esse non potest nisi circa ea quæ de fide sunt seu a Deo revelata vel principaliter vel secundario [1]. Hæreticus *præsumptive* foret

1—Cf. S. Thom. *Comm.* in 1 Cor. XI, lect. 4.

(juxta Billuart) qui, perspiciens nexum conclusionis theologicæ cum præmissis quarum una naturalis evidens et altera de fide esset, negaret illam conclusionem; non tamen, si talem nexum ignoraret. Quamvis vero in foro ecclesiastico nemo sit hæreticus nisi qui repugnet fidei catholicæ seu magisterio Ecclesiæ clare propositæ ac determinatæ, arbitramur nihilominus *vere esse hæreticum* qui veritatem a Deo, sive in Scripturis, sive privatim revelatam, sciens ac volens rejiceret.

Conclusio 2ª.—QUID DE CENSURIS THEOLOGICIS CUM IN GENERE TUM IN SPECIE TENENDUM SIT, BREVITER DECLARATUR.

1ª *Pars* de censuris theologicis *in genere.*

1º Censura *theologica* (quæ ab *ecclesiastica* manifeste distinguitur) definiri potest " sententia qua doctrinæ bono fidei aliquo modo nocivæ nota maligna inuritur."—Theologi illam dividunt *a) ratione ferentis* in *judicialem* et *privatam*, prouti feratur vel a judicibus ipsis fidei et auctoritative, vel a viris doctis sub privato nomine, puta a magistris theologiæ; *b) ratione vero objecti* illam distinguunt in *dogmaticam* qua præscribitur quid intellectu tenendum fugiendumve sit atque in *disciplinarem* qua indicatur quid sit faciendum et a quo cavendum.

2º Quod pertinet ad *obligationem* censuræ *judicialis dogmaticæ*, hæc certa videntur :—*a) Primo*, censura lata a Suprema Auctoritate circa materiam immediate spectantem ad fidem et importans notam hæreseos exigit assensum *fidei divinæ* et *catholicæ.*—*b) Secundo*, censura lata ab eadem Auctoritate circa quæstiones non immediate revelatas, sed connexas cum revelatis exigit assensum *fidei ecclesiasticæ:* qui quidem esse debet internus firmusque mentis assensus, juxta sensum et gradum ipsius censuræ; quippe communis est theologorum doctrina quod Ecclesiæ infallibilitas extendatur etiam ad ferendas censuras hæresi inferiores.—*c) Tertio*, responsa SS. Congregationum circa materiam nondum infallibili Ecclesiæ magisterio declaratam (nisi per *Bullam*, *Breve* aliove modo fiant *actus papales* 1)) non sunt quidem ex se infallibilia, quamvis vulgentur cum permissu vel approba-

1—Cf. Auct. *Juris canonici* vel *Theol. Fundam.*, speciatim *Tepe* (*Inst. Theol.* Vol. I, Tr. II, prop. 62).

tione R. Pontificis; verumtamen, quia sunt actus *doctrinales* nec solum disciplinares, requirunt plus quam *reverentiale silentium*, sed internum quoque *mentis obsequium* propriæ illorum actuum auctoritati correspondens.

2ª *Pars* de censuris theologicis *in specie*.

Innumeræ propemodum sunt censuræ quibus aliqua doctrina plecti potest: en præcipuæ, secundum magis receptas Auctorum sententias.

Propositio *hæretica*, ut patet, ea est quæ directe opponitur doctrinæ a Deo immediate revelatæ et ab Ecclesia propositæ.—Prop. *erronea* vocatur quæ adversatur doctrinæ mediate tantum revelatæ, scil. conclusioni theologicæ certæ.—Prop. *hæresi proxima* est illa quam plerique et graviores theologi hæreticam judicant, quin tamen eam hac censura absolute notare audeant; *sapiens hæresim* vel *suspecta de hæresi* est propositio capax duplicis sensus, boni et pravi, sed in qua ex circumstantiis locus datur admittendi vel suspicandi sensum hæreticum —Idem proportionaliter dicatur de prop. *proxima errori, sapiente errorem* et *suspecta de errore*.—Prop. *temeraria* appellatur quæ in materiis theologicis aut sine tuto fundamento inducitur, aut sine sufficienti motivo communi Patrum vel Doctorum sensui opponitur.—Prop. *male sonans* ea est quæ absonum quid et absurdum, licet non hæreticum, verborum specie exhibet; habetur autem prop. *piarum aurium offensiva* si illud absonum seu male sonans referatur ad pia et sacra, ita ut Deo vel sanctis indignum religiosis auribus videatur.—Accedit prop. *schismatica*, quæ paci et unitati Ecclesiæ adversatur, dum prop. *seditiosa* pacem civilis societatis offendit.—Tandem prop. *scandalosa* inclinat ad peccatum vel a virtute retrahit; *seductiva* vero dat occasionem ruinæ spiritualis sub pietatis specie, etc., etc [1].

1—Cf. Mazzella, *de Virt.* Disp. II, a. 10.

ARTICULUS III.

De apostasia ;—de massonismo.

(Q. XII, a. 1)

Alia est apostasia a *religione* quam quis professus est vel ab *ordine* quem suscepit ; alia apostasia a *lege Dei* cui obediendum est, et quam homo peccando deserit ; alia apostasia a *fide* qua quis omnino a Deo retrocedit : hæc est apostasia *simpliciter*, de qua modo sermo est.—Potest itaque apostasia a fide *definiri* : "*totalis recessus a fide christiana per baptismum suscepta.*"—Duplex distinguitur, *formalis* seu explicita, et *interpretativa* seu implicita : formalis ea est qua recessus totalis a fide publicis signis vel professis erroribus significatur ; interpretativa vero est eorum qui, chritianum nomen retinentes, ita tamen se gerunt ut implicite ostendant animum omnino a fide Christi alienum.

Conclusio.—MAXIMA EST APOSTASIÆ MALITIA ; QUÆ QUIDEM IN SECTIS MASSONICIS SUMMUM GRADUM ATTINGIT.

1ª *Pars.*—*a)* Illud peccatum maximæ est gravitatis et malitiæ quod totaliter avertit hominem a Deo et vitam supernaturalem *radicitus* evellit. Atqui apostasia hujusmodi est : siquidem, sublata fide quæ est vita animæ, nihil remanet in homine quod possit esse utile ad salutem æternam ; et propter hoc dicitur (Prov. VI, 12) : *Homo apostata, vir inutilis* (resp. ad 2). Ergo.—*b)* Malum apostasiæ ex *numero* quoque apostatarum pensandum est. Omissis enim apostatis *interpretativis* quorum ingens et formidabilis turba existit, apostasiæ *formalis* rei censendi sunt non solum qui, relicta religione christiana, ad aliam falsam religionem convolant, sed etiam qui profitentur sive Deismum ac Rationalismum, sive Naturalismum, Pantheismum, Atheismum, sive Indifferentismum, Agnosticismum, aut Scepticismum absolutum.

2ª *Pars.*—Consociationes incredulorum efficacius ruinam fidei moliuntur quam defectiones privatæ. Porro inter illas nefarias societates eminet secta *Massonum*, qui, nostris præsertim temporibus, sese adversus Dei numen audacissime erigunt, eo *proposito* " ut gentes christianas partis per J. C. Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient "

(Encycl. *Humanum genus* Leonis XIII), et regnum Satanæ in vicem regni Dei substituant.—Si *constitutio* sectæ massonicæ spectetur, pertinet ad genus societatum clandestinarum quarum proprium est " simulare et velle in occulto latere; obligare sibi homines tanquam mancipia, tenacissimo nexu nec satis declarata causa; alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere " *(l. cit.)*: quod quidem rectitudini et honestati naturali repugnat.—*Doctrina* vero, super qua Massonismus adstruitur et cujus ope studet religionem christianam evertere, est *Naturalismus*, cujus dogmata non solum a fide et christianis quibuscumque institutis, sed et ab ipso rationis regimine, præcipiti cursu, animos distrahunt, et in pessimos errores usque ad ipsam Dei negationem, necnon in immania vitia privata et socialia calamitose conjiciunt.

Hæc prælibasse sufficiat de secta Massonum, quæ apostasiæ et fructus et causa est; cujus molimina *Leo XIII* in Litt. Encycl. supra citatis tam aperte detexit, et contra quam *Congressus Tridentinus* nuper habitus (Sept. 189[illegible]) bellum quoddam sacrum a catholicis gerendum constituit atque inchoavit.

QUÆSTIO QUINTA

DE HABITU INTER FIDEM ET RATIONEM

Christiani nominis hostes, qui *Rationalismi* seu *Naturalismi* doctrinas sectantur, acerrimo opere religionem fidemque catholicam subvertere nituntur. " Et quo facilius populis illudant, atque incautos præsertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quæ tota in naturæ veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quæ supremus et clementissimus ipse totius naturæ auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc præpostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanæ rationis vim et excellentiam appellare, contra sanctissimam Christi *fidem*, atque audacissime blaterant eam *humanæ refragari rationi*. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest " (Encycl. *Qui pluribus* Pii IX).

Ut huic rationalistico molimini occurrerent, cœperunt theologi tractationem edere de mutua relatione fidem inter et rationem. Nonnulli quidem id instituunt sub fine Theol. dogm. *fundamentalis;* nos vero cum aliis arbitramur opportuniori hic loco disputationem illam absolvi, quippe quæ jam fidei naturam perspectam præsupponere videtur.

Divisio præsentis quæstionis erit in quinque articulos. Siquidem considerare possumus aut rationem disponentem ad fidem (art. 1), aut consensum fidei et rationis (art. 2), aut opem rationi a fide præstitam (art. 3), necnon opem fidei a ratione adhibitam (art. 4), aut tandem limites quibus rationem contineri oporteat (art. 5).

ARTICULUS I.

De rationis usu et officio ante fidem.

Expositum alibi refutatumque supponimus errorem *Traditionalistarum* [1] qui, in sententiam Rationalismo extreme oppositam declinantes, plus æquo rationis humanæ vires depresserunt atque extenuarunt; unde Ecclesia, veritatis custos et vindex, illos damnavit.—Nec immerito: quam enim utilis sit, imo necessaria rationis opera ut iter ad fidem planum facileque aperiatur, ex dicendis jamjam patebit; dummodo tamen ipsa sese docilem revelanti Deo exhibeat.

Conclusio 1ª.—RATIO HUMANA PRIMUM ITER STERNIT AD FIDEM IN DEMONSTRANDIS VERITATIBUS NATURALIBUS, QUÆ DICI SOLENT " PRÆAMBULA FIDEI."

Sane 1° ut ait *D. Thomas* (I, Q. II, a. 2 ad 1), " fides præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile." Nequit enim homo rationalem fidei actum elicere nisi præcognoscat existere Deum qui providet de creaturis, et cui libere obediendum est ut anima præmium immortale consequatur. Atqui nonnisi per *petitionem principii* vellet quis veritates illas præambulares, scil. Dei existentiam, sapientiam, providentiam, animæ libertatem atque immortalitatem, inficianti incredulo ex revelatione ac fide suadere. Ergo ratio humana efficacem præstat religioni operam in demonstrandis præambulis fidei.

2° In *confirmationem* ac evolutionem hujus theseos opportune succurrunt verba *Leonis XIII* (Encycl. *Æterni Patris)*: " Primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter præparare: quamobrem a veteribus modo *prævia ad christianam fidem institutio* [2], modo *christianismi prœludium et auxilium* [3], modo *ad Evange-*

1—Cf. *De Deo*, Disp. I, Q. un., a. 2;—supra, *de Gratia*, Disp. II, Q. un., a. 1.
2—Clem. Alex., Strom. l. I, c. 16; l. VIII, c. 3.
3—Orig. ad Greg. Thaum.

lium prædagogus[1] non immerito appellata est... Igitur primo loco magnus hic et præclarus ex humana ratione fructus capitur quod illa Deum esse demonstret: a *magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*[2]. Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinita in primis sapientia, quam nulla usquam res latere, et summa justitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solum veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex quo consequi perspicuum est ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet."

Conclusio 2ª.—ALIUD RATIONIS MUNUS ET OFFICIUM ERGA FIDEM EST OSTENDERE CREDIBILITATEM VERITATUM A DEO REVELATARUM.

Jam statuimus (supra, Q. I, a. 3) ad fidem prærequiri judicium de *credibilitate* rerum fidei ex signis quibusdam mirabilibus, quibus Deus verbum suum confirmet: "quia enim ea quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet quod probentur per argumentum divinæ virtutis" (S. Th., III, Q, XLIII, a. 1). Atqui judicium illud, licet circa supernaturalia fiat, de se tamen naturale est seu naturali inquisitione partum. Ergo.—Ad rem et eloquenter quidem *Pius IX* (Encycl. *Qui pluribus*): "Hæc fides, vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens, ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes, utcumque immanitate barbaras, ac

1—Clem. Alex., Strom. l. I, c. 5.
2—Sap. XIII, 5.

indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinæ cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collucent ut cujusque mens et cogitatio *vel facile intelligat* christianam fidem *Dei opus* esse."

Conclusio 3ª.—TERTIUM RATIONIS ERGA FIDEM OFFICIUM EST UT VERAM CHRISTI ECCLESIAM DEMONSTRET.

Cum enim Christus omnibus hominibus præceptum imponat ingrediendi Ecclesiam a se fundatam, censendus est eam taliter constituisse ut *visibilis* foret atque de facili ab ecclesiis falsi nominis *discernibilis*.—Discerni autem ab humana ratione vera Ecclesia potest tum ex *motivis credibilitatis* fidei supra a Pio IX recensitis, tum ex *proprietatibus* seu notis Ecclesiæ propriis, maxime ex *unitate* [1]. — Hæc complexa est *Vaticana Synodus* (Const. Dogm. *de Fid. cath.* c. 3): "Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim Catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem *fidei* christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia *per se* ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile."

Conclusio 4ª.—HOMO ACATHOLICUS TENETUR VERITATEM RELIGIOSAM SOLLICITE INQUIRERE, EAMQUE INVENTAM FIDEI ASSENSU ACCEPTARE.—Agitur hic de acatholicis seu infidelibus ac hæreticis *formalibus* qui dubiis circa religionem exagitantur.—Thesis ex utraque parte dirigitur contra *Rationalistas* docentes absolutam humanæ rationis autonomiam atque independentiam a Deo Deique supernis revelationibus.

1ª *Pars* expressa invenitur in Litt. Encycl. Pii IX

1—Cf. Encycl. *Satis cognitum* Leonis XIII *de Unitate Ecclesiæ*.

Qui pluribus; ubi edocemur quod "*humana ratio*, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinæ revelationis factum *diligenter inquirat oportet*" etc.—Summa *ratio* est, quia homo jure naturali tenetur præstare Deo verum religionis cultum, juxta illud *S. Thomæ* (II-II[æ], Q. LXXXI, a. 2 ad 3): "De dictamine rationis naturalis est quod homo aliqua faciat ad reverentiam divinam." Immo hoc est potissimum hominis officium erga Deum ac seipsum, germanam religionem noscere sectarique et mentem principiis salutaribus ornare. Atqui quo gravius aliquod officium est, eo majorem diligentiam requirit. Ergo.

2ᵃ *Pars* apparet ex sententia *Conc. Vatic.* (Const. *de Fid.* cap. 3): "Quum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur." Cf. can. 1 *(ibid.)*, et propp. 15, 16, 17 *Syllabi*, ubi *Indifferentismus* proscribitur.

Sane 1⁰ fides expresse a Deo exigitur (1 Joan. III, 23): *Hoc est mandatum ejus ut credamus in nomine Filii ejus, Jesu Christi*, etc; (vid. supra, Q. II, a. 3 de *necessitate fidei*).

2⁰ *S. Thomas* (C. G. l. III, c. 118) intentam veritatem demonstrat ex vi *legis* divinæ, quæ tum *naturalis* tum *positiva* jure intelligitur. Nam "lex divina ad hoc ordinat hominem, ut sit *totaliter subditus Deo.* Sed, sicut homo subditur Deo amando, quantum ad voluntatem, ita subditur Deo *credendo*, quantum ad intellectum: non autem credendo aliquid falsum, quia a Deo, qui est veritas, nullum falsum homini proponi potest; unde qui credit aliquod falsum non credit Deo. Ex lege igitur divina ordinantur homines ad fidem rectam."—*Conf.* ex verbis *Conc. Coloniensis* (Decr. P. S. c. 4): "Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non inferre *injuriam* aut Dei *scientiæ* et *veracitati*, dum eum erroris vel fraudis non expertem innuit; aut Dei *sapientiæ*, dum eum absque consilio agere et loqui opinatur; aut supremo ejus *dominio*, cui se non vult submittere: unde etiam æternæ damnationis reus pronuntiatur."

Solv. obj. (cont. 4[am] concl.)—OBJ. 1.—Privilegium potest legitime recusari. Atqui revelatio divina est privilegium. Ergo.

Resp. *D. M:* Privilegium, qua merus favor...*C;* qua dispositio legalis, *N.—C.d.m:*...scil. est favor tantum, *N;* cum favore importat credendi legem, *C.—Neg. conseq.*

Quemadmodum supremus omnium Dominus naturam nostram sine nobis creatam ligare præceptis naturalibus potuit, ita et eamdem naturam superius evectam potuit præceptis supernaturalibus adstringere [1]. Itaque *donum* fidei etiam rationem *legis* habet.

Obj. 2.—Quod liberum est non obligat. Atqui fides est libera. Ergo.

Resp. *D. M:* Quod liberum est tum a necessitate physica tum a vinculo morali nullo modo obligat, *C;* quod liberum est a necessitate physica, subjicitur tamen vinculo conscientiæ, non obligat moraliter, *N.—C.d.m:*...libera est a vi necessitante ad unum, *C;* ab omni vinculo morali, *N.—Neg. conseq.*

Hæc solutio tangit tam celebratum a modernis incredulis principium de *libertate conscientiæ:* quæ quidem libertas, intellecta eo sensu quod humana conscientia ab omni divinæ legis imperio eximatur, falsa est, Deo injuriosa, religionisque populatrix ac deletrix; unde eam Pius IX merito nominavit *libertatem perditionis* (Encycl. *Quanta cura).*

Obj. 3.—Ratio humana est facultas suprema ac independens. Atqui facultas suprema ac independens nequit sub fidei jugo constringi. Ergo.

Resp. *D. M:...* in quolibet ordine, *N;* in ordine naturali, *S.d:..* i.e. libertate gaudet *exercitii actuum* et *processuum* suorum *C;* independens est *objective* a *vero* immediate vel mediate perspecto ad cujus cognitionem ordinatur, *N.—C.d.m:* facultas undequaque independens...*C;* facultas libera in exercendis suis actibus et processibus, dependens tamen a vero sibi innotescente vel per creaturarum conspectum vel superius per Dei revelationem, *N.—Neg. conseq.*

1—Cajet. in II-IIæ, Q. X, a. 1.

ARTICULUS II.

De consensu fidei et rationis.

Propius inquirenda et stabilienda est harmonia quæ est nec deesse potest inter fidem et rationem, inter revelationem et scientiam.—Id autem præstabitur *in duabus* conclusionibus, prout vel fidem cum *indole* rationis, vel mysteria fidei cum *veritatibus* naturali lumine partis conferamus.

Conclusio 1ª.—RATIONABILE PRORSUS EST CREDERE DOGMATA A DEO REVELATA.

Prob. 1º ex *superioritate divini intellectus.*—Consonum enim rationi est assentire iis quæ, tametsi in se non visa, tamen ab excellentissimo omnium intellectuum ceu vera proponuntur. Atqui hujusmodi sunt veritates fidei revelatæ a Deo, cujus mens in infinitum quamlibet mentem excellentia superat. Ergo " sicut maximæ amentiæ esset idiota qui ea quæ a philosopho proponuntur falsa esse assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea, quæ divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur, ex hoc quod ratione investigari non possunt" (S. Thom. C. G. I, 3).—Huc spectant verba *Pii IX* (Encycl. *Singulari quidem)* circa Rationalistas: " Hi sunt, ait, quibus (Ecclesia) constantissime opponit, æquum esse [1] ut *de cognitione Dei ipsi Deo credamus*, cujus scilicet totum est quod de eo credimus, quia utique ab homine Deus, uti oportet, cognosci non potuit, nisi salutarem sui cognitionem ipse tribuisset. Hi sunt quos ad mentis sanitatem hisce verbis revocare contendit: Quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere [2]? Atque his inculcare non desinit, fidem non rationi, sed auctoritati inniti [3]; nec enim decebat ut, cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tanquam fides ei non haberetur, sed, ut oportuit,

1—Cassian., *de Incarnat.* l. IV, c. 2.
2—S. Bernard., epist. 190.
3—S. Bernard., *de Considerat.* l. V, c. 3.

est locutus quasi rerum omnium maximus judex, cujus non est argumentari, sed pronuntiare [1]."

2⁰ Ex *summa credibilitate* rerum fidei.—Profecto rationi convenit ea credere quæ credibilia esse sufficientia ac plane evidentia argumenta evincunt. Atqui motiva credibilitatis fidei catholicæ hanc evidentiam vimque suasoriam præ se ferunt (cf. C. G. I, 6). Ergo " veritati, cui ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibentes non leviter credunt, quasi *doctas fabulas* secuti, ut 2 Pet. I, 16 dicitur. Hæc enim divinæ sapientiæ secreta ipsa divina sapientia, quæ omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quæ sui præsentiam et doctrinæ et inspirationis veritatem *convenientibus argumentis* ostendit, dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quæ totius naturæ superant facultatem " *(ibid.)*.—Rursus *Pius IX* (Encycl. *Qui pluribus*) : " Itaque humana ratio, ex splendidissimis hisce æque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium præbeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit."

3⁰ Ex *necessitate universali fidei*.—Non minus rationabile est loquenti Deo quam hominibus, cognatis, concivibus, magistris, fidenter credere. Jamvero sine fide verbo ac testimonio hominum adhibita, nec domestica, nec civilis, neque ulla unquam societas consistere posset ; imo ipsæ humanæ disciplinæ apud plures periclitarentur [2].—Ad rem *S. Thomas* (Opusc. VI, *in Symb.* c. 1) : " Si homo nollet credere nisi ea quæ cognosceret, certe non posset vivere in hoc mundo : quomodo enim aliquis vivere posset, nisi crederet alicui ? Quomodo etiam crederet quod talis esset pater suus ? Et ideo est necesse quod homo credat alicui de iis quæ perfecte non potest scire per se, sed nulli est credendum sicut Deo. Et ideo illi qui non credunt dictis fidei, non sunt sapientes, sed

1—Lactant., *Div. Institut.* l. III, c. 1.
2—Cf. Balmès, *Le Protest. comp. au Cathol.*, Vol. I, c. 5.

stulti et superbi, sicut dicit Apostolus (1 Tim. VI, 4) : *Superbus est, nihil sciens.*"

Conclusio 2ª. — MYSTERIA FIDEI NEQUAQUAM PUGNANT CUM VERITATIBUS RATIONALIBUS.

Id 1° multipliciter probari potest (C. G. I, 7) :

a) Ex *rei natura.*—" Ea enim quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare ; nec id quod fide tenetur, quum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur *solum falsum vero contrarium est*, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse" *(l. cit.)*.

b) Ex *præcontinentia fidei* et *rationis in Deo.*—" Illud idem, quod inducitur in animam discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte ; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. *Quidquid* igitur *principiis hujusmodi contrarium* est, *est divinæ sapientiæ contrarium*, non igitur a Deo esse potest. Ea igitur quæ ex revelatione divina per fidem tenentur non possunt naturali cognitioni esse contraria " *(ibid.)*.

c) Ex *communi fidei rationisque subjecto.*—" Ea quæ sunt naturalia mutari non possunt, natura manente ; *contrariæ* autem *opiniones simul eidem inesse non possunt ;* non igitur contra cognitionem naturalem aliqua opinio vel fides homini a Deo immittitur " *(ibid.)*.

d) Ex *absurdo.*—" Contrariis rationibus intellectus noster ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat. Si igitur contrariæ cognitiones nobis *a Deo* immitterentur, ex hoc *a veritatis cognitione intellectus noster impediretur ;* quod a Deo esse non potest " *(ibid.)*.

Coroll.—" Evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei argumenta ponantur, hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis non recte procedere. Unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes *probabiles* vel *sophisticæ* ; et sic ad ea solvenda locus relinquitur " *(ibid.)*.

2° Hæc confirmavit novisque auxit consequentiis *Conc. Vatic.* (Const. dogm. *de Fid. cath.* c. 4) : " Etsi fides sit supra

rationem, *a)* nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere.—*b)* Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur.—*c)* Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus.—*d)* Porro Ecclesia, quæ, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino."—Cf. prop. 6ª damnata in *Syllabo.*

Solv. obj.—Obj. 1.—Id cum ratione nequit concordare quod nativæ ejus *indoli* repugnat. Atqui credere repugnat indoli rationis, cujus est inquirere et in evidentia quiescere. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m*:... credere ea quæ naturaliter sunt demonstrabilia secundum intrinsecæ evidentiæ lucem, *Trans;* ea quæ, captum rationis excedentia, extrinseca tantum credibilitatis evidentia nunc illustrari possunt, *S.d*: ea credere sine sufficienti motivo credibilitatis ... *C;* cum tali motivo sufficienti, *N.—Neg. conseq.*

Ratio ipsa bene ordinata dictat exquirendam esse illam evidentiam cujus unumquodque objectum cognoscibile impræsentiarum sit capax: hinc in scientiis mere naturalibus prosequi certo licet evidentiam *intrinsecam;* in mysteriis fidei vero non alia quam *extrinseca* evidentiæ claritas legitime exspectari potest.—Cæterum fides hujus vitæ, quasi præambula quædam mentis institutio, via est ad plenam beatitudinis lucem ac visionem.

Obj. 2.—Fides de mysteriis convenit tantum rationi non-

dum ab infantiæ cunabilis egressæ. Atqui scientiarum progressu jam humana mens succrevit atque adolevit. Ergo.

Resp. *D. M:* Fides secundum se sumpta...*N;* fides illa quam nondum theologicæ disquisitiones illustrant, *C.* — *D.m:*...et ideo plura præ manibus habet subsidia quibus veram fidem confirmet, *C;* non amplius ei convenit fidem hanc profiteri, *N.—Neg. conseq.*

Nulla sane est rationis ætas qua licitum sit fide supersedere, sicuti nullus est scientiæ progressus quo mysteria nobis his in terris pervia fiant [1]. Quamobrem singulorum sæculorum historia memorat robustiora ingenia, quæ fidem simplicium fidelium amplecti ac confiteri non erubuerunt.—Ast scientiarum artiumque cultura atque incrementa id efficiunt ut plura præsto sint, ex quibus fides contra incredulos muniri ac illustrari valeat, uti v. g. inventa archæologica ostendunt.

Obj. 3.—Fides, cui docti permulti refragantur, nequit esse rationi consona. Atqui permulti docti viri hodiernæ ætatis fidem rejiciunt. Ergo.

Resp. *D. M:*...cui docti refragantur vi ipsius scientiæ legitime excultæ...*C;* cui refragantur aut ex præjudiciis, aut ex ignorantia rerum religiosarum, aut ex superbia mentis vitæque inhonestæ obstaculis, aut ex abusu scientiæ ultra principiorum suorum limites abreptæ, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

De ope quam fides præstat rationi.

" Frequens ac solemnis est, ait Perrone [2], ab *incredulis* et rationalistis in christianam fidem impacta calumnia, ex ea nimirum humanæ rationis evolutionem ac perfectibilitatem præpediri, ejusque vim sub fidei jugo opprimi omnino atque elidi. Nec ab iis fere discrepant *Protestantes,* qui quamvis fidem, privato nimirum cujusque judicio innixam, admittant, omnes tamen in Ecclesiam catholicam insurgunt, quod ista,

1—Vid. infra, art. 5.
2—*De Analogia rationis et fidei,* S. I, cap. II, art. 2, prop. 2.

dum fidem ex principio repetit auctoritatis, *obscurantismum*, quem vocant, foveat scientiarumque omnium progressus retardet."—Occasio est ostendendi quot quantaque bona fides rationi humanisque scientiis impertiat.

Præaudiatur vox *Leonis XIII* (Encycl. *Æterni Patris)*: "Merito, inquit, Vaticana Synodus præclara beneficia, quæ per fidem rationi præstantur, his verbis commemorat: Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit[1]. Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignæ potius Deo gratiæ essent habendæ, vehementerque lætandum, quod, inter multas ignorantiæ causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit quæ, quasi sidus amicum, citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat."

Conclusio 1ª.—FIDES IN PRIMIS RATIONEM DITAT PRETIOSISSIMO COGNITIONUM SUPERNATURALIUM THESAURO.

1º Etenim Deus per revelationem suam, veluti januam mundi inexplorati aperiens, nobis patefecit *novas* veritates multaque tum de seipso, tum de Angelis, tum de hominibus recondita mysteria, puta Trinitatis, Incarnationis, gratiæ, etc, quæ nunquam ratio humana per se vel suspicari potuisset.—Porro hæ veritates, quæ cum ipsa Divinitatis natura connectuntur nobilemque ordinis supernaturalis œconomiam pandunt, *dignitate* sua in infinitum excedunt quæcumque in scientiis humanis demonstrentur.—Nec quibusdam tantum doctis ac privilegiariis cognitio fidei convenit, sed *ad omnes* indiscriminatim suæ lucis radios diffundit; in quo disciplinis humanis certe præeminet.

2º Huc spectant quæ habet *D. Thomas* (C. G. I, 5). Ubi refert Aristotelis dicta "quod homo debet se ad immortalia et divina trahere quantum potest...quod, quamvis parum sit quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum et desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus;" unde subdit ipse Angelicus: "Apparet quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ confert. Et ideo, quamvis ea quæ supra rationem sunt, ratio

1—Const. dogm. de Fide cath. c. 4.

humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquirit, si saltem ea qualitercumque teneat fide."

Conclusio 2ᵃ.—ETIAM IN ORDINE NATURALI FIDES RATIONI MULTIPLICI ADJUMENTO EST.

Revera 1° plurimas Deus veritates naturales cum supernaturalibus humano generi revelavit. Porro, ut demonstrat *D. Thomas* (C. G. l. I, c. 4), nisi naturalium illorum dogmatum certitudo divinitus nobis affulsisset, *pauci* admodum homines, plerisque natura, vitæ necessitatibus vel desidia impeditis, nec nisi post *longum tempus*, attentis doctrinæ passionumve obstaculis, neque sine frequenti *erroris admixtione* ad notitiam divinorum præsertim ac moralium intelligibilium ex se pervenirent. Magna ergo fuit fidei in rationem collata utilitas per hoc quod Deus ipsa vera naturalia hominibus addiscenda proponeret.

2° *Historia* luculenter id confirmat. "Sane, ait *Leo XIII* (Encycl. *Æterni Patris*), philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam sæpe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderint de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis æternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium."—Revelante autem Deo, fidei lux mentes revocavit ab innumeris pene errorum illorum formis: videl. (in ordine *theoretico*) a *scepticismo*, a *dualismo*, *pantheismo* et *polytheismo*, a *materialismo* et *fatalismo*, etc.; (in ordine *morali*) a *stoïcismo* et *sensualismo*, a *socialismo* pagano quo Status omnipotens universa fere jura *individualia* absorbebat, ab erroribus de *societate domestica* et *civili*, quibus grassantibus matrimonii unitas et indissolubilitas, vis sacra legum legitimæque libertatis principia tam turpiter conculcabantur. Uno verbo ratio humana per fidem in pristinum honorem, sibi peccato ademptum, restituta est.

Conclusio 3ᵃ.—FIDEI INFLUXUS IN SCIENTIAS, LITTERAS ET ARTES, MIRIFICE EXSERITUR.

1° *Influxus in scientias.*—Hujus influentiæ ratio multiplex colligitur. *a)* Legimus (Prov. XVI, 16): *Posside sa-*

pientiam, quia auro melior est; et (3 Reg. IV) laudatur et extollitur Salomonis sapientia cum moralis et philosophica, tum zoologica et naturalis. Certe nunquam Ecclesia destitit scientiæ *laudes* efferre ad eamque excolendam homines hortari, non solum quia per illam naturæ auctor Deus celebratur, verum etiam quia scientiæ cultu nobilitatur humana mens vitæque bonum ac commodum promovetur. Legitur in *Conc. Vat.* (Const. *de Fid.* c. 4): "Tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere."—*b)* Secundo, Theologia seu scientia fidei principatu quodam in omnes scientias humanas potitur; unde, juxta *D. Thomam* (I, Q. I, a. 6), ad illam pertinet "judicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum." Est igitur fides scientiarum *regina* et moderatrix.—*c)* Tertio, ex una parte dogmatum revelatio, puta Incarnationis, Eucharistiæ, lucem non parvam certis problematibus metaphysicis affudit; ex altera parte, quot in Scripturis reperiuntur utilia non solum Historiæ, chronicæ ac philosophicæ, sed insuper Ethnologiæ, Geographiæ, aliisque disciplinis naturalibus!—*d)* Amplius, fides in suî tutelam, expositionem ac ornamentum advocat universas fere scientias, philosophiam, historiam [1], physiologiam, archæologiam, etc, (v. art. seq.); quin prætereamus parallela studia ab ipsis adversariis, impugnandæ fidei occasione, suscepta.—*e)* Tandem Ecclesia semper et quam maxime sollicita fuit de *promovenda* scientiarum cultura; quod eloquenti suffragio comprobant tum permulta Doctorum ac scriptorum ecclesiasticorum monumenta, tum Academiæ ac Universitates quas per tot jam sæculorum spatia Romani Pontifices in plerisque regionibus constituere zelati sunt, tum diligens atque

1—Leo XIII, qui prius dederat Litt. Encycl. *Æterni Patris* ad promovenda studia *philosophica*, postea edidit et Encycl. *Sæpenumero considerantes* de studiis *historicis*, et Encycl. *Providentissimus Deus* de studiis *biblicis*.

indefessa catholicorum antistitum cura in erigendis, cum Seminariis, gymnasiis philosophicis ac scientificis.

2º *Influxus in litteras et artes.—a) Leo XIII* (Brev. *Plane quidem* [1]), exposita ad mentem catholicam nobilitate atque utilitate *litterarum*, eleganti pagina complexus est quæ Ecclesia in illarum profectum contulit: " Ecclesia catholica, inquit, quemadmodum cætera quæ honesta sunt, quæ pulchra, quæ laudabilia, ita etiam humanarum litterarum studia tanti semper facere consuevit quanti debuit, in eisque provehendis curarum suarum partem non mediocrem perpetuo collocavit. Revera sancti Ecclesiæ Patres, quantum sua cuique tempora siverunt, exculti litteris omnes: nec in eis desunt qui tantum ingenio et arte valuerunt, ut veterum romanorum græcorumque præstantissimis non multum cedere videantur. Similiter hoc summum beneficium Ecclesiæ debetur, quod libros veteres poetarum, oratorum, historicorum latinos græcosque magnam partem ab interitu vindicavit. Et, quod nemo unus ignorat, quibus temporibus bonæ litteræ vel per incultum et negligentiam jacerent, vel inter armorum strepitus Europa tota conticescerent, in communibus monachorum ac presbyterorum domiciliis unum nactæ sunt ex tanta illa turba barbariaque perfugium... In tam longo Pontificum ordine vix reperiatur, cui non debeant litteræ plurimum. Providentia enim munificentiaque illorum, cupidæ litterarum juventuti passim scholæ et collegia constituta; bibliothecæ alendis ingeniis paratæ; jussi Episcopi ludos aperire in Diœcesibus litterarios; eruditi viri beneficiis maximisque propositis præmiis ad excellentiam incitati," etc.— *b)* Non minus Ecclesiæ Pontifices atque antistites meriti sunt de *bonis artibus*, scil. de pictura, architectura, statuaria, quibus provehendis impensam sæpe dederunt operam, quæque ex ipsis fidei mysteriis cultuque catholico nobiliorem ducunt suæ culturæ alimoniam. Pulchrum enim, quo divinius, eo præstantius est [2].

Solv. obj.—Obj. 1.—Fides auctoritate nititur. Atqui prin-

1—*De studiis humaniorum litterarum.*

2—Tractationem illam longius persequi nostrum non est, sed ad *Apologistas* pertinet.—Cf. Balmès, *Le Protestantisme comparé au Catholicisme;* Chateaubriand, *Le Génie du Christianisme*, etc.

Mgr. Gibier.

cipium auctoritatis ingenia comprimit ac inermia facit. Ergo.

Resp. *C. M.—D. m* :...auctoritatis quæ prohibeat omnem scientificum processum, *C;* quæ tantum ingenia coercet in credendis iis quorum natura mentibus creatis impervia est, *N.—Neg. conseq.*

Principium *auctoritatis*, quo subnititur fides, nedum libertati humanæ mentis officiat, eam potius perficit ac tuetur multa vera certaque constituendo limitesque petulantibus ac temerariis ingeniis figendo, juxta illud Christi (Joan. VIII,32) : *Veritas liberabit vos.*—Cæterum, ubi scibilia nullo cum fide vinculo nectuntur, apertus campus legitimis scientiæ disquisitionibus relinquitur, tacente vel approbante Ecclesia.

Obj. 2.—Ecclesia per *Indicem* multos libros lectioni subtrahit. Atqui hæc prohibitio diffusioni scientiarum manifeste adversatur. Ergo.

Resp. *D. M* :...libros mere scientificos, *N* ;...in quibus fidei morumque bona, bono scientiæ longe præstantiora, offenduntur, *C.— C.d.m :* prohibitio librorum mere scientificorum adversaretur scientiæ, *C ;* prohibitio librorum offendentium fidem et mores, *S.d :* si nemini prorsus nullaque sub conditione permissio eos legendi detur, *Trans ;* supposita, quandocumque expediat, hac permissione, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Inde a Reformatione sæc. XVI, scientiæ et artes novum veluti impulsum acceperunt. Atqui Reformationis proprium id fuit ut rationem a fidei jugo emanciparet. Ergo.

Resp. *D. M :*...scientiæ principaliores, quales sunt Theologia scolastica et philosophia, *N ;* scientiæ inferiores et artes, *S.d :* et hujus progressus nullum principium ante Reformationem exstitit, *N ;* cum Reformatione coïncidit nova quædam impulsio studiorum experimentalium, litterarum et artium, non Reformationi ipsi, sed variis aliis causis tribuenda, *C.—D.m :* et in hoc progressum scientiæ adjuvit, *N ;* scientiis præsertim philosophicis nocuit, *C.—Neg. conseq.*

Quatuor notabimus.—1° *Excellentiores scientiæ*, uti Theol. scolastica, philosophia theoretica et moralis, longe ante Reformationem et in media ætate gloriæ fastigium attigerant, a quo dein, auctore partim protestantismo, delapsæ sunt, et ad quod nunc, Leonis XIII opera, feliciter revocantur.—2° Igitur non in illis nobilioribus disciplinis, sed in *inferioribus* scientiis artibusque excolendis Protestantes quamdam sibi

eruditionis progressusque laudem meruerunt. — Neque 3° eruditionis illa atque scientiarum præsertim experimentalium progressio jure potest ipsi Reformationi attribui, sed variis aliis causis, scil. faciliori populorum commercio, novi orbis explorationi, detectioni artis typographicæ, diversisque inventionibus, etc.—Unde 4° in illis modernorum studiis, scil. chimicis, physicis, criticis, philologicis, archæologicis, etc, multi catholici etiam e clero excelluerunt atque excellunt [1].

ARTICULUS IV.

De ope quam ratio susceptæ fidei præstare potest.

Vaticana Synodus, disserens de mutua fidei rationisque habitudine, hæc habet (Const. *de Fid.* c. 4) : " Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat ; " etc.—Propositum est ostendere quid subsidii ratio, jam lucente revelatione, fidei exhibere valeat.

Conclusio. — RATIO, SUFFICIENTER EXCULTA, EFFICACI OPERA POTEST FIDEI CHRISTIANÆ SUBSIDIARI. — Duo præsertim rationis munia exerceri possunt in gratiam fidei illustrandæ ac defendendæ.

Et 1° potest ratio *inquirere in fundamenta religiosæ veritatis eaque tueri.*

Jam enim supra (art. 1) ostensum est rationi officium incumbere expediendi viam ad fidem, quatenus demonstret revelationis factum veramque Christi Ecclesiam, de cujus ore veritas, definita ac sancita, accipienda est. Porro hæc duo præstari, ut par est, non possunt, nisi perspecta atque explorata auctoritate ac natura *Librorum Sanctorum* quibus depositum revelationis, una cum plerisque credibilitatis motivis, principaliter continetur, et e quibus Ecclesiæ institutio ac magisterium infallibile plane demonstrantur. Ad rem *Leo*

1—Vid. plura ap. Perrone, *loc. cit.*

XIII (Encycl. *Providentissimus Deus*): "Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiæ in auctoritate etiam Sacræ Scripturæ consistit, hujus propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est; quibus ex libris, tanquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiæ hierarchicæ institutio, primatus Petro et successoribus ejus collatus, in tuto apertoque collocentur." Id fieri solet in ea theologica disciplina quæ vocatur *Introductio ad Sacram Scripturam*; quod quidem ut rite peragatur, necnon ut fidei dogmata genuino sensu e fonte biblico depromantur, Summus Pontifex (*Encycl. cit.*) apprime commendat studium linguarum veterum orientalium, artis criticæ, ipsarumque scientiarum naturalium. Unde patet quantum auxilium ratio, scientifico illo apparatu munita, possit fidei adhibere.

2º Multiplex adhuc requiritur rationis usus *ut Sacra Theologia naturam habitumque veræ scientiæ induat.*— In mente nobis non est hic inquirere an et quomodo Theologia sit veri nominis scientia; hæc namque disceptatio proprie ad *Theol. fundamentalem* pertinet. At recolere breviter volumus quantum commodum doctrina fidei, ad tractationem scientificam evehenda, ex ratione humana capiat.

a) Ratio in primis *veritates fidei scientifice coordinat.* Ait enim *Leo XIII* (Encycl. *Æterni Patris*): "In hac nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quæque locis convenienter dispositæ, et ex propriis principiis derivatæ, apto inter se nexu cohæreant; demum ut omnes et singulæ suis iisque invictis argumentis confirmentur."—Hoc autem ex parte humanæ mentis manifeste requirit penitiorem *Logicæ* notitiam, paremque peritiam in arte *Exegetices biblicæ*, non omissa eruditione *patristica.*

b) Ratio quoque *dogmata fidei declarat atque fecundat.* Pergit *R. P.* (*ibid.*): "Nec silentio prætereunda, aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quæ creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa

Vaticana Synodus [1] fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitæ fideique studio ingenium conjungunt *philosophicis* disciplinis expolitum, præsertim cum eadem Synodus Vaticana doceat ejusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscuntur, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo peti oportere [2]."

c) Ratio tandem *veritates religiosas contra adversarios quoscumque defendit.* Rursus *Leo XIII (ibid.)*: "Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem, magna est philosophiæ laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur... Protecto sicut inimici catholici nominis, adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiæ penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare. Neque mediocriter in eo triumphare fides christiana censenda est, quod adversariorum arma, humanæ rationis artibus ad nocendum comparata, humana ipsa ratio potenter expediteque repellat."

3° Quæ huc usque de theologico rationis ac philosophiæ usu ex verbis ipsis Supremi Ecclesiæ Doctoris proposuimus, miram ex *historia Theologiæ* confirmationem suscipiunt. Nam, subdit idem Pontifex *(Encycl. cit.)*, "primi Ecclesiæ Patres et Doctores, qui satis intellexerant, ex divinæ voluntatis consilio, restitutorem humanæ etiam scientiæ esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia [3] et *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* [4], veterum sapientium libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere; prudentique delectu quæ in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt."

a) Hinc primo nominantur *Apologetæ (ibid.)* "qui, fide

1—Const. dogm. de Fid. cath. c. 4.
2—Const. et c. cit.
3—1 Cor. I, 24.
4—Coloss. II, 3.

præeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt" ad defendendam contra *gentiles* veræ religionis fideique *existentiam*; inter quos fuerunt *S. Justinus*, *S. Irenæus* aliique, maxime *Clemens Alex.*, de cujus disputationibus dixit S. Hieronymus (Epist. ad Magn.): "Quid in illis indoctum? Imo quid non de media philosophia est?" "Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiæ historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima" *(Encycl. cit.)*.—Inter *Patres*, qui fidei *sinceritatem* præcipue contra *hæreticos* tuiti sunt, "palmam præripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio præpotens, et sacris profanisque studiis ad plenum imbutus, contra omnes suæ ætatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiæ locum non attigit; imo vero quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet; sive cum, Academicorum aut Manichæorum commentis deletis, humanæ scientiæ fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et æternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit?" *(loc. cit.)*

b) Fide sic sufficienter firmata, in media ætate Doctores *Scholastici* aggressi sunt doctrinas Scripturæ Patrumque libris diffusas diligenter congerere, ad formam *magis scientificam* reducere, intimiusque *perscrutari*. Quo quidem in opere quantam utilitatem sana philosophia præstaverit, nemo vel novitius in re theologica ignorare potest.—Jamvero inter omnes scholasticos Doctores longe eminet *Thomas Aquinas* tum ingenii acumine rerumque naturalium ac philosophicarum notitia, tum methodi claritudine verborumque perspicuitate, tum principiorum altitudine, amplitudine et profunditate quæ infinitarum fere veritatum semina continent aptasque responsiones ad omnes profligandos errores suppeditare queunt. Excelluit quidem S. Thomas in applicandis doctrinis Aristoteleis, convenienter limatis, ad fidei expositionem

atque defensionem. Unde *Leo XIII* (Brev. *Cum hoc sit*)[1], revocata necessitate harmoniæ fidem inter et rationem, addit: "Cujus convenientiæ mirabilisque concordiæ cunctis beati Thomæ scriptis expressa imago perspicitur. In his enim excellit atque eminet modo intelligentia, quæ quod vult, fide præeunte, consequitur in pervestigatione naturæ; modo fides, quæ rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen ut suam quæque inviolate teneat et vim et dignitatem; atque, ubi res postulat, ambæ quasi fœdere icto ad utriusque inimicos debellandos conjunguntur." Et (Encycl. *Æterni Patris*) perbelle describitur mutua illa fidei rationisque habitudo, adeo ut "ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta jam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari quam quæ jam est per Thomam consecuta."

c) Non diffitemur nobilem illam Scholasticorum sapientiam, labentibus sæculis, adnitentibusque Novatoribus sæc. XVI[2], quibus ea in re plurimi catholici novitatum cupidi consenserunt, quodammodo consenuisse et in despectu habitam fuisse; ex quo schisma quoddam inter rationem et fidem ortum est.—Nihilominus ratio catholica plura adhuc et egregia edidit opera in tutelam christianæ religionis; majori quoque studiorum cura disciplinæ historicæ, criticæ, exegeticæ, excultæ sunt, donec tandem Leo XIII, divino ductus spiritu, thomisticam philosophiam in pristinum decus revocaret.—Hanc autem Summus Pontifex se profitetur (Encycl. *Æterni Patris*) pluribus ex motivis restaurare: 1° ut adolescentes, præsertim ii qui in Ecclesiæ spem succrescunt, mature assuescant religionis causam fortiter sapienterque agere; 2° ut adversarii, quorum dux ratio est, perspecta fidei cum ratione concordia, præjudicia erroresque suos deponant; 3° ut, per solidam S. Thomæ sapientiam, *domesticæ civilique* ipsi *societati* efficaciter consulatur; 4° quia non solum *bonæ artes* a sana philosophia modum spiritumque sortiuntur, verum etiam quia et ipsæ *physicæ disciplinæ* plurimum

1—Per hoc Breve declaratus est S. Thomas *patronus scholarum catholicarum.*
2—Cf. Perrone, *op. cit.* cap. I.

præsidii ab illa exspectare possunt in agnoscendis rerum corporearum naturis investigandisque legibus et principiis.

Patet igitur quam altum locum humana ratio ac scientia in fidei defensione et mente Ecclesiæ teneat.

ARTICULUS V.

De limitibus quibus humana ratio contineri debet.

Præsupponimus jam in Theol. fundamentali demonstratam mysteriorum existentiam contra Rationalistas, nec nisi de *abusu* rationis in rebus fidei pertractandis agere nunc consilium est.—Duo proponemus, unum quidem *generalius* quo propria rationis ad fidem habitudo definiatur, aliud *specialius* magisque illius habitudinis determinativum.

Conclusio 1ª.—RATIONIS HUMANÆ HABITUS ATQUE OFFICIUM IN TUENDA AUT TRACTANDA FIDE NON EST DOMINÆ, SED ANCILLÆ.

Id explicite docuit *Pius IX* (Encycl. *Singulari quidem),* ubi ait : " Humanæ artis peritia, si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus *magisterii* sibi arroganter arripere, sed veluti *ancilla* dominæ quodam famulatus obsequio subservire, ne si præcedit oberret, et dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen amittat, et rectum veritatis tramitem perdat." [1]—Cf. *Conc. Vat.* (Const. *de Fid.* cap. IV).

Re quidem vera, aut agitur de mysteriis proprie dictis rebusque supernaturalibus, aut de veritatibus philosophicis et naturalibus, humano perviis intellectui. Atqui utraque ex parte repudianda est independentia, quam quidam neoterici vindicant, rationis a fide. Ergo. *Min. decl.* ex *Leone XIII* (Encycl. *Æterni Patris)*:— 1º *Quoad mysteria;* legitur enim: " Ut pretiosis hisce, quos memoravimus, afferendis fructibus par philosophia inveniatur, omnino oportet, ut ab eo tramite nunquam deflectat, quem et veneranda Patrum antiquitas ingressa est, et Vaticana Synodus solemni aucto-

1—Petr. Dam., Opusc. 36, cap. 5.

ritatis suffragio comprobavit. Scilicet cum plane compertum sit plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quæ cujuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriæ infirmitatis conscia, majora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat, in morem ancillæ et pedissequæ, famulari cœlestibus doctrinis, easque aliqua ratione Dei beneficio attingere."—2º *Quoad veritates naturales*; nam dicitur *(ibid.)*: "In iis autem doctrinarum capitibus, quæ percipere humana intelligentia naturaliter potest, æquum plane est sua methodo suisque principiis et argumentis uti philosophiam; non ita tamen ut auctoritati divinæ sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet ea quæ revelatione innotescunt certa veritate pollere, et quæ fidei adversantur pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis jura violaturum si conclusionem aliquam amplectatur, quam *revelatæ doctrinæ repugnare* intellexerit... Qui philosophiæ studium cum obsequio fidei christianæ conjungunt, ii optime philosophantur; quandoquidem *divinarum veritatum splendor*, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam; cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed *nobilitatis, acuminis, firmitatis* plurimum addit." [1]

Conclusio 2ª.—ERGO NON LICET HUMANÆ RATIONI SE IN JUDICEM NORMAMQUE DOGMATUM FIDEI ERIGERE, NEQUE CONFIDERE SE PROGRESSU SCIENTIARUM DIVINA MYSTERIA INTIME PERSCRUTARI POSSE.—Hæc prop. quasi consectarium ex præcedente deducitur.

1ª *Pars* ostend.—1º Illa facultas nequit esse judex ac

1—Huc spectant propp. sequentes *Syllabi* ab Ecclesia damnatæ:—8ª *Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt*;—10ª *Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest neque debet ulli sese submittere auctoritati*;—11ª *Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat*;—14ª *Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.*—Cf. Epist. Pii IX ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 1862.

norma objectorum fidei, quæ dogmatum supernaturalium *naturam* neque ante, neque post revelationem, potest adæquate intelligere. Atqui ratio humana, etiam post revelationem, non valet naturam mysteriorum adæquate intelligere. Ergo [1].—2° Semel ac potestas metiendi et judicandi dogmata rationi concederetur in locum infallibilis magisterii Ecclesiæ, actum esset de toto fidei systemate. Quippe *a)* nec certo constare posset de Scripturarum canone ; *b)* neque credenda a non credendis firma auctoritate secernerentur ; *c)* unde fides, subjectivæ tantum cujusque persuasioni innixa, nutaret atque, dissoluta unitate, in diversa scinderetur.—Sed hæc magis proprie ad Tract. *de Ecclesia* et *Regula fidei* pertinent [2].

Corollarium unum adnotabimus de *Protestantismo* ; nimirum systema Protestantium, in libero rationis individualis examine fundatum, cum *logice* tum *historice* ducit ad Rationalismum. *Logice* quidem : eo quod principio rationalistico nititur ; *historice* vero, quia de facto constat pleraque fidei catholicæ dogmata fuisse apud Protestantes vel negata vel adulterata : quæ subversio radicalior in dies evadit, præsertim ubi religio non est Statui adsociata [3].

2ª *Pars* definita est a *Conc. Vat.* (IV, can. 1) : "Si quis dixerit...universa fidei dogmata posse per rationem *rite excultam* e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, A. S." Cf. prop. 9 *Syllabi*.

Sane, quæ *specifica* ac *essentiali* distantia excedunt objectum connaturale intellectus creati nullo prorsus, quantumvis perfecto, scientiarum naturalium ac rationalium progressu possunt a nobis secundum naturam suam capi. Atqui mysteria esse hujusmodi, intelligenti terminos plane liquet. Ergo.—Apprime rem confirmat *D. Thomas* (C. G. I, 8) : " Considerandum videtur, inquit, quod res quidem sensibiles, ex quibus humana ratio cognitionis principium sumit, aliquale vestigium in se divinæ imitationis retinent, vid. quod sunt et bonæ sunt, ita tamen imperfectum quod ad declarandam

1—Cf. *de Deo*, Disp. VIII, Q. IV, a. 1.

2—Huc facit damnata *Syllabi* prop. 4ª : *Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant : hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.*

3—Cf. Perrone, *op. cit.* c. III, a. 2, prop. 2.

ipsius Dei substantiam *omnino insufficiens invenitur.* Habent enim effectus suarum causarum, suo modo, similitudinem, quum agens agat sibi simile; non tamen effectus ad perfectam agentis similitudinem semper pertingit. Humana igitur ratio, ad cognoscendum fidei veritatem, quæ solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere; quæ tamen non sufficiunt ad hoc quod prædicta veritas quasi *demonstrative* vel *per se intellecta* comprehendatur. Utile tamen est ut in hujusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exerceat, *dummodo desit comprehendendi* vel *demonstrandi præsumptio;* quia de rebus altissimis, etiam parva et debili consideratione, aliquid posse conspicere jucundissimum est." [1]

1—De toto hujus quæstionis V argumento cfr., si lubet, opusc. quod edidimus sub titulo: *La Foi et la Raison en elles-mêmes et dans leurs rapports.*

DISPUTATIO SEPTIMA

QUÆSTIO UNICA

DE SPE THEOLOGICA

Eleganter *Gonet* tractatum de spe his verbis orditur: "Quemadmodum fides est *regula* intellectus illumque continet et moderatur, ne circumferatur omni vento doctrinæ et ad varias errorum syrtes ac scopulos illidatur, ita spes est *anchora* [1] voluntatis, eam firmam et fixam tenens, ne inter procellas et tempestates hujus vitæ fluctuet, æstuque veluti quodam abreptus humanus animus ab optato cursu deviet, atque cœlestis beatitudinis prosecutione desistat." Hinc idem auctor spem nominat *pedem* animæ, cui tota innititur et quo subsistit et incedit; alii eam comparant *alæ* potentissimæ, quæ fragiles animos ad superna erigit.

Nos documenta *S. Thomæ* (Q. XVII-XIX) sub uno doctrinarum capite concludentes, consueta brevitate, nobilissimam illam virtutem lectori indagandam proponemus sequenti ordine.—Spes considerari potest tripliciter: primo quidem *in se*, sive sub ratione absoluta virtutis, tum quoad objectum *formale* (art. 1) tum quoad objectum *materiale* (art. 2), sive sub ratione virtutis *theologicæ* (art. 3); secundo ex parte *subjecti* (art. 4); tertio secundum *proprietates* quibus gaudet, quæque esse possunt vel certitudo et necessitas (art. 5), vel honestas compossibilis cum perfectione caritatis (art. 6).

1—Heb. VI, 19.

ARTICULUS I.

Utrum spes sit virtus et quonam motivo formali nititur.

(Q. XVII, a. 1 et 4)

Plura sunt *præobservanda.*—1° *a)* Nomine spei communiter intelligitur expectatio futuri boni. Bonum autem speratum potest esse vel *sensibile* vel *spirituale ;* consequenter alia est spes quæ continetur inter passiones appetitus sensitivi, alia vero quæ ad appetitum rationalem seu ad voluntatem pertinet. Porro spes voluntatis potest esse aut *naturalis* aut *supernaturalis:* de spe supernaturali et theologica nunc agimus.—*b)* Spes autem hoc sensu multipliciter in Scripturis accipitur: nempe pro *rebus speratis* (Tit. II, 13): *Expectantes beatam spem ;* pro *eo in quo* speramus (Ps. XXI, 10): *Tu es... spes mea ab uberibus matris meæ ;* proprius pro *actu* sperandi (Job. XIX, 27): *Reposita est hæc spes mea in sinu meo ;* necnon pro *habitu* (1 Cor. XIII, 13).

2° Ad notionem virtutis spei distinctius enucleandam, proderit referre ex *D. Thoma* (I-II^{æ}, Q. XL, a. 1-2) definitionem spei, in quantum est *passio.* Spes istiusmodi est " motus appetitus sensitivi in bonum, futurum, arduum, possibile adepti." Ubi quatuor accipiantur : quatenus spes est de *bono,* differt a timore qui est de malo ; quatenus est de bono *futuro,* differt a gaudio vel delectatione quæ est de bono præsenti ; quatenus fertur ad bonum *arduum,* differt a desiderio vel cupiditate quæ est de bono futuro absolute ; quatenus tandem arduum illud est *adeptu possibile,* differt spes a desperatione.—Hinc spes theologica, futura bona supernaturalia ex Dei largitate expectans, definiri potest : *Virtus divinitus infusa, per quam bona æternæ vitæ auxilio divino obtinenda confidimus.* Veritas hujus descriptionis ex dicendis apparebit.

def.

3° Quamvis omnes theologi concedant spem esse virtutem auxilio Dei suffultam, non omnes tamen una voce explicant *motivum* ejus *formale* (seu objectum formale *quo). a)* Quidam docent cum *Suarez* motivum illud formaliter consistere in *bono divino respectivo* seu relato ad nos, dum caritas pro objecto formali habet bonum divinum absolutum ; *b)* alii cum *Mazzella* ex æquo dividunt motivum formale spei, ita ut

partim dicatur *bonitas Dei respectiva,* partim ejus *virtus auxiliatrix ; c)* alii hisce duobus addunt *fidelitatem Dei in promissis.*—Quid vero *S. Thomas* reapse sentiat, post conclusionem præambularem de virtute spei, sincero calamo aperire conabimur.

Conclusio 1ª. — SPES CHRISTIANA EST VIRTUS ; LICET, PROUT EST INFORMIS, MODUM PERFECTÆ VIRTUTIS NON HABEAT.

1ª *Pars* prob.—Nam 1º ille habitus virtuosus est cujus actus conformatur legi divinæ. Atqui actus spei conformatur legi divinæ : tum quia de illo datur præceptum (Ps.XXXVI,3) *Spera in Domino, et fac bonitatem ;* tum quia per illum sanctificamur et salvamur (1 Joan. III, 3) *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se,* et (Rom. VIII, 24) *Spe salvi facti sumus.*—2º Cuilibet actui bono hominis respondere debet aliqua vis seu virtus proportionata a qua prompte et connaturali quadam facilitate eliciatur. Atqui actus spei, quem in nobis esse experimur respectu bonorum divinorum, bonus est, utpote attingens debitam suam regulam, quæ est Deus, a quo mercedem cœlestem expectamus ; aliunde vero nequit ille actus procedere a sola voluntate, cujus deest nativa proportio ad sperata bona supernaturalia. Ergo necesse est ut admittamus habitum infusum qui principium sit ejusdem actus boni, ideoque virtutis rationem habeat.

2ª *Pars* liquet ; spes enim informis, sicuti fides, perfectionem suam a forma charitatis sortitur.

Conclusio 2ª.—MOTIVUM FORMALE SPEI PRIMO ET PRINCIPALITER ESSE VIDETUR DIVINA OMNIPOTENTIA ET PIETAS NOBIS AUXILIANS ; SECUNDARIO AUTEM ET INSTRUMENTALITER REPONI POTEST IN ALIQUA CAUSA CREATA.

1ª *Pars* ostend.—*Prænotandum* est *a)* per auxilium divinum intelligi oportere, non auxilium creatum et in homine receptum, sed *increatam* Dei virtutem et omnipotentiam, prout ex impulsu misericordiæ præbet aut præparat varia auxilia nobis dispensanda. *b)* Porro non obscure sententiæ nostræ patrocinatur *Conc. Trid.*, dum ait (Sess. VI, cap. 13) quod " *in Dei auxilio* firmissimam spem collocare et reponere omnes debent."

Prob :—1º ex *Scriptura ;* nam legitur (Ps. XVII, 3) : "*Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum ;*" et (Ps. LXI, 8) : *Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Ubi virtus Dei

auxiliantis tanquam spei motivum exhibetur.—Idem motivum alibi repetitur ex Dei misericordia et protectione (Ps. LVI, 2): *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea ; et in umbra alarum tuarum sperabo.*

2° Ex *D. Thoma*, qui indubitanter et expressis verbis veritatem a nobis propugnatam asseruit, tum in præs. tract. *Sum. theol.*, tum in *quæst. un. de Spe* (inter Qq. Dispp.). Hic enim (art. 1) ait: " Sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his quæ creduntur, quæ sunt materiale objectum fidei ; ita etiam formale objectum spei est *auxilium divinæ potestatis et pietatis* propter quod tendit motus spei in bona sperata quæ sunt materiale objectum spei."

3° *Ratione.—a)* Id est formale spei motivum, cui homo innititur ad sperandum vitam æternam mediaque in eam conducentia. Atqui homo ad hoc innititur auxilio divinæ omnipotentiæ et misericordiæ: ergo. *Min.* evincitur ex eo quod homo fiducialiter expectat consecutionem vitæ æternæ ab illo quem novit *posse* et *velle* eam dare. Atqui Deus ut omnipotens potest, ut misericors autem vult præbere auxilia quibus salutem consequamur. Ergo.

b) Arguamus quoque, *impugnando sententias oppositas.*—Spes, eo modo quo præsupponit fidem, subaudit tanquam præviam *conditionem* notitiam eorum quæ fide apprehenduntur, sive in ordine theoretico, sive in ordine practico. Præterea eadem, in sua notione generica, claudit amorem et desiderium bonorum divinorum quæ nobis proventura sint; unde ex hac parte pro motivo habet bonitatem Dei respectivam, secundum id quod posuit *Suarez.*—At vero, quia nunc inquiritur de motivo formali spei, in quantum est spes, pro tali motivo assignandum est illud quo spes a reliquis animi motibus *specifice* distinguitur. Atqui ratio hæc specificativa nequit esse *fidelitas Dei in promissis*, quippe fidelitas, veritatis seu veracitatis indolem præseferens, magis ad objectum formale fidei pertinet, nosque certiores in universali faciens de divinis auxiliis potius *disponit* ad sperandum [1] quam

1—Hinc *S. Thomas*, Q. XX, a. 2, demonstrat posse dari *desperationem*, manente *fide* qua remissio peccatorum, promissa a Deo, in genere credatur.

spem constituat; nec eadem ratio specificans consistere potest, etiam partialiter, in *bonitate Dei respectiva* quæ, uti diximus, bene fundat et specificat amorem et desiderium, minime vero spem boni ardui, qua talis est. Remanet igitur ut motivum formale spei *simpliciter* reponatur in auxilio divinæ potestatis et misericordiæ quo *arduitas* objecti sperati superari intelligitur, hujusque consecutio, etiam attenta infirmitate nostra, *possibilis speranti* redditur.

2ª *Pars* concl. de motivo *secundario* spei apparet ex verbis *S. Th.* (art. 4): "Non licet sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura, sicut de prima causa movente in beatitudinem. Licet autem sperare de aliquo homine vel de aliqua creatura sicut de agente secundario et instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad *sanctos* convertimur" orando, præcipue ad *B. V. Mariam* quæ *spes nostra* ab ipsa Ecclesia nominatur.—Hoc modo quoque licitum est spem aliquam ponere in propriis *meritis* ex gratia Dei provenientibus.

Solv. obj.—Obj. 1 (cont. 1ªᵐ concl.)—Virtute nullus male utitur. Atqui sunt qui spe male utuntur, puta præsumendo salvari in peccatis. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m*:...secundum quod est vera spes attingens debitam regulam seu inhærens divino auxilio, *N*; secundum quod est falsa spes innixa propriæ virtuti vel erroneæ opinioni, *C.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Virtus perfectionem dicit. Atqui spes importat imperfectionem carentis bono sperato. Ergo.

Resp. *D. M*:...sub eo respectu quo perficit habentem, *C*; sub omni respectu, *N.*—*D.m*:...imperfectionem quantum ad id quod speratur et nondum habetur, *C*; quantum ad auxilium quo nititur et ad bonum speratum fertur, *N.*—*Neg. conseq* [1].

Obj. 3 (cont. 2ªᵐ concl.).—Objectum formale spei debet habere aliquam rationem boni, unde moveat voluntatem. Atqui omnipotentia auxilians non habet rationem boni, sed entis. Ergo.

1—Vid. plures obj. in quæst. un. *de Spe*, a. 1.

RESP. *C. M.—D.m* :... non habet rationem boni ut *quod* a voluntate desideratur, *C* ; non habet rationem boni ut *quo* voluntas in bonum arduum sperandum erigitur et proportionatur, *N.—Neg. conseq.* [1]

ARTICULUS II.

Utrum beatitudo æterna sit objectum materiale proprium spei.

(Art. 2-3)

1° Spei, sicuti fidei, duplex est objectum, *formale* et *materiale* ; materiale autem dividitur in *principale* (alii dicunt obj. formale *quod)* et *secundarium*. — Porro nemini dubium esse potest quin obj. principale spei sit beatitudo, juxta illud (Matth. VI, 33) : *Quærite primum regnum Dei.*

Verum 2°, quia beatitudo duplex distinguitur, nempe *objectiva* seu Deus ipse a beatis possessus, et *formalis* seu beatifica Dei possessio per intuitivam visionem, controversia est inter theologos.—*a) Durandus* docuit spem pro objecto immediato habere solam beatitudinem formalem, objectivam vero pro objecto mediato. *b) Alii* tenent objectum principale spei ex utraque beatitudine integrari. *c) Alii* affirmant beatitudinem objectivam esse obj. principale adæquatum spei infusæ, formalem vero per modum conditionis et connotationis tantum ad objectum illud spectare.—Sequentia concludamus.

Conclusio 1ª. — OBJECTUM MATERIALE PRIMARIUM SPEI EST BEATITUDO OBJECTIVA, FORMALEM CONNOTANS.—Ita *Cajetanus* aliique multi ex schola thomistica Angelicum interpretantur.

1° In hujus opinionis gratiam suppetunt biblica quædam indicia ; nam (Gen. XV, 1) legitur : *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Et Apostolus (Heb. VI, 19) commendat spem *incedentem usque ad interiora velaminis*, scil. usque ad sanctuarium Dei fidei

1—Cf. alia apud Gonet, Jo. a S. Thoma, etc.

umbris contecti. Unde *S. Thomas* (in *h. loc.*): "In illo ergo vult quod figatur anchora spei nostræ, qui est modo velatus ab oculis nostris."

2° Huc faciunt quæ scribit *S. Augustinus* (in Ps. LXXII), dum, expendens illa verba (v. 26) *pars mea Deus in æternum,* inquit: "Non a Deo petitur aliud præmium... præmium Dei *ipse Deus* est." Ait quoque (in Ps. CII): "Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum."

3° *Ratio* validam opem administrat.

Etenim spes, de qua loquimur, Deum ipsum attingit ejusque auxilio tanquam formali motivo innititur ad consequendum bonum speratum. Atqui necesse est ut effectus virtuti et nobilitati causæ respondeat. Ergo bonum quod proprie et principaliter sperare a Deo debemus est bonum auxilianti Deo proportionatum. Atqui proprium infinitæ Dei virtutis est ad infinitum bonum perducere. Ergo Bonum infinitum, seu Deus ipse immediate possidendus, objectum primarium spei constituit.

a) Conf. primo: nam minor non est Dei bonitas quam ejus essentia. Atqui ex Dei bonitate provenit quod vitam æternam spe prosequamur. Ergo "non minus aliquid ab eo sperandum est quam sit ipse" (S. Th.) seu quam ejus essentia, in qua beatitudo objectiva consistit.—*b) Conf.* secundo: idem namque est objectum in quod tendit motus spei et in quo voluntas beata quiescit. Atqui immediatum objectum beatæ fruitionis est Deus ipse, non autem Dei visio finita et creata. Ergo.

Dixi tamen in concl: beatitudo objectiva *formalem connotans.*—Deus enim non cadit sub spei amplexu nisi ut possidendus per visionem beatificam, quæ est beatitudo formalis: unde hæc beatitudo requiritur connotatione quadam, seu tanquam conditio et applicatio objecti sperati.

Conclusio 2ª.—OBJECTUM SECUNDARIUM SPEI COMPLECTITUR OMNIA BONA CREATA AD BEATITUDINEM CUJUSQUE PROPRIAM CONDUCENTIA, IMO QUODAMMODO ETIAM BEATITUDINEM ALIIS OPTANDAM.

1ª *Pars*:—1° asseritur ex *D. Thoma* (hic resp. ad 2): "Spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam, alia vero quæ petuntur a Deo respicit secundario in ordine ad beatitu-

dinem æternam; sicut et fides principaliter quidem respicit Deum, et secundario respicit ea quæ ad Deum ordinantur." *Ratio* est, quia sperare *finem* et *media* ad finem ejusdem virtutis esse oportet.

2⁰ Mirabilis descriptio objecti fidei nobis exhibetur ab *Angelico* (II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 9), ubi in expositione *Orationis dominicæ* prima quidem petitio ad finem charitatis refertur, secunda ad finem seu objectum primarium spei, reliquæ vero petitiones ad objectum spei secundarium. "Quia, inquit S. Th., oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum, illa recte solum orando petimus quæ recte desiderare valemus. In oratione autem dominica non solum petuntur omnia quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt, ut sic hæc oratio non solum instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus. Manifestum est autem quod primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea quæ sunt ad finem.—*Finis* autem noster Deus est in quem noster affectus tendit dupliciter: *uno* quidem *modo*, prout volumus gloriam Dei; *alio modo*, secundum quod volumus frui gloria ejus; quorum primum pertinet ad dilectionem qua Deum in seipso diligimus, secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: *Sanctificetur nomen tuum*, per quam petimus gloriam Dei; secunda vero ponitur: *Adveniat regnum tuum*, per quam petimus ad gloriam regni ejus pervenire.

"*Ad finem* autem prædictum nos ordinat aliquid dupliciter: uno modo per se, alio modo per accidens; *per se* quidem bonum quod est utile in finem.—Est autem aliquid utile in finem beatitudinis dupliciter: uno modo directe et *principaliter*, secundum meritum quo beatitudinem meremur Deo obediendo,et quantum ad hoc ponitur: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Alio modo *instrumentaliter*, et quasi coadjuvans nos ad merendum; et ad hoc pertinet quod dicitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sive hoc intelligatur de pane sacramentali, cujus quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia sacramenta; sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus...

"*Per accidens* autem ordinamur in beatitudinem per

remotionem prohibentis. Tria autem sunt quæ nos a beatitudine prohibent : *primo* quidem peccatum quod directe excludit a regno... et ad hoc pertinet quod dicitur : *Dimitte nobis debita nostra. Secundo tentatio*, quæ nos impedit ab observantia divinæ voluntatis ; et ad hoc pertinet quod dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem ;* per quod non petimus ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. *Tertio* pœnalitas præsens, ut quæ impedit sufficientiam vitæ ; et quantum ad hoc dicitur : *Libera nos a malo.*"

2ª *Pars* extendit objectum spei usque ad beatitudinem aliis optandam : quod quidem conceditur non *absolute*, sed *præsuppositive*. — Spes enim importat motum appetitus in aliquod bonum arduum. Atqui motus semper est ad proprium terminum mobili proportionatum. Ergo directe et absolute spes respicit bonum sperantis, non autem alterius. — Verum præsupposita *unione amoris* ad alterum, jam potest quis desiderare aliquid alteri, sicut sibi ; et hoc sub respectu eadem virtus spei, qua homo sibi sperat bona supernaturalia, ad illa bona aliis exoptanda merito protenditur.

Solv. obj. (cont. 1am concl.)—Obj. 1. — Illud homo non sperat quod omnem animi sui motum excedit. Atqui beatitudo æterna excedit omnem humani animi motum. Ergo.

Resp. *D. M* :...quod excedit motum animi undequaque, *C* ; quod excedit illum secundum *perfectam* suam rationem, non tamen quoad *communem* rationem perfecti boni, *N*. — *C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Spei objectum est arduum. Atqui multa alia quam beatitudo homini ardua sunt. Ergo.

Resp. *C. M.—D.m* :... et eamdem præseferunt arduitatem ac sublimis illa felicitas, *N* ; ardua sunt per respectum ad facultatem sperantis, et ideo secundario sub spe cadere possunt, dum tamen, habito respectu ad beatitudinem principaliter speratam, facile quiddam esse videntur, *C.—Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

De distinctione spei ab aliis virtutibus theologicis.

(Art. 5-8)

Pauca dicenda occurrunt circa hoc argumentum, de quo jam obiter sermo alias habitus est : duo tantum, ad naturam spei clarius illustrandam, concludemus.

Conclusio 1ª.—SPES SPECIFICE DISTINGUITUR AB ALIIS VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1° *Communis* hæc persuasio fundatur tum in distinctione trium virtutum theologicarum facta ab Ap. (1 Cor. XIII, 13), tum in *sensu fidelium* qui, ipsa Ecclesia duce, virtutum illarum actus distinctim elicere consueverunt.

2° *Ratio* persuasionem illam comprobat.—Nam virtus aliqua dicitur theologica ex eo potissime quod Deum habet pro objecto, cui inhæret. Atqui potest quis alicui inhærere dupliciter : uno modo propter seipsum ; alio modo, in quantum ex eo in aliud devenitur. Igitur charitas, mentem Deo uniens per affectum amoris, efficit quidem ut homo Deo inhæreat *propter seipsum ;* spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo sicut cuidam principio, ex quo aliqua *nobis proveniunt.* Porro de Deo provenit nobis et cognitio veritatis, et adeptio perfectæ bonitatis. Per fidem ergo humana mens Deo adhæret, secundum quod est nobis principium cognoscendi veritatem ; spes autem, divino freta auxilio ad beatitudinem assequendam, facit hominem Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis.—Ex quo intelligitur Deum esse objectum immediatum trium virtutum theologicarum secundum tres rationes formaliter et specifice distinctas.

Conclusio 2ª.—SPES, SECUNDUM VIAM GENERATIONIS, PRIOR EST CHARITATE ; POSTERIOR VERO, SECUNDUM ORDINEM PERFECTIONIS.

1ª *Pars* prob.—Spes, secundum viam generationis, prior est illa virtute ad quam introducendam concurrit. Atqui spes quodammodo concurrit ad accendendum in animis ignem charitatis. Ergo. *Min. decl.* Spes, sicuti omnis appe-

titivus motus, ex amore boni derivatur [1]. Amor autem duplex est, perfectus et imperfectus: perfectus quidem, quo aliquis secundum se amatur in quantum ei bonum volumus, et hic est amor *benevolentiæ* seu amicitiæ; imperfectus vero, quo quis amat aliquid, non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, et hic est amor *concupiscentiæ.* Porro primus amor pertinet ad charitatem, qua Deus secundum se diligitur (vid. infra); alter vero clauditur in spe, qua proprium bonum, arduum, sed adeptu possibile prosequimur. Atqui homo, sperans remunerari a Deo seu ab Eo consequi beatitudinem secundum gratiæ merita, ex hoc ipso inflammatur ad amandum propter seipsum omnium bonorum Datorem et ad ejus præcepta ex altiori charitatis motivo observanda. Ergo.

2ª *Pars cuique patet*; siquidem adveniente charitate, qua Deus ut amicus diligitur, spes perfectior redditur, quatenus de amicis maxime speramus: quod est motus *spei formatæ.*

ARTICULUS IV.

De subjecto spei.

(Q. XVIII, a. 1-3)

Virtutis aliud est *subjectum quo* et partiale, aliud *subjectum quod* et totale.—Ex dictis huc usque compertum omnibus est spei subjectum *quo* esse *voluntatem*, cui competit prosequi bonum immateriale et divinum.—Dubium itaque proponitur de subjecto *quod*, videl. utrum spes theologica inesse possit beatis, damnatis, animabus purgatorii, etc.

Conclusio 1ª.—VIRTUS SPEI NEQUIT ESSE IN BEATIS.

1º Namque ait Ap. (Rom. VIII, 24): *Quod videt quis, quid sperat?* Sed beati fruuntur Dei visione. Ergo in eis spes infusa locum non habet.—2º Subtracto eo quod dat speciem rei, solvitur species ipsaque rei substantia, ut patet

1—I-IIæ, Q. XXV, a. 1-2.

ex corporibus naturalibus. Atqui objectum principale spei consistit in beatitudine æterna, secundum quod est bonum *futurum*, adeptu *possibile* ex divino auxilio. Ergo, cessante per plenam possessionem beatitudinis futuritione et arduitate adeptionis, necesse est ut virtus spei, dempto primario objecto, evanescat.

Tria *colliguntur.*—1° Christus, cum esset in terris comprehensor simul et viator, non potuit habere virtutem theologicam spei, cujus principale objectum est gloria animæ qua jam fruebatur; habuit autem actum quemdam spei communiter dictæ per respectum ad impassibilitatem et immortalitatem.—2° *Beati* optare possunt *aliis* beatitudinem, non jam ex virtute spei, quam visio Dei in eis evacuavit, sed magis ex amore charitatis quo sunt in Deum proximumque accensi.—3° *Animæ sanctorum* ante resurrectionem nequeunt ex virtute spei gloriam corporis expectare, tum quia gloria ista minimum et secundarium quiddam est inter objecta speranda, tum quia non habet rationem ardui respectu habentis gloriam animæ, ex qua ultro gloria corporis consequitur; proprie vero gloriam hanc desiderant.[1]

Conclusio 2ª.—IN DAMNATIS NON REMANET SPES, BENE TAMEN IN ANIMABUS PURGATORII.

1ª *Pars* prob.—1° Spes gignit gaudium, secundum illud (Rom. XII, 12): *Spe gaudentes.* Atqui damnati, non in gaudio, sed in dolore et luctu versantur (Is. LXV, 12): *Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.* Ergo.—2° Spes est de beatitudine futura *possibili.* Atqui, quemadmodum vera felicitas requirit ut beati de suæ beatitudinis perpetuitate certi sint; ita ad conditionem miseriæ damnatorum pertinet ut ipsi noscant se nullo modo posse damnationem evadere, juxta illud (Job. XV, 22): *Non credit quod reverti possit de tenebris ad lucem.* Ergo.—Hinc 3° sentiunt theologi [2] quod si quis inter homines viatores acciperet a Deo certam futuræ suæ damnationis revelationem, non posset amplius beatitudinem proprie sperare, seu tanquam bonum possibile exspectare.

1—I-IIæ, Q. LXVII, a. 4 ad 3.
2—Cf. Gonet, Disp. IX, a. 5.

2ª *Pars* liquet : animæ enim in *purgatorio* detentæ beatitudinem apprehendunt tanquam bonum absens, arduum et per graves difficultates assequendum, at certo possibile adeptu.

Conclusio 3ª.—SPES AFFULGET OMNIBUS FIDELIBUS VIATORIBUS, ETIAM PECCATORIBUS QUI NON DESPERANT NEC PRÆSUMUNT.—Dico *a)* omnibus *fidelibus* viatoribus, ut excludantur *hæretici formales* in quibus, destructa fide, nec spes (nisi humana et falsa) subsistere potest. Dico etiam *b)* peccatoribus *qui non desperant* nec *præsumunt ;* siquidem hæc sunt extrema vitia spei contraria. — Concl. est *de fide,* ut constat ex *Trid.* (Sess. VI, cap. 6 et can. 3 ; Sess. XIV, cap. 4), ubi spes inter dispositiones ad justificationem recensetur.

Sane, ait *S. Thomas* (I-IIæ, Q. LXV, a. 4), "actus spei est expectare futuram beatitudinem a Deo: qui quidem actus *perfectus* est, si fiat ex meritis quæ quis habet, quod non potest esse sine charitate ; si autem hoc expectet ex meritis quæ nondum habet, sed proponit in futurum acquirere, erit actus *imperfectus*, et hoc potest esse sine charitate."

ARTICULUS V.

De certitudine et necessitate spei.

Proprietates spei, a nobis exponendæ, sunt imprimis *certitudo* et *necessitas.*

Novatores, spem seu fiduciam (quæ non est nisi spes roborata) [1] confundentes cum fide, tantam illi certitudinem tribuerunt ut omnem animi timorem in opere salutis deponendum reputarent : qua in re decepti sunt, ut jamjam ostensuri sumus.

Conclusio 1ª.—SPES EX PARTE DEI ET SIMPLICITER CERTISSIMA EST ; TAMEN, EX PARTE NOSTRA, NON EADEM CERTITUDINE GAUDET (Q. XVIII, a. 4) [2].—Utrumque *fide* constat ex

1—II-IIæ, Q. CXXIX, a. 6.
2—Cf. 3 S. D. XXVI, Q. II, a. 4.

Trid. (Sess. VI, cap. 13) : " Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur ; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent." Cf. cap. 12 et can. 15-16.

1ª *Pars* evincitur :—1º ex *Scriptura* (Eccli. II, 11) : *Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est ;* (2 Tim. I, 12) : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare ;* et (Jac. I, 5-6) : *Si quis vestrum indiget sapientia...postulet in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur.*

2º *Ratione.*— Spes participans a fide divina summam firmitatem, quæ per se deficere non potest, dicenda est ex parte Dei et simpliciter certissima. Atqui hujusmodi est spes theologica : ergo. *Min. ostend :—a)* Certitudo invenitur in aliquo dupliciter : scil. *essentialiter* in vi cognoscitiva ; *participative* autem in omni eo quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum. Atqui spes, innixa principaliter divinæ omnipotentiæ et misericordiæ auxilianti de qua certus est quicumque fidem habet, participat de illa certitudine, et per illam fidem regulatur et in suum finem dirigitur. Ergo.— *b)* Si qui vero, spem habentes, deficiunt a consecutione beatitudinis, id contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu motivi in quo spes *per se primo* fundatur, juxta illud (Is. LIX, 1-2) : *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat ; sed iniquitates vestræ* etc. Unde hoc certitudini fidei simpliciter non præjudicat.

2ª *Pars* contra *Novatores* jam in tract. *de Gratia* adstructa est : uno verbo absolvetur.—Illud non est undequaque certum, cui adsociatur conditio defectibilis. Atqui talis est spes, quantum ex parte nostri ; siquidem æterna beatitudo nobis a Deo promissa est sub conditione cooperationis nostræ et meritorum nostrorum quæ secundario motivum spei ingrediuntur, quæque deficere possunt. Ergo.

Conclusio 2ª.—SPES SIVE HABITUALIS SIVE ACTUALIS NECESSARIA EST TUM NECESSITATE MEDII, TUM NECESSITATE PRÆCEPTI [1].

1—Cf. II-IIæ, Q. XXII, a. 1.

1ª *Pars* est de *necessitate medii*, quæ de *habitu* tantum quoad infantes, de *habitu* vero et *actu* spei quod adultos accipitur.

Revera tum Apostolus (Rom. VIII, 24), tum Trid. (Sess. VI, cap. 6) spem exhibent veluti medium salutis et justificationis.—Neque immerito: siquidem necessarium est necessitate medii credere Deum remuneratorem. Atqui fides Dei remuneratoris non confert ad salutem nisi excitando motum spei in præmium gloriæ appetendum necnon in veniam peccatorum vel explicite vel implicite exspectandam. Ergo.

2ª *Pars* de *necessitate præcepti*:—1° eruitur ex prop. damnata ab *Alexandro VII*: "Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, *spei* et charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium."—2° Præsto sunt sacra eloquia, puta (Ps. LXI, 9): *Sperate in eo, omnis congregatio populi*; et (1 Pet. I, 13): *Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Unde *S. Aug.* (Tract. in Joan. 83): "De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe!"—Porro 3° ejusmodi præceptum, qua *negativum*, obligat semper et pro semper; qua vero *positivum*, obligat certe aliquando *per se*, quin tempus illud implendi determinari possit; obligat quoque *per accidens* seu ex ratione extrinseca, "quando fuerit necessarium sperare vel ad debite orandum, vel ad vincendam tentationem, vel ad aliquid simile: in quibus tamen occasionibus sæpe non erit necessarium formalem actum spei elicere, sed satis erit in ipso effectu debite id facere, in quo *virtualiter* includitur spes [1]."

1—Suarez, *de Spe*, Disp. II, Sect. 1.

ARTICULUS VI.

De honestate spei ejusque compossibilitate cum statu perfectionis.

1° *Novatores* sæc. XVI negarunt honestatem spei seu amoris intra spem conclusi quo Deum ut bonum *nostrum* diligimus, quique vocari solet amor *castæ concupiscentiæ*, distinctus contra amorem charitatis et benevolentiæ.—Errorem hunc a *Trid. Conc.* proscriptum restaurarunt *Baïani* [1], quorum doctrina rursus Ecclesiæ censuris jugulata est.

2° *Quietistæ* (a quiete animi sic nuncupati)eodem fere tempore falsum quoddam mysticismi genus, duce *Mich. Molinos*, proposuerunt. Qui, etsi amorem concupiscentiæ vitiosum non prædicarent, eum tamen adeo imperfectum putabant ut cum puro Dei amore non componi posse videretur: unde agnoscebant quemdam perfectionis statum incompossibilem cum amore proprii boni subindeque cum spe christiana; quo in statu nefanda voce proferebant amplectendam esse eam indifferentiam quæ excluderet omnem curam de propulsandis tentationibus, de praxi virtutum et de salute æterna. Tam audax et scandalosa doctrina, 68 propositionibus comprehensa, damnata est ab *Innoc. XI* (an. 1687).—Nihilominus idem systema, rejectis tamen abominandis ejus consectariis, vidua *Guyon* (Joan. Bouvier de la Mothe) renovavit, cui patrocinatus est *Fenelonius* [2]; cum autem Fenelonium inter et Bossuetium gravis inde controversia exarsisset, tandem *Innocentius XII* 23 propositiones, quibus *Semiquietistarum* error continebatur, reprobavit [3] (an. 1699).

1—Inter propp. ab Alexandro VIII damnatas sic sonat 10ª: *Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens;* et 13ª: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

2—In opere *Explication des Maximes des saints.*

3—En prop. 1ª aliarumque parens: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse; neque timor pœnarum neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem; non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.*

Conclusio 1ª.—AMOR CONCUPISCENTIÆ, QUI IN SPE CHRISTIANA CLAUDITUR, NATURA SUA HONESTUS EST.—Id clare definivit *Conc. Trid.* (Sess. VI, can. 31): "Si quis dixerit justificatum peccare, dum *intuitu æternæ mercedis bene operatur*, A. S."

Sane, præter ea quibus supra (art. 1) probatum est spem esse virtutem, præsto sunt seq. argumenta:—1° *Scriptura* laudibus effert Moysem hisce verbis (Heb. XI, 26): *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Regius Psaltes de se ait (Ps. CXVIII, 112): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Alibi ad bonum inducimur ex spe mercedis (Apoc. II, 10): *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*—2° Idem in proposito sentiendum est de spe propriæ salutis seu de amore concupiscentiæ ac de *timore* amissionis boni proprii. Atqui timor iste, teste *D. Thoma* (hic Q. XIX, a. 4; 3 S. D. XXXIV, Q. II, a. 2, sol. 1), essentialiter bonus est, licet ejus servilitas, exclusiva charitatis, sit mala: dicit enim S. Doctor (*loc. ult. cit.*): "Essentia ejus (timoris) bona est, quia refugere pœnas æternas non est nisi bonum. Unde servilis timor secundum essentiam suam est a Sp. Sancto." Ergo.—3° Honestum est ea bona diligere et sperare quæ apta nata sunt perficere facultates nostras, et ad quæ, semel ac innotuerint, nos ipsos natura duce inclinari experimur. Atqui hujusmodi sunt bona cœlestia quæ sub spe christiana cadunt. Ergo.

Conclusio 2ª.—NON DATUR IN HAC VITA PERFECTIONIS STATUS CUI ACTUS SPEI REPUGNET.

Etenim 1° *Scriptura*, describens statum perfectionis, inter ejus constitutiva elementa annumerat spem salutis; sic (1 Thess. V, 8): "*Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et caritatis, et galeam spem salutis.*—Immo Christus, ad discipulos in perfectionem promovendos, motivum certæ mercedis proponit (Matth. XIX, 29): *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores ... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

2° Ex multis *Patrum* sententiis unam vel aliam colligere sufficiet. *S. Ambrosius* (l. 5 in Luc. c. 1) ait: "Studia vir-

tutum sine remuneratione tepescunt." Et *S. Bernardus* (Tract. *de dilig. Deo*, c. 14-15) : " Nunquam erit caritas sine cupiditate, sed ordinata ;" et iterum : " Nescio, si a quoquam hominum quartus in hac vita gradus perfecte apprehenditur, ut se scil. diligat homo *tantum propter Deum*. Asserant hoc, si qui experti sunt ; mihi, fateor, impossibile videtur " [1].

3° *Ratio* tum *directe* tum *indirecte* oppositum systema de falsitate convincit.

a) Audiamus imprimis *D. Thomam* (hic Q. XIX, a. 6) : " Amor suî tripliciter se potest habere ad charitatem : *uno* enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit. *Alio* vero modo in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum et in Deo diligit. *Tertio* modo a charitate quidem distinguitur, sed *charitati non contrariatur*, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem."—Sane vero, ille amor non adversatur charitati neque ulli perfectionis statui qui ad charitatem ducit, et a charitate formatur, prout objectum habet objecto charitatis intime connexum. Atqui amor concupiscentiæ et spei ad charitatem inclinat [2], secundum quod beneficia a Deo provenientia summam ejus perfectionem et intrinsecam amabilitatem demonstrant ; a charitate etiam formari potest seu in finem charitatis, sicuti quicumque alius motus bonus, referibilis est : neque id admirationi esse debet, quandoquidem objectum amoris concupiscentiæ est bonitas Dei respectiva, in bonitate ejus absoluta seu in objecto charitatis fundata. Ergo.

b) Concl. *indirecte* suadetur ; nam indifferentia quam *Quietistæ* et *Semiquietistæ* circa propriam salutem prædicant, nedum in aliquo perfectionis statu requiratur, perniciosa est : quippe vim infert naturæ et inclinationi hominis, qui ineluctabili beatitudinis desiderio urgetur ; de medio tollit salutare virtutum exercitium, animamque passionum et dæmonum seductionibus inermem exponit.

1—Cf. Bossuet, *Tradition des nouveaux mystiques*, aliaque ejusdem scripta de hoc argumento.
2—Cf. Q. XXVII, a. 3.

Solv. obj. (cont. 1am concl.)—Obj. 1.—Inordinatum est referre majus bonum ad minus. Atqui diligendo Deum amore concupiscentiæ, illum, majus bonum, ad minus bonum referimus, scil. ad nos. Ergo.

Resp. *D. M* :...tanquam ad subjectum cui bonum volumus, *N*; tanquam ad finem, *S.d*: tanquam ad finem ultimum, *C*; tanquam ad finem proximum qui ipse sit medium procurandi finis ultimi, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Amor concupiscentiæ erga Deum opponitur amori benevolentiæ. Atqui amor oppositus benevolentiæ Deo debitæ nequit esse rectus. Ergo.

Resp. *D. M* :... oppositione *proprie* dicta et contraria, *N*; oppositione *late* sumpta, qualis convenit rebus disparatis seu diversæ speciei, *C.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.—Amor concupiscentiæ est amor mercenarius. Atqui Patres, dum gratuitum et filialem Dei amorem extollunt, mercenarium vituperare videntur (ita S. Bernardus, l. *de dilig. Deo*). Ergo.

Resp. *Trans. M.—D.m* :...mercenarium vituperare videntur tanquam in se malum, *N*; tanquam imperfectiorem, cui conjungendus atque præferendus est amor filialis, *C.—Neg. conseq.*

DISPUTATIO OCTAVA

DE CARITATE

Tractatum aggredimur de virtute caritatis quæ veluti gemma inter cæteras virtutes emicat, et cujus necessitatem, officia et præcellentiam Apostolus (1 Cor. XIII) miris præconiis extulit atque descripsit. Nec minus admiratione digna sunt quæ *S. Thomas*, cœlesti quodam afflatus spiritu, circa divinam illam virtutem disseruit in his quæstionibus *Summæ theologicæ*, ubi simul dogmatici, mystici, moralisque Doctoris munere fungitur.

Primum omnium juverit referre ex Angelico (I-IIæ, Q. XXVI, a. 3) quod "quatuor nomina inveniuntur ad idem quodammodo pertinentia, scil. *amor*, *dilectio*, *caritas* et *amicitia*.—Differunt tamen in hoc quod *amicitia* secundum Philosophum (8 Eth. c. 5) est quasi habitus; *amor* autem et *dilectio* significantur per modum actus vel passionis; *caritas* autem utroque modo accipi potest.—Differenter tamen significatur actus per ista tria. Nam *amor* communius inter ea est; omnis enim dilectio vel caritas est amor, sed non e converso. Addit enim *dilectio* supra amorem electionem præcedentem, ut ipsum nomen sonat; unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et est in sola rationali natura. *Caritas* autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur magni pretii æstimatur, ut ipsum nomen designat."

Disputatio de caritate a nobis dispescetur in quinque quæstiones; quarum 1ª erit de *virtute caritatis* secundum se, 2ª de caritate per comparationem ad *subjectum*, 3ª de *objecto* caritatis, 4ª de *ordine* diligendorum, 5ª de *actu* caritatis.

QUÆSTIO PRIMA

DE CARITATE SECUNDUM SE.

Cum jam inde a procemio acceperimus existentiam caritatis esse admittendam, duo sub præsenti quæstione exploranda erunt, scil. *quid* et *qualis* sit caritas. Natura autem caritatis definiri potest vel communius secundum quod ponitur in genere *amicitiæ* (art. 1), vel specialius secundum quod per *objectum* suum *formale* ab omnibus virtutibus distinguitur (art. 2); qualitas quoque ejus intelligenda est secundum præstantiam *dignitatis* (art. 3) et *influxus* (art. 4) respectu aliarum virtutum: unde patet quæstionis ordo.

ARTICULUS I.

Utrum caritas sit amicitia.

(Q. XXIII, a. 1-2)

1° Invaluit apud quosdam veteres *opinio* quod caritas non esset aliquid creatum in anima, sed ipse Sp. Sanctus mentem inhabitans et movens, absque mediante habitu, voluntatem ad actum dilectionis.—Id autem falsum esse constat non solum ex modo loquendi *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7) et Ap. (Rom. V, 5) ubi caritas dicitur *diffusa* in cordibus, verum etiam ex universa œconomia gratiæ et virtutum quam superius explanavimus, necnon ex ea potissima ratione, quia necesse est habitum infundi potentiæ naturali ut actus supernaturalis connaturaliter, prompte et delectabiliter ab ea procedat; neminem autem latet caritatis actum connaturalitate, facilitate et delectatione quemlibet alium actum præcellere: ex quo sequitur, etc. [1]

1—Cf. Qq. Dpp. Q. un., *de Caritate*, a. 1.

2° Consuevit caritas a theologis definiri: *Virtus divinitus infusa, qua Deus propter se et proximus propter Deum diligitur*; quæ quidem definitio, num recta et adæquata sit et quonam sensu sit exponenda, ex dicendis tum in præsenti art., tum in sequentibus articulis apparebit.

3° Quæstio proposita id effert, utrum caritas *vere* et *proprie* ad genus amicitiæ pertineat; quippe negavit *Durandus* veram posse hominis ad Deum amicitiam dari.—Sensus autem non est (ut monet Cajetanus) an caritas sit *relatio* amicitiæ, quod naturæ caritatis repugnat, sed utrum sit amicitiæ ratio sive habitualis sive actualis quæ fundet talem relationem.—Nihil hoc argumento suavius et ad animum movendum Deoque vinciendum utilius excogitari potest.

Conclusio.—CARITAS DICI DEBET VERA AMICITIA HOMINIS AD DEUM; quod satis clare indicat *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 10): "Sic ergo justificati, et *amici Dei*, ac *domestici* facti" etc.

Enim vero 1° frequenter *Scriptura* justos vocat Dei amicos, puta (Is. XLI, 8): *Semen Abraham amici mei*; (Ps. CXXXVIII, 17): "*Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus*"; unde (Luc. XII, 4) ait Christus discipulis suis: *Dico vobis amicis meis*. Porro, si quid valeat hominem divinæ amicitiæ participem efficere, id certe caritas esse debet. Ergo.

2° Recitanda sunt verba *S. Hieronymi* (super cap. 7 Mich.): "Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei, sicut Moyses qui loquebatur Deo, quasi amicus ad amicum; esto amicus, ut Apostoli, ad quos Salvator ait: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*." Apud *Augustinum* (Conf. l. VIII, cap. 6) comparans aliquis difficultatem assequendi amicitiam Imperatorum cum facilitate consequendi Dei gratiam, exclamat: "Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio."

3° Ex *natura rei* argumentum ducamus.—Quatuor sunt præcipuæ conditiones, ex quibus amicitia proprie dicta efflorescit; describitur enim *amor benevolentiæ, mutuus*, super *aliqua similitudine* fundatus, *bonorum communicationem* afferens. Atqui conditiones illæ præclare in caritate reperiuntur. Ergo.

Maj. decl.—*a)* Requiritur primo *amor* seu unio affectiva amantis ad amatum; quæ affectio, quamvis a simplici benevolentia distinguatur [1], hanc tamen in amicitia secum adnexam habet. Siquidem alius est amor *benevolentiæ* quo aliquem amamus ut ei bonum velimus, alius amor *concupiscentiæ* quo bonum nostrum in re amata quærimus. Porro eo magis a ratione veræ amicitiæ recedimus quo magis affectus noster ad concupiscentiæ amorem devolvitur: inde enim est quod amicitia *honesta* longe præstat amicitia *utili* et *delectabili*, in quibus volumus quidem aliquod bonum amico, sed ulterius illud bonum ad nostram utilitatem vel delectationem referimus [2].—*b)* Nec amor benevolentiæ sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur *mutua* quædam et utrinque nota *amatio*, quia "amicus est amico amicus." Unde pulchra illa definitio (apud Ciceronem, *de Amicitia)*: "Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio."—*c)* Hæc autem mutua benevolentia nascitur ex aliqua *communitate* seu *similitudine*, quæ est velut amicitiæ ratio et fundamentum. Nam omnis amor fundatur in motu naturali quo unusquisque appetit proprium esse; unde eatenus alios diligimus, quatenus in illis nos ipsos quodammodo agnoscimus per naturæ vel morum similitudinem [3]. Idcirco "amicitia pares aut invenit aut facit" *(Hieronym.* in Mich. 7), juxta illud quod narratur (1 Mach. X, 18-20) de rege Alexandro qui, volens contrahere amicitiam cum Jonatha, misit ad illum regalia insignia, scil. purpuram et coronam auream. Ex quo theologi distinguunt amicitiam *excellentiæ*, qualis viget inter superiorem et inferiorem, et amicitiam *æqualitatis*, qualis est inter personas ejusdem dignitatis; utraque autem diversa est pro diversis fundamentis: v. g. communione sanguinis nititur amicitia inter consanguineos, communione officii amicitia inter commilitones, etc.—*d)* Tandem amicitia velut effectum proprium importat convictionem quamdam seu *vitæ associationem* secundum consiliorum, secretorum, bonorumque communicationem [4].

1—II-IIæ, Q. XXVII, a. 2.
2—I-IIæ, Q. XXVI, a. 4 ad 3.
3—*Ibid.* Q. XXVII, a. 3.
4—*Ibid.* Q. XXVIII, a. 1-2.—*Cf.* quoque 3 S. D. XXVII, Q. II, a. 1.

Min. ostend.—a) Præprimis *amor benevolentiæ* hominis ad Deum, nedum repugnet, de facto admittendus est, tum quia caritatem habentes experiuntur se quandoque saltem Deum *propter ipsum* diligere, tum quia dilectio Dei *simpliciter*, quam Scripturæ referunt, pro amore perfectiori benevolentiæ intelligenda est (cf. art. seq.); Deus etiam, qui prior dilexit nos et bonorum nostrorum non eget, nos diligit amore benevolo et propter utilitatem nostram, quamvis beneficentia hæc ad Ipsum tanquam ad ultimum finem seu motivum reducatur [1]. Utrumque exprimitur (Joan. XV, 13): *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.—b)* Ex hoc apparet *mutuum* intercedere amorem hominem inter et Deum, prout legitur (Prov. VIII, 17): *Ego diligentes me diligo;* qui mutuus amor non solum Deo, sed et nobis, saltem morali quadam certitudine, compertus est.—*c)* Fundatur autem tam nobilis amicitia in elevatione hominis ad *consortium divinæ naturæ* per gratiam sanctificantem qua Deo similes et veluti Deiformes efficimur, necnon in *mysterio Incarnationis* quo Deus se ad nos inclinans nos ad se subvexit, secundum illud (ap. Ciceronem, *op. cit.):* "Ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere." Notat *Cajetanus* communionem hominum cum Deo multipliciter in Scripturis significari, quandoque ut *concivium,* quandoque ut *domesticorum* juxta verba (Eph. II, 19) *Estis cives sanctorum et domestici Dei,* quandoque ut *sociorum,* quandoque ut *fratrum,* quandoque ut *sponsæ,* præcipue tamen et magis proprie ut *filiorum* Patri conjunctorum; quæ appellatio simul salvat similitudinem naturæ et amicitiam excellentiæ. — *d)* Denique caritas certe constituit inter Deum et hominem intimam vitæ bonorumque communicationem, prouti legitur (1 Cor. I, 9): *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus;* et (1 Joan. IV, 16): *Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo.* Qua ex societate habetur non solum substantialis Dei præsentia [2] in anima, sed plena bonorum spiritualium effusio,

1—Cf. Gonet, Disp. X, a. 1.
2—Cf. *de Deo,* Disp. X, Q. III, a. 2.

donec divinus ille Amicus suam nobis beatitudinem impertiatur. Bona vero quæ ex benevolentia Deo volumus duplicis sunt generis, alia *in Ipso*, alia *ad Ipsum* (ut ait Cajetanus). *In ipso* sunt vita, sapientia, bonitas, etc, quæ cum Deo identificantur, quæque ex caritate Deo volumus, in quantum complacet nobis Deum esse sicuti est. Bona *ad ipsum* sunt honor, regnum, obedientia, etc, et hæc ex caritate ita volumus ut non solum placeat quod sint, sed desideramus ut sint, gaudemus cum sunt, tristamur cum desunt, timemus ne desint, etc, etc.

Solv. obj.—Obj. 1.—Proprium est amicitiæ amico convivere. Atqui Dei *non est cum hominibus conversatio* (Dan. II, 11). Ergo.

Resp. *D. M* :...quocumque genere vitæ, *N* ; secundum genus vitæ amico conveniens, *C.*—*D.m* :...secundum vitam exteriorem et sensibilem, *C* ; secundum vitam spiritualem, *N.*—*Neg. conseq.*

Duplex est hominis vita : una *exterior* secundum naturam sensibilem, et secundum hanc vitam non est nobis communicatio vel conversatio cum Deo ; alia *spiritualis*, se per mentem exerens, et secundum hanc vitam cum Deo conversamur, *imperfecte* quidem in terris, nam (Phil. III, 20) *nostra conversatio in cœlis est*, *perfecte* vero in patria.

Obj. 2.—Amicitia non est sine redamatione. Atqui caritas etiam ad inimicos extenditur. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m* :...principaliter, *N* ; consequenter, *C.*—*Neg. conseq.*

Amicitia se extendit ad aliquem dupliciter: uno modo *principaliter* seu respectu ipsius, et sic amicitia nunquam est nisi ad amicum redamantem ; alio modo fertur ad aliquem *consequenter* seu respectu alterius principaliter dilecti, cujus gratiâ amamus quidquid ad illum pertineat, et sic caritas attingit etiam inimicos, quos propter Deum, omnium Creatorem et Salvatorem, diligimus.

Obj. 3.—Amicitia honesta seu virtuosa non est ad peccatores. Atqui per caritatem peccatores amamus. Ergo.

Resp. *D. M* :...primario, *C* ; secundario, *S.d* : qua peccatores sunt, *C* ; qua homines capaces salutis, *N.*—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

"*Utrum caritas sit virtus specialis :—de motivo ejus formali.*"

(Art. 3-5)

1° Semel ac constiterit caritatem esse habitum nos Deo nobili amicitiæ vinculo sociantem, dubium esse non potest quin sit *virtus.*—Sed enim quæstio oritur, an et quomodo virtus illa a reliquis virtutibus *specifice* distinguatur: ubi *duo* enodanda occurrunt, scil. num caritas sit virtus specialis, et quænam sit propria motivi ejus formalis seu specificativi natura.

2° Caritatem fundari in *bonitate Dei*, nemo est qui neget. *a)* Cum autem Dei bonitas duplex habeatur, *absoluta* qua Deus bonus est *in se*, *respectiva* vero qua *nobis* bonus est, *V. Bolgeni* aliique pauci assignarunt pro motivo formali caritatis bonitatem Dei respectivam; ad quos nonnihil accessisse videtur *Bossuetius* [1] in sua controversia adversus Quietistas, docens amorem Dei in se *inseparabilem* ab amore beatitudinis motivum caritatis ingredi.—At vero, licet reprobatum fuerit ab Ecclesia systema asserentium incompossibilitatem amoris concupiscentiæ cum altiori perfectionis *statu*, non ideo damnata est doctrina ponens *actum* puri amoris discretum ab amore concupiscentiæ.

b) Communius enim theologi constituunt caritatis motivum formale in sola bonitate Dei absoluta: quorum tamen *quidam*, ut *Gonet*, hanc bonitatem esse volunt solius naturæ divinæ, secundum quod est virtualiter distincta ab attributis et relationibus personalibus; *alii* autem et verius, cum *Cajetano* et *Billuart*, bonitatem divinam intelligunt, quatenus transcendit atque involvit omnem Dei perfectionem.

Conclusio 1ª.—CARITAS EST SPECIALIS VIRTUS.

1° Namque nullum generale connumeratur iis quæ specialia sunt. Atqui caritas connumeratur specialibus virtutibus, sc. fidei et spei, secundum illud (1 Cor. XIII, 13): *Nunc autem manent fides, spes caritas, tria hæc.* Ergo.—

1—*Œuvres complètes*, éd. Gauthier, t. XXXVII, pp. 473-475 et alibi.

2º Actus et habitus specificantur per objecta. Atqui proprium objectum amoris est bonum. Igitur ubi est specialis ratio boni, ibi sit oportet specialis ratio amoris et virtutis. Atqui bonum divinum absolutum, seu *in se* sumptum et fundans *objective* beatitudinem, *specialem* habet *boni rationem.* Ergo caritas, bonum illud prosequens, est specialis amor et virtus.

Conclusio 2ª.—MOTIVUM FORMALE CARITATIS EST BONITAS DIVINA IN SE ET PROPTER SE DILIGIBILIS, SECUNDUM QUOD COMPREHENDIT QUIDQUID BONI EST IN DEO.—Agitur, ut patet, de determinanda natura propria motivi caritatis; cum autem motivum istud collocatur in *bonitate Dei absoluta*, bonitas divina intelligenda est prout lumine *supernaturali* innotescit.—Duæ partes in concl. distinguendæ sunt.

1ª *Pars prob.*—1º Ex *Scriptura* (Marc. XII, 30): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Unde sic arguo: *a)* juxta *Angelicum* (II-IIæ, Q. XLIV, a. 4), Deus *ex toto corde*, etc, diligendus est, tanquam ultimus finis ad quem omnia sunt referenda. Atqui finis *simpliciter* ultimus est Deus *secundum se*, cui cuncta subordinantur. Ergo caritas Deum, ut est in se, attingit.—*b)* Præterea, actus caritatis summa nobilitate et universalitate gaudet, quatenus dominatur *cordi* seu voluntati, *menti* seu intellectui, *animæ* seu appetitui inferiori, *virtuti* seu viribus exterioribus *(ibid.* a. 5). Atqui summus actus summum exigit motivum, quod non est nisi bonitas Dei absoluta et *propter se* dilecta. Ergo.

2º Ex *traditione;* cujus testis evocandus est *S. Augustinus* (l. III de Doct. Christ. c. 10, n. 16): "Caritatem voco, inquit, motum animi ad fruendum Deo *propter ipsum.*" Et *S. Bernardus* (l. *de dilig. Deo):* "Causa diligendi Deum Deus est (cap. I)... Non sine præmio diligitur Deus, etsi *absque præmii intuitu* diligendus sit... Verus amor præmium non requirit, sed meretur (cap. VII)".—Clare etiam *Ecclesiæ sensus* elucet ex *Catech. Trid.* (P. IV, de 1 pet. n. 2): "Monet nos vera caritas, totum ut animum ac studium conferamus in Deum, qui quoniam solus est *in seipso* summum bonum, jure est præcipuo quodam ac singulari amore diligendus."

3° Ex *D. Thoma*, apertissimis favente verbis; nam heic (Q. XXIII, a. 5 ad 2) ait: "Caritate diligimus Deum *propter seipsum*; unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate, sc. *divina bonitas*, quæ est ejus substantia, secundum illud (Ps. CV, 1): *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ et consequentes ex prima." Et (Q. XXVIII, a. 1 ad 3): "De Deo potest esse spirituale gaudium dupliciter: uno modo secundum quod gaudemus de bono divino *in se* considerato; alio modo secundum quod gaudemus de bono divino, prout *a nobis* participatur. Primum autem gaudium melius est, et hoc procedit principaliter ex caritate, sed secundum gaudium procedit etiam ex spe."—Ubi liquet ad mentem esse S. Doctoris quod caritas *secundario* ferri possit in beatitudinem nostram, quatenus hæc reducibilis est in Dei gloriam. [1]

4° *Ratione.—a)* Constat ex Scripturis aliisque fontibus theologicis (art. præc.) caritatem hominis ad Deum veram esse amicitiam secundum amorem benevolentiæ. Atqui *amor benevolentiæ* intenditur ad bonitatem absolutam amici. Ergo.—*b)* Insuper, Deus a nobis diligendus est ex duplici, quo pollet, amabilitatis titulo, scil. tum ob bonitatem suam respectivam, tum maxime ob bonitatem suam absolutam. Atqui amore spei Deum diligimus, quia bonus *nobis*: ergo caritate diligere eum debemus, quia bonus *in se*.

2ª *Pars concl.* dirigitur contra *Gonet* aliosque contradicentes theologos.

Et sane 1° juxta *D. Thomam* (hic, art. 4), caritas pro objecto formali habet "bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum," hoc est, bonum divinum, in quantum excellentia ejus intrinseca materiam præbet beatificæ visionis. Atqui visio beatifica Deum attingit sicuti est, nempe secundum hanc adæquatam rationem quæ involvit naturam, personas et attributa. Ergo.—2° Caritas fertur in Deum secundum id quod est *a parte rei*, non autem secundum id quod est in mente tantum: siquidem proprium est voluntatis inclinari ad res in se et realiter spectatas. Atqui Deus a parte rei ita subsistit ut omnia quæ in eo sunt ad unum

1—Cf. 3 S. D. XXIX, Q. I, a. 4.

summum et eminentem conceptum objectivum reduci oporteat. Ergo.—3° Itaque concludamus Deum secundum rationem suppositalem vel personalem *illum* esse quem *principaliter* ex caritate diligimus, causam autem *motivam* amoris nostri sitam esse in Ejus transcendentali bonitate in qua conveniunt quæcumque Dei sunt [1].

Corollarium sequitur (contra Suarez) [2], videl. caritatem esse *unius speciei* atomæ: quippe unum specie est *fundamentum* amicitiæ hominis ad Deum quod reposuimus in deiformitate constituta per gratiam habitualem; una est etiam *ratio formalis* qua movemur ad amandum Deum propter se et omnia propter Deum, scil. divina bonitas (cf. infra, Q. III, a. 1).

Solv. obj. — OBJ. 1 (cont. 1am concl.) — Juxta Patres (Hieronym. et August.), caritas ingreditur definitionem omnis virtutis. Atqui nulla virtus specialis ponitur in definitione communis virtutis. Ergo.

RESP. *D. M*:...quasi sit essentialiter omnis virtus, *N*; quia omnes virtutes ab ea sumunt suam perfectionem, in quantum est finis omnium virtutum et præceptorum secundum illud (1 Cor. I, 5) *Finis præcepti est caritas*, *C.—C.d.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Id quod se extendit ad opera omnium virtutum nequit esse specialis virtus. Atqui caritas, teste Ap. (1. Cor. XIII et XVI), ad omnia illa opera se extendit. Ergo.

RESP. *D. M*: Id quod se extendit ut principium *eliciens* ad opera omnium virtutum...*C*; ut principium *imperans*... *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3 (cont. 2am concl.)—Amare Deum propter beneficia est actus caritatis. Atqui talis amor pro objecto habet bonitatem Dei respectivam. Ergo.

RESP. *D. M*:...quatenus beneficia sint *motivum* amandi, *N*; in quantum sunt *medium* quo divina bonitas nobis innotescit, *C.—C.d.m.—Neg. conseq.*

" Secundum dispositionem, quæ reducitur ad genus causæ materialis, dicimur aliquid diligere propter id quod nos disposuit ad ejus dilectionem, puta propter aliqua beneficia

1—Cf. Billuart, *de Caritate*, Diss. I, a. 3.
2—*De Caritate*, Disp. II, Sect. 2.

suscepta; quamvis, postquam jam amare incœpimus, non propter illa beneficia amamus amicum, sed propter ejus virtutem" (II-IIæ, Q. XXVII, a. 3). Sic Deus "potest diligi *propter* aliud, quia scil. ex aliquibus aliis *disponimur* ad hoc quod in Dei dilectione proficiamus, puta per beneficia ab eo suscepta, vel per præmia sperata, vel etiam per pœnas quas per ipsum vitare intendimus" *(ibid.)*.

ARTICULUS III

Utrum caritas sit excellentissima virtutum.

Vindicanda succedit prioritas *dignitatis* qua excellit caritas.—*Lutherani* ex suo falso principio de sola fide justificante intulerunt caritatem esse *simpliciter* fide inferiorem. — Quidam autem Doctores catholici, distinguentes inter *esse moris* et *esse naturæ* virtutum, agnovere quidem in esse moris supremam caritatis excellentiam, at opinati sunt in esse naturæ fidem, utpote generis intellectivi, caritati præcellere.

Conclusio.—CARITAS EXCELLENTIOR EST OMNIBUS VIRTUTIBUS, QUIN, SALTEM PROBABILIUS, FIDES SECUNDUM ESSE NATURÆ PRÆEMINEAT.

1ª *Pars* omnimoda certitudine constat. — Nam 1º non solum Apostolus caritatis primatum pluries asseruit, puta (1 Cor. XIII, 13): *Major autem horum est caritas*; (Rom. XIII, 10): *Plenitudo legis est dilectio*, et (Coloss. III, 14): *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis*; sed ipse Christus de dilectione Dei dixit (Matth. XXII, 38): *Hoc est maximum et primum mandatum.*

2º Consonant verba *S. Augustini* (de Trin. l. VIII, c. 8): "Amplectere dilectionem Deum, et dilectione amplectere Deum. Ipsa est dilectio quæ omnes bonos Angelos et omnes Dei servos consociat vinculo sanctitatis, nosque et illos conjungit invicem nobis et subjungit sibi." Et *(ibid.* l. XV, c. 18): "Nullum est isto Dei dono excellentius." — Accedit *S. Bernardus* (Serm. 27 in Cantica): "Quantitas cujus-

cumque animæ, inquit, æstimatur de mensura caritatis quam habet : ut v.g. quæ multum habet caritatis, magna sit ; quæ parum, parva ; quæ vero nihil, nihil ; dicente Apostolo : *Si caritatem non habuero, nihil sum* [1]."

3° Illa est virtus excellentior quæ altiorem actuum humanorum regulam, sc. Deum, altius attingit. Atqui hujusmodi est caritas : ergo. *Maj.* patet : cum enim bonitas humanorum actuum attendatur secundum eorum conformitatem ad debitam regulam, virtus humana, quæ est bonorum actuum principium, consistit in attingendo eamdem moralitatis regulam. Porro hæc regula duplex est : ratio humana, veluti regula inferior ; et Deus, veluti suprema regula, a qua ratio ipsa dependet. Ergo. *Min. decl. a)* Imprimis virtutes *theologicæ*, quæ Deum pro objecto habent, quæque idcirco secundum regulam superiorem mensurantur, excellentiores sunt virtutibus moralibus vel intellectualibus, quarum regula est humana ratio. *b)* Inter ipsas autem virtutes theologicas, illa potior dicenda est quæ magis Deum attingit : hæc autem est caritas. Nam (ait Auctor) " semper id quod est *per se* majus est eo quod est *per aliud*. Fides autem et spes attingunt quidem Deum secundum quod ex ipso provenit *nobis* vel cognitio veri vel adeptio boni : sed caritas attingit ipsum Deum, ut *in ipso sistat*, non ut ex eo aliquid nobis proveniat ; et ideo caritas est excellentior fide et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus, sicut etiam prudentia, quæ attingit rationem secundum se, est excellentior quam aliæ virtutes morales, quæ attingunt rationem secundum quod ex ea medium constituitur in operationibus vel passionibus humanis."

2ª *Pars* additur contra quosdam theologos, et probabiliorem sententiam promit.—Etenim 1° *S. Thomas* simpliciter pronuntiat caritatem præstantiorem cæteris virtutibus, quin fidem distinguat secundum *esse moris* et *esse naturæ*.— Immo 2° præcellentiam caritatis infert ex modo operandi illius virtutis, quod est, ex physica ejus indole (resp. ad 1) : ubi sic ratiocinatur. Operatio intellectus completur secundum quod intellectum est in intelligente, ideoque ejus nobi-

1—Lectori commendamus classicum *S. Francisci Salesii* opus : *Traité de l'Amour de Dieu ;* ubi divina caritas ejusque præstantia admodum concinne describuntur.

litas secundum mensuram intellectus attenditur; operatio autem voluntatis perficitur in inclinatione volentis ad rem, unde ex re seu objecto volito dignitas operationis appetitivæ desumitur. Porro ea quæ sunt infra animam nobilius existunt in anima quam in seipsis; ea vero quæ sunt supra animam nobiliorem essendi modum habent in seipsis quam in anima. Ergo eorum quæ sunt infra nos nobilior est cognitio quam dilectio; at eorum quæ sunt supra nos, et præcipue Dei, dilectio cognitioni præfertur (saltem quamdiu in tenebris fidei versamur). Unde caritas *viæ* fidem præeminet; licet caritas *patriæ* nequeat visionem Dei immediatam excedere.

Solv. obj.—Obj. 1.—Altioris potentiæ altior est virtus. Atqui intellectus altior est voluntate, quam dirigit. Ergo fides quæ est in intellectu, etc.

Resp. *C. M.—D.m :...* absolute, *C;* in omni statu et respectu cujuslibet objecti, *N.—Neg. conseq.*

Obj. 2.—Illud, per quod aliud operatur, videtur eo esse inferius. Atqui *fides per caritatem operatur* (Gal. V, 6). Ergo.

Resp. *D. M :...*per quod, sicuti per instrumentum, aliud operatur...*C;* sicuti per formam seu agendi principium, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Obj. 3.— Quod se habet ex additione ad aliud eidem præcellit. Atqui spes seu objectum spei addit objecto caritatis rationem *ardui*. Ergo.

Resp. *D. M :...* ex additione perfectiva, *C;* ex additione restrictiva perfectionis, *N.—C.d.m.—Neg. conseq.*

Quamvis caritas et spes idem bonum divinum pro objecto materiali habeant, prior tamen præstat alterâ : tum quia illa fertur ad bonitatem Dei *absolutam*, hæc autem ad *respectivam*; tum quia caritas importat *unionem* ad suum objectum, spes vero *distantiam* quamdam a bono quod sub specie ardui possibilis proponitur.

ARTICULUS IV.

Utrum caritas sit forma virtutum.

(Art. 7-8)

Quantus sit caritatis influxus, imo quanta ejus necessitas in actibus nostris *meritoriis*, alibi (Disp. V, Q. II, a. 4) compertum fecimus.—Ut vero ejus *habitudo* ad *cæteras virtutes* pleniori evidentia clarescat, nonnulla amplius, concisa licet oratione, disserenda sunt.

Conclusio 1ª.—SINE CARITATE NEQUIT ESSE VERA SIMPLICITER VIRTUS; NIHILOMINUS ESSE POSSUNT VERÆ VIRTUTES IMPERFECTE SEU SECUNDUM QUID.

1ª *Pars* ostend.—Et 1º *auctoritate;* legitur enim (1 Cor. XIII, 3): *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*—Unde *S. August.* (l. IV, c. Julianum, c. 3): "Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes." Et (de Trin. l. XV, c. 18): "Sine caritate fides potest quidem esse, sed non et prodesse."

2º *Ratione.—a)* Virtus vera *simpliciter* illa est quæ finale et perfectum hominis bonum, in Dei fruitione positum, attingit sive per se et immediate, sive mediante ordinatione superioris virtutis. Atqui solius caritatis est per se attingere supremum illud bonum, animam copulando cum Deo juxta biblicum effatum (Ps. LXXII, 28): *Mihi adhærere Deo bonum est;* unde ejus est etiam cæteras virtutes, ad finem particularem proxime ordinatas, in illum ultimum finem referre. Ergo sine caritate nulla est vera simpliciter virtus.—*b) Conf.* (a. 7, resp. ad 2): nam cum finis se habeat in agibilibus, sicut principium in speculabilibus, quemadmodum non potest esse simpliciter *vera scientia*, si desit recta æstimatio de primis principiis, ita non potest esse vera simpliciter virtus, puta justitia vel castitas, nisi adsit suprema ad finem ordinatio quæ fit per caritatem.

2ª *Pars* concedit sine caritate *veras* esse virtutes *secundum quid* (a fortiori virtutes *falsas*, cujusmodi est *prudentia* avarorum), et vix ullo negotio suadetur.—Nam 1º præter ea

quæ in Tract. *de Gratia* (Disp. II, Q. un., a. 2) dicta sunt, huc faciunt pleræque propositiones Baii et Quesnelli damnatæ a RR. PP. En 55ª *Quesnelli* : " Deus non coronat nisi caritatem : qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, *in vanum* currit."—2° Vera, etsi imperfecta, dicenda est virtus alicujus caritate carentis, quæ illum ordinat ad *verum* bonum *de se* referibile in ultimum finem bonisque actibus prosequendum. Atqui nihil prohibet quominus homo, extra caritatem constitutus, eliciat actus bonos *ex suo genere* quibus verum bonum particulare, puta debitum cuique reddendum, intendat : siquidem non tota hominis perfectio per peccatum tollitur. Ergo. (Resp. ad 1)

Conclusio 2ª.—CARITAS NON IMMERITO ESSE DICITUR FORMA VIRTUTUM.—Agitur de virtutibus, non in proprio genere, sed in ordine ad *finem ultimum* et *simpliciter* spectatis.—Concl. enunciata quasi corollarium ex præc. profluit, atque *unanimiter* a theologis asseritur.

Prob. — 1° Id est forma virtutum quod se habet uti vitale quoddam principium, quo illæ virtutes virescunt atque frugescunt in finem vitæ æternæ. Atqui, teste Ap. (1 Cor. XIII), sine caritate virtutes fidei, misericordiæ, fortitudinis, vitio sterilitatis laborant, at e contrario per eam vivificantur. Ergo.—2° In moralibus id quod actui imprimit ordinem ad finem, dat ei et formam, et consequenter ipsam, cujus est actus, virtutem informat. Atqui per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem. Ergo. *Maj.* apparet ex eo quod principium moralium actuum est voluntas, cujus objectum et quasi forma est finis. Porro actus speciem et formam recipit secundum formam agentis. Idcirco quod est formale ex parte finis formaliter influit in actum et in virtutem ipsam actui proportionatam. *Min.* constat ex hactenus dissertis de caritate ; quæ, eo ipso quod Deum altissimo modo seu secundum se attingit, omnibus virtutibus dominatur, omnes regit, omniumque actus ordinat in Dei gloriam.

Solv. obj. (cont. 2am concl.)—OBJ. 1.—Forma alicujus rei vel est exemplaris, vel essentialis. Atqui caritas, specie et numero distincta a cæteris virtutibus, neutra forma esse potest respectu illarum virtutum. Ergo.

RESP. *C. M.—D. m* :...non est forma constituens alias virtutes in esse virtutis *communiter*, *C*;...in esse virtutis

simpliciter et perfecte, eis imprimendo superiorem ordinem ad finem, *N.—Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Caritas comparatur ad alias virtutes ut *radix* et *fundamentum*. Atqui radix et fundamentum materiæ magis quam formæ rationem habent. Ergo.

RESP. *D. M* :...secundum analogiam causæ *materialis*, *N*; secundum rationem causæ *perfectivæ*, in quantum scil. ex ea omnes aliæ virtutes sustentantur et nutriuntur, *C.—C.d.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3.—Forma distinguitur a fine et agente. Atqui caritas dicitur finis et *mater* virtutum. Ergo.

RESP. *D. M* : Forma intrinseca...*C*; forma extrinseca qua res, jam intrinsecus constituta, in altiorem finem sublimatur, *N.—C.d.m* :...secundum quod intrinsece constituuntur, *N*; secundum quod extrinsece ordinantur ad finem proprium caritatis, ex cujus finis appetitu caritas quodammodo concipit et parit actus vivificatos illarum virtutum, *C.—Neg. conseq.* [1]

1—Vid. plura in Q. un. *de Caritate*, a. 3.

QUÆSTIO SECUNDA

DE CARITATE IN COMPARATIONE AD SUBJECTUM

Sub hoc disputationis capite et constrictis S. Thomæ articulis, quatuor breviter inquirenda et determinanda subeunt.—In confesso est caritatem, quæ bonum mente apprehensum prosequitur, subjectari in *voluntate;* at circa ejus habitudinem ad istud subjectum, quadruplex dubium proponi potest : unum de caritatis *origine;* aliud de ejus *augmento;* tertium de ejus *diminutione;* quartum de ejus *amissione*. Tot aderunt articuli.

ARTICULUS I.

De origine caritatis.

(Q. XXIV, a. 2-3)

Divina caritas ignis est et flamma quæ accendi indiget in animis humanis ut mox ardescens foveatur et succrescat, vitia comburat, nobileque virtutum studium magis magisque concitet.—Quæ diximus de causa gratiæ (Disp. IV, Q. 1) sufficientia quidem forent ad originem caritatis, inseparabilis gratiæ comitis, revelandam ; pauca tamen addere juvabit, ut doctrinæ veritas, enucleatius prolata, manifestius fulgeat.

Conclusio 1ª.—CARITAS PRODUCI ALITER NON POTEST QUAM PER SP. SANCTI INFUSIONEM.—Agitur de causa *principali*, nec thesis dubia esse potest post verba *Trid.* (Sess. VI, cap. 7).

Sane 1º celebris est vox Christi (Luc. XII, 49): *Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur !* Ignis iste, juxta primariam doctorum interpretationem, scintilla est e cœlo delapsa seu ex Christi caritate profecta ad incendium divini amoris in humanis cordibus excitandum.—Succedit illud Ap. (Rom. V, 5) *: Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Sp. Sanctum*, etc.

2° *a)* Caritas est amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicationem gratiæ et gloriæ. Atqui communicatio hæc est essentialiter *supernaturalis*. Ergo et ipsa caritas facultatem naturæ excedit. Quod autem excedit naturæ facultatem non potest neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales acquiri. Ergo caritas a Deo infunditur.—*b) Conf:* quia caritas, qua Deum supernaturaliter cognitum diligimus, *participatio* est et veluti emissio illius increatæ caritatis qua Deus se, et omnia in se, æternali trium Personarum complexu diligit.

Coroll.—1° Licet homo se, auxiliante Deo, per suos actus *disponere* valeat ad gratiam et caritatem accipiendam, non tamen hanc caritatis virtutem immediata *efficientia* in seipso producit [1], sed solus Deus.—2° Neque per actus præacceptæ caritatis potest homo novum *ejusdem speciei* habitum generare; ait enim *S. Thomas* (Q. un. *de Virt. in comm.* a. 10 ad 19): "Actus virtutis infusæ non causant aliquem habitum, sed per eos augetur habitus præexistens: quia nec ex actibus virtutis acquisitæ aliquis habitus generatur; alias multiplicarentur habitus in infinitum."—3° Tamen probabiliter concedi potest cum quibusdam auctoribus (cf. Proœmium, n. 4) quod caritas præexistens repetitis actibus gignat, per modum *indirectæ* actionis et dispositionis, aliquem habitum dilectionis specie *naturalem*, quo facilitas amandi extrinsecus augeatur.

Conclusio 2ª.—QUANTITAS CARITATIS DEPENDET PRINCIPALITER A SOLA VOLUNTATE DEI, SECUNDARIO AUTEM ET PROXIME AB HUMANÆ VOLUNTATIS CONATIBUS GRATIA EFFECTIS.

1ª *Pars* prob:—1° ex *Scriptura*; legitur enim (Joan. III, 8): *Spiritus, ubi vult, spirat*; et (1 Cor. XII, 11): *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Unde caritas datur non secundum capacitatem naturalium, sed secundum voluntatem Spiritus sua dona distribuentis.—2° *Ratione.* Etenim uniuscujusque rei quantitas ex propria ejus causa dependet. Atqui caritas, naturam superexcedens, ortum non habet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia Dei infundentis. Ergo quantitas caritatis

1—Cf. I S. D. XVII, Q. II, a. 3.

non dependet ex conditione naturæ vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum aut principaliter ex voluntate liberrima Sp. Sancti.

2ª *Pars* patet : quippe æquum est ut caritas infundatur secundum proportionem dispositionum ad illam, juxta dictum Evang. (Matth. XXV, 15) : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Porro dispositiones hominis ad caritatem sunt voluntatis conatus, quos tamen Sp. Sanctus vi suæ gratiæ prævenit et adjuvat. Ergo.—*Notetur* hic discrimen inter *Angelos* et *homines* : Angeli enim, qui sunt pure intellectuales, subindeque totaliter feruntur in id quod appetunt, eo magis conantur ad caritatem majoremque consequuntur quo superiores naturâ sint ; homines e contra, cum sint ex spiritu et materia compositi, non sunt semper in actu, neque semper eo majores ad bonum conatus adhibent quo meliora naturalia habeant : unde non raro *humiles* et *rudes* ardentiori amore fervent erga Deum quam doctores et principes.

ARTICULUS II.

De augmento caritatis.

(Art. 4-9)

Peracta quæstione de origine caritatis, inquirendum est de ejus *augmento* : quæ quidem inquisitio quadrifariam fieri potest, nempe vel quoad *progressum* absolute sumptum, vel quoad progrediendi *modum*, vel quoad progressus *extensionem*, vel tandem quoad *gradus* in quos distingui progressum oporteat.—Materia præsentis articuli proximum præbet fundamentum *Theologiæ Mysticæ* [1] seu affectivæ quæ, præeunte Theologia speculativa, et lumine cœlestis sapientiæ illustrante, incumbit inducendæ christianæ perfectioni per incrementa caritatis, in quibus perfectio illa principaliter consistit [2].

1—Cf. Thom. a Vallgornera O. P., *Mystica Theologia Divi Thomæ*, ed. Berthier, 1890.

2—Cf. II-IIæ, Q. CLXXXIV, a. 1 ;—necnon Scaramelli, *Guide ascétique*, Tr. I, art. 1.

Conclusio 1ª.—Caritas viæ certo augeri potest.—Dico *caritas viæ*, ut distinguatur a caritate immutabili patriæ.—Est *de fide*, juxta *Trid.* (Sess. VI, cap. 10) : " Hoc justitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei et *caritatis augmentum*."

Revera 1º expresse scribit Ap. (Phil. I, 9) : *Hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet ;* ad quod monitum reducitur aliud (Gal. VI, 9) : *Bonum facientes, non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes.*—Hinc 2º *S. August.* (l. de Nat. et Gr. c. 70) : " Caritas inchoata, inchoata justitia est ; caritas provecta, provecta justitia est ; caritas magna, magna justitia est," etc. Consonat dictum illud SS. Patrum (Gregorii, Bernardi, etc.) quod " in via Dei stare, retrocedere est."—3º *Ratio* est evidens. Ex hoc enim dicimur esse viatores quod in Deum, ultimum finem, tendimus : qua in via tanto magis procedimus, quanto magis Deo propinquamus, non quidem passibus corporis, sed mentis affectibus. Atqui hanc propinquitatem efficit caritas, qua mens Deo conjungitur, quæque propterea via ab Ap. nominatur (1 Cor. XII, 31) : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Ergo de ratione caritatis viæ est ut possit augeri. *Conf* : quia si non posset augeri, jam cessaret viæ processus ; quod aperte repugnat.

Conclusio 2ª.—Caritas augetur per modum intensionis ; quam intensionem quolibet actu meretur, sed suo tempore et non semper statim consequitur. Tres sunt partes seorsum manifestandæ.

1ª *Pars* communiter tenetur a theologis, quamvis sit quædam diversitas in ea exponenda.

Prob.—*a)* Habitus augeri potest dupliciter, vel per additionem, vel per intensionem : per *additionem* quidem, dum extenditur ad quædam objecta ad quæ prius se non extendebat, v.g. scientia geometriæ de novis geometricalibus ; per *intensionem* vero, quatenus majorem vim intrinsecam induit, puta quod veritas jam apprehensa a docto certius cognoscatur. Atqui caritas augeri nequit per simplicem additionem ; quippe minima caritas se extendit ad omnia illa quæ sunt ex caritate diligenda : manet igitur ut augeatur per intensionem.—*b)* Id autem explicat *S. Thomas* per majorem subjecti participationem seu *radicationem in subjecto.* Etenim cari-

tas est accidens. Porro accidens seu forma accidentalis intenditur et remittitur secundum quod magis vel minus subjecto inhæret et in ipso participatur: siquidem accidentis esse est inesse, ideoque nihil est aliud accidens secundum essentiam augeri quam illud magis subjecto inesse seu in subjecto radicari. Ergo gradus caritatis commensurantur suntque accipiendi secundum gradus inhæsionis seu participationis in anima [1].

2ª *Pars* est, quod quilibet actus caritatis etiam *remissus*, sive elicitus, sive imperatus, meretur de condigno caritatis augmentum: id contra *Durandum* aliosque paucos militat, jureque docetur a *S. Thoma* (heic art. 6 ad 1).

Nam 1º *Conc. Trid.* (Sess. VI, can. 32) ait: "Si quis dixerit...justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et J. C. meritum...fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ...atque etiam gloriæ...A. S." Porro actus caritatis etiam remissus est bonum opus ejusmodi. Ergo vere seu de condigno meritorius est augmenti gratiæ et gloriæ, et consequenter caritatis quæ comitatur gratiam et cui correspondet gloria.—2º Legitur (Marc. IX, 40): *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo...non perdet mercedem suam*, seu merebitur augmentum gloriæ, subindeque gratiæ et caritatis, quibus gloriam consequimur. Atqui opus illud minimum quiddam est inter opera pietatis: ergo.—3º *Ratio* idipsum confirmat. Conditiones enim meriti simpliciter præcipuæ sunt, ut ponatur actus bonus, ex gratia et caritate, in obsequium Dei. Jamvero hæc omnia reperiuntur in actu etiam remisso, sive elicito, sive imperato, caritatis. Igitur etc [2].

3ª *Pars* exprimit probabiliorem sententiam circa *tempus* quo augmentum caritatis et gratiæ confertur; quæ *D. Thomæ* opinio amplectenda videtur, licet plures, inter quos *cl. Mazzella*, ei contradicant.—Agitur, ut patet, non de *jure* ad augmentum quod statim acquiritur, sed de augmenti *collatione*.—Duo discutiuntur, scil. an statim, et quando augmentum illud actibus remissis conceditur.

Quoad 1um, occurrit ratio *Angelici*. Augmentum gratiæ et caritatis, sicut ipsa gratia et caritas, non recipitur physice nisi in subjecto proxime et realiter disposito. Atqui actus

1—Vid. plura ap. Cajetanum in art. 5.
2—Cf. Gonet, Billuart, etc.

remissi, seu actus deficientes ab intensione præexistentis caritatis, etsi rationem meriti habeant, nequeunt tamen esse proximæ dispositiones sufficientes, saltem in ordine physico, ad augmentum ejusdem habitus. Ergo. — *Conf.* exemplo animalium, quorum augetur quantitas non secundum motum continuum, sed postquam præviæ operationes digestionis et absorptionis seu assimilationis alimentorum subjectum ad ultimam dispositionem augmenti perduxerint.

Quoad 2um, citanda sunt Auctoris verba (hic, a. 6) : "Non quolibet actu caritatis caritas actu augetur ; sed quilibet actus *disponit* ad caritatis augmentum, in quantum ex uno actu caritatis homo redditur promptior ad agendum iterum secundum caritatem, et, habilitate crescente, homo prorumpit in actum *ferventiorem* dilectionis quo *conetur* ad caritatis profectum ; et *tunc* caritas augetur in actu." Si vero contingat aliquem mori post actus remissos antequam actum intensiorem posuerit, æstimandum est ei retribui mercedem augmenti in patria.—*Conf.* ex (resp. ad 2) ; quia " etiam in generatione virtutis acquisitæ non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam ut disponens ; et ultimus, qui est perfectior, *agens in virtute omnium* præcedentium, reducit eam in actum, sicut etiam est in multis guttis cavantibus lapidem." [1]

Conclusio 3^a. — CARITAS VIÆ IN INFINITUM AUGERI POTEST.—Id definitum est in *Conc. Vienn.* contra *Beguardos* et *Beguinas.*

Prob. 1° *auctoritate.*—Legitur (Phil. III, 12) : *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim : sequor autem, si quo modo comprehendam ;* ubi ait Glossa ord. (ex Aug., Enarr. in Ps. 69, n. 8) : " Nemo fidelium, etsi multum profecerit, dicat : Sufficit mihi. Qui enim hoc dicit, de via exit ante finem."

2° *Ratione.*—Terminus augmento alicujus formæ præfigi potest tripliciter : uno modo, ex parte *formæ* ipsius, quæ habeat terminatam mensuram ultra quam non detur progrediendi locus, quin formæ species corrumpatur, ut patet in pallore declinante vel ad albedinem vel ad nigredinem ; alio

1—Cf. Joan. a S. Thoma, Gonet, etc ;—1 S. D. XVII, Q, II, a. 3.

modo, ex parte *agentis*, cujus virtus non se extendit ad ulterius formæ augmentum in subjecto; tertio modo, ex parte *subjecti* quod non est capax ulterioris perfectionis. Atqui nullo istorum modorum potest in statu viæ terminus augmento caritatis imponi. Ergo. *Min. decl.* Etenim *a)* caritas *secundum se* participatio quædam est infinitæ atque inexhaustæ Dei caritatis. *b)* Similiter *causa* auctrix caritatis, seu Deus, infinita virtute præpollet. *c)* Tertio, quamvis capacitas *subjecti* finita sit, tamen, caritate excrescente, superexcrescit ejus habilitas ad ulterius augmentum, juxta illud (2 Cor. VI, 11): *Cor nostrum dilatatum est.* Ergo.

Subnotanda.—1° Sicuti linea, quantumcumque crescat, non attingit quantitatem superficiei, ita caritas viæ, *simpliciter* loquendo, augeri nequit usque ad perfectionem caritatis patriæ.—2° Equidem, differentia Dei visi per *fidem*, unde caritas viæ, et Dei visi per *intuitionem*, unde caritas patriæ, non mutat caritatis essentiam, sed eadem numero caritas in æternum manere potest juxta illud (1 Cor. XIII, 8): *Caritas nunquam excidit*; qua de causa quidam putant caritatem *habitualem* alicujus eximioris sancti (præsertim B. M. Virginis) in via potuisse vel posse quadamtenus excedere habitum caritatis alicujus inferioris beati.—3° Tamen caritas patriæ, utpote consequens apertam Dei visionem, semper est perfectior qualibet caritate viæ, saltem quoad *statum* et operandi *modum* [1].

Conclusio 4ª.—CARITAS POTEST IN HAC VITA QUAMDAM PERFECTIONEM ASSEQUI; UNDE RECTE DISTINGUUNTUR TRES GRADUS, SCIL. CARITAS INCIPIENS, PROFICIENS, ET PERFECTA.

1ª *Pars decl.*—Et imprimis perfectio caritatis potest dupliciter intelligi: ex parte *diligibilis* et ex parte *diligentis*.

Porro, primo modo seu *objective*, *nullius creaturæ caritas potest esse perfecta*, sed sola caritas divina.—Namque caritas ex parte rei diligibilis ea perfecta est qua diligitur aliquid, quantum diligibile est. Atqui Deus, sicuti est infinite bonus, ita est infinite amabilis; nulla autem creatura valet infinite illum amare. Ergo.

Ex parte vero *diligentis* seu *subjective*, tunc est caritas

1—Vid. plura ap. Cajetanum in h. art.

perfecta, quando quis diligit tantum quantum potest. Id autem contingit tripliciter.—*a)* 1us modus est, quod totum cor hominis semper actu in Deum rapiatur; et hæc est *perfectio caritatis patriæ*, non autem viæ: siquidem humanæ vitæ infirmitates prohibent ne semper actu de Deo cogitemus et amore continuo in Ipsum feramur.—*b)* 2us modus est, quod homo studium suum Deo rebusque divinis deputet omni ratione et diligentia qua fieri possit, attenta necessitate præsentis vitæ; et hæc est *perfectio caritatis* possibilis quidem *in via*, *rarior* tamen et paucioribus conveniens.—*c)* 3us modus consistit in eo quod aliquis totum cor suum in Deo habitualiter ponat, nihil cogitans aut volens divinæ dilectioni contrarium; et hæc perfectio *communis* est omnibus caritatem habentibus.

2^{a} *Pars* est de tribus caritatis *gradibus*, quibus correspondent tres viæ, sc. *purgativa*, *illuminativa*, *unitiva*, et secundum quos divisio *Theologiæ Mysticæ* recte accipitur.

1° Hæc distinctio Patribus, scholasticis et mysticis scriptoribus inde a *S. Augustino* probata est. Audiatur Doctor Hipponensis (Tr. 5 in 1 Ep. Joan. n. 4): "Caritas... cum fuerit nata, *nutritur;* cum fuerit nutrita, *roboratur;* cum fuerit roborata *perficitur;* cum autem ad perfectionem venerit, dicit: Cupio dissolvi et esse cum Christo." Ubi tres status, sc. incipientium, proficientium et perfectorum, perspicue enunciantur.—Locus est recolendi prop. 26^{am} *M. Molinos* damnatam ab *Innoc. XI:* "Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, est absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica."

2° *Rationes* a D. Thoma adductæ ad suadendam præfatam distinctionem tres præcipuæ sunt.

1^{a} *ratio* ex *motu*.—In motu corporali tria accipere est, recessum a termino, appropinquationem ad alium terminum, et quietem in hoc termino. Atqui vita spiritualis se habet veluti motus animæ ad Deum. Ergo distinguendus est status incipientium seu recedentium a peccato, status proficientium seu propinquantium ad Deum, et status perfectorum seu quiescentium in Deo.

2^{a} *ratio* ex *augmento physico*.—Spirituale augmentum caritatis præ se fert veram quamdam analogiæ speciem cum augmento physico hominis. Atqui in homine, pro diversitate

actionum aut effectuum quibus quæque ætas idonea est, recte distinguimus statum pueritiæ, statum juventutis, et statum virilitatis. Ergo etc.

3ª *Ratio* ex *effectibus caritatis.*—Diversi caritatis gradus accipiendi sunt secundum diversa studia vel notabiliores effectus ad quos homo per caritatis augmentum disponitur. Porro studia illa atque effectus triplicis sunt generis: ergo. *Min. decl.—a)* Primo quidem homini incumbit *principale studium contra peccatum*, caritati contrarium, unde maxime occupatur ut a culpis præteritis emundetur et a futuris præcaveat; et hoc pertinet ad *incipientes*, viæ *purgativæ* sequaces, in quibus caritas nutrienda et contra concupiscentias fovenda est, ne corrumpatur.—*b)* Secundum studium est, ut homo, jam fiduciam de liberatione peccatorum habens, *principaliter intendat ad profectum in bono*, excolens omnes virtutes, venialia quæque oppugnans, et obsequens dociliter Sp. Sancti motionibus; et hoc pertinet ad *proficientes* in via *illuminativa*, non quasi in aliis statibus nullus sit profectus, sed quia in hoc statu præcipua cura est sub divino lumine de bonis virtutum adipiscendis: nihilominus vir justus et prudens, ad perfectionem anhelans, una manu facit opus et altera tenet gladium, ut dicitur (2 Esdr. IV, 12) de ædificatoribus Jerusalem.—*c)* Tertium studium est, ut homo, jamdiu firmatus contra peccatum et exercitio virtutum roboratus, sese in Dei sinum recipiat, *Deo mente affectuque inhæreat*, ejusque conversatione per hanc ineffabilem unionem, unionis beatificæ inchoativam, fruatur; et hoc pertinet ad *perfectos*, viam *unitivam* ingressos, qui cupiunt *dissolvi et esse cum Christo* [1]: cujusmodi fuerunt sancti præsertim sub finem vitæ penitus in Deum abrepti. His congruunt verba (Is. LVIII, 11-14): *Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam...Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ* [2].

1—Phil. I, 23.
2—Cf. II-IIæ, Q. CLXXXIII-CLXXXIV.

ARTICULUS III.

De diminutione caritatis.

Quæstio non est de *actibus* caritatis quos constat modo intensiores, modo remissiores esse, sed de *habitu.*—Quod autem dicturi sumus de caritate proportionaliter intelligendum est de *gratia virtutibusque* adnexis.

Conclusio.—CARITAS HABITUALIS NON POTEST DIMINUI DIRECTE, BENE TAMEN INDIRECTE.

1ª *Pars*, teste Suarez (de Gr. l. XI, c. 8, n. 7), *communis* et *certa* sententia est apud theologos.

Prob.—Diminutio *directa* caritatis, si quæ haberi posset, vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti contingeret. Atqui neutro modo datur: ergo.—*Non ex parte objecti;* siquidem ex hoc capite caritas etiam minima in summo est, quatenus extenditur ad omnia ea quæ sunt ex caritate diligenda: unde objective nec augeri, nec minui potest.—*Non ex parte subjecti;* id enim fieret vel per aliquem actum, vel per cessationem ab actu. Verum 1º *non per cessationem ab actu* (in qua desit peccatum): nam hoc pacto minuuntur quidem et quandoque etiam corrumpuntur virtutes ex actibus *acquisitæ*, non autem virtutes infusæ. Atqui caritas non causatur ab humanis actibus, sed a solo Deo infundente. Ergo. Neque 2º *per aliquem actum positivum*: hic enim actus aut esset *Dei* caritatem minuentis, aut *hominis* male operantis. Atqui a Deo non causatur aliquis defectus in nobis nisi per modum pœnæ, peccato debitæ, et sic gratiam peccantibus non raro subtrahit. Ergo, si caritas minuatur, diminutionis ejus causa sit oportet peccatum vel mortale vel veniale. —*a)* Porro *peccatum mortale* non minuit, sed totaliter corrumpit caritatem tum *physice*, ut in art. seq. dicetur, tum *moraliter* et *demeritorie*, quia cum peccando mortaliter aliquis contra caritatem agit, dignum est ut Deus ei caritatem subtrahat. — *b)* Similiter etiam per *peccatum veniale* caritas directe minui non potest, neque physice, neque demeritorie. Non *physice*, quia peccatum veniale caritatem non attingit. Etenim caritas versatur circa ultimum finem cui animam conjungit; veniale autem peccatum est levis inordinatio circa ea quæ sunt ad finem. Atqui non

diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa media, ut patet in infirmis quorum non minoratur desiderium sanitatis, etsi paululum diætæ observationem negligant. Ergo. Non *demeritorie:* quippe cum aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori; et ratio *S. Thomæ* aurea est: " Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso." Ergo qui levi peccat inordinatione circa media ad finem, non meretur jacturam aliquam sustinere in caritate, per quam ad ultimum finem ordinatur [1].

2ª *Pars* concl. evincitur; quia potest dici *indirecte* diminutio caritatis dispositio ad corruptionem ipsius. Atqui dispositio hujusmodi habetur dupliciter: *a) primo,* quia peccata venialia disponunt ad mortale quo caritas destruitur, juxta illud (Eccli. XIX, 1): *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Siquidem peccans venialiter eo usque progredi potest ut in peccato veniali finem suum constituat; atque, dum consuescit subjectionem in minoribus debito ordini detrectare, disponitur ad graviora [2]. *b) Secundo,* quia per peccata venialia, cessationem ab actibus piis et vitam tepidam, non solum suspenditur caritatis exercitium, impeditur aut remittitur ejus augmentum, sed meretur homo ut sibi Deus deneget auxilia specialia quibus caritas conservetur.

ARTICULUS IV.

De amissione caritatis.

(Art. 11-12)

1° Caritas considerari potest tripliciter, ex parte Sp. Sancti, ex parte suî, et ex parte subjecti.—*a)* Equidem *ex parte Sp. Sancti* moventis animam ad diligendum Deum, dubitandum non est quin caritas secundum infallibilitatem divinæ virtutis indeficientiam vindicet, juxta illud (1 Joan. III, 9): *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.—b)* Simi-

1—Cf. *de Malo,* Q. VII, a. 2.
2—Cf. I-IIæ, Q. LXXXVIII, a. 3.

liter *ex parte suî* indefectibilis dici debet, quatenus secundum se vera caritas non potest nisi id quod ad caritatis rationem pertinet, neque præstituit amandi tempus, quo expleto amare desinat: quem in sensum referri possunt verba *Joan.* mox recitata.—*e)* Igitur quæstio movetur *ex parte subjecti* vertibilis secundum arbitrii libertatem.

2º Duo in dubium verti possunt, scil. *an* et *quomodo* caritas amittatur. — Amissibilitatem caritatis et gratiæ inficiati sunt *Jovinianus* (sæc. IV), *Beguardi* et *Beguinæ*, necnon *Calvinus.*—Solutio præsentis quæstionis non solum de caritate et gratia, sed etiam de *omnibus virtutibus infusis* valet, salvo eo quod de fide et spe excipiemus.

Conclusio 1ª.—CARITAS VIÆ AMITTI POTEST.—Eo spectat *Trid.* (Sess. VI, can. 23): "Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque *gratiam amittere*...A. S."

1º Liquida sunt *Scripturæ* eloquia; nam legimus (Gal. V, 4): *Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini; a gratia excidistis.* Et (Apoc. II, 4): *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti.*

2º Esto *rationis* suffragium.—*a)* Quandocumque *forma* non replet totam materiæ potentialitatem, tunc subjecto inest amissibiliter; id patet in formis generabilium et corruptibilium, quorum materia sic recipit unam formam ut maneat in potentia ad aliam. Atqui caritas quidem *patriæ* totam replet mentis rationalis potentialitatem, quatenus mens omni actuali motu in Deum rapitur; caritas autem *viæ* non sic potentialitatem sui subjecti adæquat, quia non semper actu fertur in Deum; unde quando actu non agit, potest intervenire aliquod motivum ad peccandum. Ergo caritas patriæ est inamissibilis, caritas autem viæ certo amitti potest.—*b)* Præterea, *habitui* proprium est ut inclinet potentiam ad agendum, faciendo videri et judicari bonum quod ei convenit, malum autem quod ipsi repugnat. Jamvero in patria, ubi Deus seu Bonitas subsistens videtur per essentiam, nihil menti justorum occurrere potest nisi sub ratione veri boni; at nunc plura possunt, præter inclinationem caritatis, ut bona judicari quæ sunt caritati contraria. Ergo [1].

1—Cf. Q. un. *de Caritate,* a. 12.

Conclusio 2ª.—CARITAS PER UNUM ACTUM PECCATI MORTALIS AMITTITUR;—quod definivit *Trid.* (Sess. VI, cap. 15) dicens " *quocumque* alio *mortali peccato*, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti."

Prob. 1° ex *effectibus.—a)* Peccatum *mortale* dicitur, quia per ipsum homo spiritualiter moritur. Atqui id esse non potest præsente caritate, quæ est vita animæ. Ergo [1]. — *b)* Insuper nullus potest esse simul dignus vita æterna et æterna damnatione. Atqui per peccatum mortale meretur homo damnationem æternam, juxta illud (Rom. VI, 23): *Stipendia peccati mors*; caritas autem jus confert ad manifestationem beatificæ visionis, ut patet ex (Joan. XIV, 21): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.* Ergo.

2° Ex *contrarietate* inter caritatem et peccatum.—*a)* Sane, unum contrarium per aliud contrarium superveniens pellitur. Atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur caritati tum formaliter, tum effective: ergo. Dico *formaliter*; nam forma et privatio formaliter sibi opponuntur. Atqui caritas se habet velut forma animam conjungens Deo, qui omnibus præfertur; peccatum vero mortale est e contra aversio a Deo, quia peccando homo creaturam Deo præfert. Ergo. Dico *effective*; quippe *actio* peccati non solum moraliter seu demeritorie caritatem tollit, sed etiam physice inducit contrarietatem seu maculam qua caritatis habitus expellitur [2].—*b)* Neque obstat quod actus non contrarietur directe habitui, ideoque quod unus actus non videatur sufficere ad destruendum habitum contrarium. Siquidem id valet de habitu *acquisito* virtute actuum repetitorum subjecti, non autem de habitu *infuso*, qualis est caritas. Caritas, inquam, dependet ex actione Dei infundentis, tum quoad fieri, tum quoad conservari, subindeque deficere debet semel ac ponatur aliquod obstaculum influentiæ divinæ, sicut lumen cessat, intercepto solis radio. Atqui per quodlibet mortale peccatum interponitur illud obstaculum quo radius divinæ lucis extinguitur divinæque amicitiæ vinculum solvitur. Ergo.

1—*Ibid.*, a. 13.
2—Cf. Joan. a S. Thoma in h. loc.

Notabimus :— 1° *fidem* et *spem* amittere quidem per quodlibet peccatum mortale rationem virtutis perfectæ et *simpliciter* quam ex caritate sortiuntur, non tamen idcirco essentialiter perimi ; siquidem, præterquam quod Scripturæ et *C. Trid.* testantur peccatorem credere et sperare posse, satis constat non omne peccatum mortale formali objecto illarum virtutum adversari.—Verum 2° fides et spes tolluntur per quædam determinata peccata *sibi contraria*, scil. fides per infidelitatem, et spes tum per amissionem fidei tum per desperationem et quemdam præsumptionis excessum [1].

1—Cf. Mazzella, Disp. I, a. 10-11.

———

QUÆSTIO TERTIA

DE OBJECTO CARITATIS

Sermo est de objecto *materiali;* quod quia esse potest *principale* et *secundarium* (art. 1), secundarium vero est vel ipse homo *diligens* (art. 2), vel *proximus* (art. 3), tres habebuntur articuli.

ARTICULUS I.

Utrum dilectio caritatis sistat in Deo, an se extendat etiam ad proximum.

(Q. XXV, a. 1-3)

Titulus perspicuus est, neque declaratione eget.—Sat esto advertere *duo* nobis in proposito exploranda esse, scil. an *eadem* caritatis *specie* diligatur Deus et proximus (contra quosdam theologos), et *quomodo* creaturæ *irrationales* sub caritate cadant.

Conclusio 1ª.—CARITAS EADEM SPECIE DILECTIONIS FERTUR PRIMARIO AD DEUM, SECUNDARIO AD PROXIMUM.

1ª *Pars* innotescit, eo quia *primarium* caritatis objectum illud est in quo primario relucet formale motivum ejusdem virtutis, scil. infinita bonitas ; quod quidem est Deus.—Huc facit quod legitur (Matth. XXII, 38) de dilectione Dei : *Hoc est maximum et primum mandatum.*

2ª *Pars* 1º *Scripturâ* indubitatim nititur ; dicitur enim (1 Joan. IV, 21) : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum ;* quasi nempe una sit specifica ratio diligendi Deum aliosque a Deo.

2º Id confirmat *S. Gregorius* (VII Mor. c. 24), ubi caritatis ramos velut ex uno trunco prodeuntes exhibet : " Quia enim amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Dominus, *diliges proximum tuum* (Matth. XXII, 39), præ-

misit dicens: *Diliges Dominum Deum tuum* (Deut. VI, 5; X, 12); ut scil. in terra pectoris nostri prius amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum dilectio fraterna germinaret."

3° Peremptoria est *ratio* S. Thomæ.—Habitus non diversificantur nisi ex hoc quod variant speciem actus: quippe omnis actus unius speciei ad eumdem habitum pertinet. Atqui eadem est species actuum dilectionis Dei et proximi. Ergo. *Min. prob.* Cum species actus sumatur ex objecto secundum formalem ejus rationem, necesse est ut idem sit specie actus qui fertur in rationem formalem objecti et in objectum sub tali ratione; sicut eadem est specie visio qua videtur lumen et color sub illo lumine. Atqui ratio diligendi proximum Deus est, seu divina bonitas, secundum quam caritas principaliter Deum attingit; nam hoc debemus in proximo diligere ut Deo per gratiam hæreat, Dei bonitatem excellentius participet, Deique gloriam procuret atque extendat. Ergo idem est specie actus, subindeque habitus, quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus.

4° Quamvis amare proximum ex motivo naturali, puta propter egregias ejus dotes, non sit ex caritate, potest tamen dilectio hujusmodi ad caritatis motivum elevari. En verba *S. Thomæ* (Q. un. *de Caritate*, a. 7): "Cum omnia bona humana ordinentur in beatitudinem æternam sicut in ultimum finem, dilectio caritatis sub se comprehendit *omnes dilectiones humanas*, nisi tantum illas quæ fundantur super peccatum, quod non est ordinabile in beatitudinem; unde quod aliqui consanguinei diligant se invicem, vel aliqui concives, vel simul peregrinantes, vel quicumque tales, potest esse meritorium et ex caritate."

Conclusio 2ª.—CREATURÆ IRRATIONALES EX CARITATE DILIGI POSSUNT, NON UT OBJECTUM, SED UT MATERIA CARITATIS [1]

Prob.—Caritas amicitia quædam est; per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter: uno modo ut *objectum* vel amicus cui bonum volumus; alio modo ut *materia* vel bonum *quod* amico optamus. Atqui creatura irrationalis nequit primo modo ex caritate amari; potest tamen amari altero modo.

1ª *pars* assumpti ostend. duplici ratione:—1° Ex ratione

1—Cajetanus in h. loc.

generica amicitiæ. Amicitia enim est ad eum cui bonum volumus, quique proinde potest proprie bono frui; requirit insuper inter amicos quamdam naturæ ac vitæ similitudinem. Atqui hisce duobus deficiunt creaturæ irrationales, utpote quæ nec liberum dominii usum habent, nec humanæ seu rationalis vitæ consortium. Ergo.—2° Ex ratione *propria caritatis.* Caritas enim fundatur super communicatione æternæ beatitudinis in actu vel in potentia. Atqui creatura rationalis capax non est gratiæ et beatitudinis suscipiendæ. Ergo sola creatura intellectualis potest amari ut *objectum secundarium* caritatis seu ut amicus *cui* bonum volumus in ordine ad Deum principaliter dilectum.

2ª *pars* nullam difficultatem patitur; possunt namque ex caritate diligi entia irrationalia sicut bona *quæ* aliis volumus, in quantum scil. ea desideramus ad honorem Dei et utilitatem hominum conservari, crescere et multiplicari: quo pacto, et multo magis, *bona spiritualia,* ut merita, virtutes etc, quibuscumque ex caritate dilectis optamus.

Ex dictis in utraque concl. *colligitur* quare *S. Augustinus* (1. de Doct. Christ. c. 23) sic *objectum* caritatis distribuerit: "Quatuor sunt diligenda: unum quod *supra nos* est (Deus); alterum quod *nos* sumus (ipse diligens); tertium quod *juxta nos* est (proximus); quartum quod *infra nos* est (corpus nostrum)" (Cf. art. 12)

Solv. obj. (cont 1am concl.)— Obj. 1.—Sicut Deo debemus amorem, ita et timorem. Atqui alius est timor quo timetur homo, alius timor quo timetur Deus. Ergo a pari, etc.

Resp. *C. M.—D.m:* timor hominis propter id quod est proprium ipsi alius est a timore Dei, *C;* timor hominis propter id quod est Dei in ipso...*N.—Neg. conseq.*

Proximus timeri potest, sicuti et amari, dupliciter. *a)* primo *propter id quod est proprium sibi,* puta quia tyrannus crudelis est, aut rex munificus; et talis timor humanus distinguitur a timore Dei, pariterque amor.—*b)* Secundo timeri et amari homo potest *propter id quod est Dei in ipso,* quo modo Dei minister timetur quia criminum vindex, amatur vero quia justitiæ defensor; et talis timor hominis non distinguitur a timore Dei, sicut nec amor.

Obj. 2.—Amor potest honori assimilari. Atqui differt honor latriæ Deo debitus ab honore duliæ debito creaturæ. Ergo.

Resp. *D. M* :...quantum ad aliquid, *C*; omni ex parte, *N*.—*C.m.—Neg. conseq.*

Quamvis sit *quædam* similitudo amoris et honoris respectu objecti proprii quod est bonum ; disparitas est tamen, maxime quia amor respicit bonum *in communi* seu abstrahens a proprio et alieno, honor vero, cum deferatur alicui in testimonium ejus virtutis, respicit bonum *proprium* honorati. Quocirca amor non diversificatur specie ob diversas diversorum bonitates, dummodo referantur ad unum bonum commune propter quod amentur ; sed honor diversificatur secundum bona singulorum propria. Ergo, cum in amore Dei et proximi attendatur una bonitas communis seu diligendi ratio, utrinque est idem specie amor ; sed cum in honore quem Deo et sanctis deferimus attendamus propriam cujusque excellentiam, diversi sunt specie honores.

Obj. 3.—Spes ducit ad caritatem. Atqui virtus spei est de solo Deo. Ergo et caritas, etc.

Resp. *C. M.—D.m* :... est de solo Deo tanquam *principali* auctore salutis, *C*; quin liceat sperare in homine sicut *ministerialiter* adjuvante, neque bona quædam creata in ordine ad Deum secundario exspectare, *N.—Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum homo debeat seipsum ex caritate diligere.

(Art. 4-5)

1° Norma et radix dilectionis proximi est amor suî ; quandoquidem in hoc amicitiam ad alios demonstramus quod eos quasi nos ipsos tractemus.—Verum quia amicitia importat unionem inter duos, *amor suî nequit proprie dici amicitia*, sed est quiddam majus seu vinculum eo fortius amicitiâ quo unitas præstantior est unione.—Quatenus itaque caritas dicit amicitiam hominis ad hominem, negandum est quempiam se ex caritate diligere.

At enim 2° caritas præcipue consideranda est hominis ad Deum, et secundum hoc homo se ex caritate diligit tum *simpliciter*, tum ratione *partis* quæ est corpus proprium.

Conclusio 1ª.—HOMO SE DEBET EX CARITATE DILIGERE.

Etenim 1º legitur (Matth. XXII, 39): *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Atqui proximum ex caritate diligimus. Ergo in præcepto dilectionis aliorum ex caritate clauditur præceptum dilectionis suî ipsius.—2º Caritas, prout est amicitia hominis ad Deum, importat ut Deum principaliter diligamus, *consequenter* vero ea quæ ad Deum spectant ejusque bonitatem utcumque participant. Atqui inter ista est ipse homo diligens, intime Deo per gratiam conjunctus. Ergo præcipue ad caritatem pertinet ut quis seipsum diligat.—Neque 3º obstat quod ii vituperantur qui *amant seipsos* (2 Tim. III, 2). Ibi enim vituperationem subeunt qui se plus æquo diligunt: quod quidem non contingit quantum ad bona spiritualia, quia nullus potest nimis amare virtutes, sed quantum ad bona sensibilia, exteriora et corporalia, quæ tam multi contra rationis legem spiritualibus anteponunt. Unde *non vere* se amant.

Conclusio 2ª.—EA CARITATE QUA DEUM DILIGIMUS, DEBEMUS ETIAM ET CORPUS NOSTRUM DILIGERE.

Sane 1º corpus nostrum potest considerari vel secundum suam *naturam*, vel secundum *corruptionem* culpæ et pœnæ. Atqui natura humani corporis non est a malo principio creata, ut fabulabantur Manichæi, sed a Deo procedit; unde possumus multipliciter eo uti ad Dei servitium, juxta illud (Rom. VI, 13): *Exhibete...membra vestra arma justitiæ Deo.* Ergo ex caritate, qua Deum diligimus cæteraque ad Deum pertinentia, debemus etiam corpus nostrum diligere.—Verum infectio culpæ et corruptio pœnæ, qua corpus affligitur, quæque animam aggravat, diligenda non est; quin imo oportet ad ejus remotionem desiderio caritatis anhelare cum Ap. dicente (Rom. VII, 24): *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus!*

2º Revocentur verba *Augustini* (l. de Doct. Christ. c. 23) superius citata; circa quæ ait *S. Thomas* (Q. un. *de Carit.* a. 6): "Diligendus est ex caritate Deus ut *radix* beatitudinis; quilibet autem homo debet seipsum ex caritate diligere, ut *participet* beatitudinem; proximum autem ut *socium* in participatione beatitudinis; corpus autem proprium, secundum quod ad ipsum *redundat* beatitudo." — Nam quamvis corpus nostrum Deo frui non possit eum cognoscendo amando.

que, possumus tamen per opera, quæ juvante corpore agimus, ad perfectam Dei fruitionem devenire. Unde Deus ministerium illud præmiat per quamdam ex anima felicitatis redundantiam, quam caritas legitime corpori exoptat.

ARTICULUS III.

Utrum peccatores, inimici, necnon Angeli sint ex caritate diligendi.

(Art. 6-11)

Quamvis constet *in genere* proximum esse ex caritate diligendum, ulterius inquiri potest num *peccatores*, *inimici*, et *Angeli* sint sub proximi appellatione comprehensi.—Materiam habemus trium conclusionum.

Conclusio 1ª.—PECCATORES, QUA HOMINES, SUNT CARITATE DILIGENDI; IPSI AUTEM NON SE VERE DILIGUNT.

1ª *Pars* intelligenda est de peccatoribus, qua *homines*; nam secundum quod *peccatores* sunt, Deo adversantur, ideoque debent odio haberi juxta illud (Ps. CXVIII, 113): *Iniquos odio habui.*

Prob.—1º Ii sunt ex caritate diligendi qui, pretio sanguinis Christi redempti, possunt adhuc fructum Crucis capere, adeoque capaces sunt beatitudinis, cujus communicatio caritati substernitur. Atqui peccatores, quousque in terris versantur, sunt hujusmodi. Ergo iis non debent beneficia divinæ caritatis subtrahi.—Neque 2º nos moveant *imprecationes* quæ in S. Scriptura contra peccatores proferuntur, v.g. (Ps. IX, 18): *Convertantur peccatores in infernum.* Hæc enim possunt tripliciter intelligi (a. 6, resp. ad 3): *a)* primo per modum *prænuntiationis*, non optationis, ut sit sensus: *convertentur* peccatores in infernum; *b)* secundo per modum *optationis*, quatenus desiderium optantis referatur, non ad pœnam hominum, sed ad justitiam Dei punientis, juxta illud (Ps. LVII, 10): *Lætabitur justus, cum viderit vindictam;* *c)* tertio possunt etiam nonnullæ sententiæ exponi quatenus desiderium referatur ad remotionem et *destructionem culpæ*, non ad pœnam et ruinam peccatorum.

2ª *Pars* innititur verbo psalmistæ (X, 6): *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*—Sane, quanquam amor sui communis est apud omnes, tamen in malis funeste pervertitur; et sic *prob.* Homo se æstimare et diligere debet secundum id quod principale est in ipso, i. e. secundum naturam rationalem et interiorem profectum. Porro, juxta Philosophum (IX Ethic. 4), quinque sunt amicitiæ propria: scil. ut amicus velit amicum vivere; ut ei bona cupiat; ut se ipsi beneficum exhibeat; ut delectabiliter ei convivat; denique ut de eisdem gaudeat et tristetur. Quam ob rem, ideo boni seipsos vere diligunt, quia maxime curant servandam naturæ rationalis integritatem, ei bona optant spiritualia, ad ea assequenda operam impendunt, delectabiliter ad cor proprium redeunt ubi tum præsens, tum præteritum, tum futurum lætandi causa est, tandem nullam in se voluntatis dissensionem experiuntur. Atqui mali, ad bona sensibilia intenti, spiritualia negligunt, imperium rationis contemnunt, conscientiæque remorsu cruciantur, juxta illud (Ps. XLIX, 22): *Arguam te et statuam contra faciem tuam.* Ergo.

Conclusio 2ª.—CARITAS INIMICOS AMPLECTITUR, ALITER TAMEN SECUNDUM NECESSITATEM PRÆCEPTI, ALITER SECUNDUM PERFECTIONEM CONSILII.

1ª *Pars.*—Dico *a)* caritatem ferri ad inimicos, non quidem in quantum sunt inimici et offensores nostri, sed in quantum sunt *homines* creati, sicut nos, ad imaginem Dei et in vitæ æternæ participationem destinati.—*b)* In hoc, uti in plerisque aliis, immensa apparet distantia inter doctrinas Gentilium, inimicis infensissimas, et suavem Dei legem, qua universalis fraternitatis vinculum, apud gentes crudeliter ruptum, aut vehementer relaxatum, reintegratum est.—*c) Vetus* et *Nova Lex* secum consentiunt. Legitur enim (Levit. XIX, 17-18): *Non oderis fratrem tuum in corde tuo... Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et (Matth. VI, 44): *Diligite inimicos vestros.*—*d)* Si quis vero objiciat sententiam (*ibid.* v. 43): *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum*, attendat *S. Thomæ* responsionem (Q. un. *de Caritate*, a. 8 ad 5): "Hoc quod dicitur, *odio habebis inimicum tuum*, in toto veteri Test. non invenitur;[1] sed hoc erat ex

1—Cf. 3 S. D. XXX, Q. I, a. 1 ad 2.

traditione Scribarum, quibus visum fuit hoc esse addendum, quia Dominus præcepit filiis Israël persequi inimicos suos. Vel dicendum est quod hæc vox non est accipienda ut jubentis justo, sed ut permittentis infirmo (Aug. *de Serm. D. in monte*, l. I, c. 41). Vel, sicut etiam Aug. dicit cont. *Faustum*, non debent homines inimicos odire, sed vitium."

2ª *Pars.*—Ad determinandum in proposito *necessitatem præcepti*, observare opus est dilectionem inimicorum accipi posse vel *universaliter* vel *specialiter.*—Porro 1° dilectio *universalis* est *de necessitate* caritatis, quatenus scil. aliquis, diligens Deum et proximum, ab hac generalitate dilectionis proximi inimicos non debet excludere, sed eis signa vel beneficia dilectionis communia exhibere, puta orando simpliciter pro omnibus vel pro toto populo. Huc faciunt *sacri textus* supra recitati.—2° Dilectio *specialis*, qua nempe quis speciali motu fertur ad certum inimicum, *a)* non necessario præcipitur *absolute*, sicut nec præcipitur de aliis hominibus etiam amicis; nullus enim sufficeret ad cogitandum de omnibus hominibus et ad benefaciendum singulariter unicuique. *b)* Præcipitur tamen dilectio specialis *secundum præparationem animi*, ut scil. homo paratum animum habeat ad diligendum inimicum in singulari eique subveniendum, si necessitas occurrat, juxta illud (Prov. XXV, 21): *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere.*

3ª *Pars.*—Quod autem, extra necessitatis articulum, homo dilectionis affectu vel operis effectu specialiter ad inimicum moveatur, id ad *perfectionem caritatis* pertinet et *sub consilio* tantum cadit. Cum enim ex caritate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis Deum diligit, tanto efficacius et ad plures, superatis obstaculis, proximi dilectionem extendit. Atqui inimicitia manifeste ponit dilectionis obstaculum. Ergo perfectio caritatis est quod non solum ad propinquos, sed etiam ad extraneos, et ulterius ad inimicos, non solum generaliter, sed etiam specialiter et diligendo et benefaciendo moveamur.—Sic enim (ait Auctor) " aliquis non solum cavet vinci a malo, quod necessitatis est; sed etiam vult in bono vincere malum, quod est perfectionis; dum scil. non solum cavet propter injuriam sibi illatam

pertrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum amorem." [1]

Conclusio 3ª.—OPORTET EX CARITATE DILIGERE BONOS ANGELOS, NON AUTEM DÆMONES, NISI QUATENUS INSTRUMENTA SUNT DIVINÆ PROVIDENTIÆ.

1ª *Pars* liquet.—Caritas enim non tam in convenientia seu similitudine naturalis speciei fundatur quam super communitate supernaturali gratiæ et beatitudinis. Atqui Angeli boni, etsi specie a nobis discrepent, nobiscum tamen conveniunt genere intellectivo, maxime vero participatione beneficiorum gratiæ et gloriæ seu vitæ supernaturalis. Ergo amicitia caritatis ad *Angelos bonos* se extendit.

2ª *Pars* evincitur ex duplici motivo: *a)* primo, quia nomine *dæmonis* significatur natura ut *peccato* deformata; peccatum autem odio prosequendum est;—*b)* secundo, quia ii tantum ordinata caritatis intentione velut amici diligi possunt qui capaces sunt bonorum spiritualium. Atqui spiritus illi, a Deo æternaliter damnati, *nequeunt gratiam* et *vitam æternam* consequi. Ergo.

3ª *Pars* facile intelligitur.—Siquidem licet ex caritate diligere, *tanquam bona* utilia, creaturas, etiam irrationales, quæ ad gloriam Dei hominumque utilitatem quidpiam conferre possint. Porro spiritus infernales, vitio quidem mali, natura tamen boni, et divinæ Providentiæ ordinationi subjecti, multiplicem utilitatem, quamvis invite, in Dei gloriam hominumque profectum spiritualem adducunt. Ergo.

1—Vid. plura particularia ap. Moralistas.

QUÆSTIO QUARTA

DE ORDINE CARITATIS

Quemdam in caritate servandum esse ordinem, omnes profitentur theologi et S. Thomas eruit ex illo (Cant. II, 4) : *Ordinavit in me caritatem.*—Id autem ut mente assequamur, quatuor videntur præcipue inquirenda : *unum* de comparatione amoris *Dei* ad amorem aliorum a Deo (art. 1) ; *alterum* de comparatione amoris *suî* ad amorem proximi (art. 2) ; *tertium* de habitudine comparativa dilectionis eorum qui nomine *proximi* designantur (art. 3) ; *quartum* tandem de ordine caritatis in patria (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum homo plus Deum diligere debeat quam proximum et seipsum.

(Q. XXVI, a. 2-3)

Communi theologorum sensu, gradus caritatis tripliciter sumi potest : 1° *objective*, quatenus majus uni quam alteri bonum velimus sub ratione absoluta ; 2° *appretiative*, quatenus relativa æstimatione et affectione ita unus alteri præferatur ut magis ejus quam alterius bono ac profectui consulamus ; 3° *intensive*, in quantum unus ferventiori actu quam alius diligatur.—His positis, duo concludamus.

Conclusio 1ª.—TENETUR HOMO, OBJECTIVE ET APPRETIATIVE, PLUS DEUM EX CARITATE DILIGERE QUAM PROXIMUM ET SEIPSUM. Cf. *Catech. Trid.* (P. III, de 4° præc. Dec. n. 5)

Prob.—1° Ex *Scriptura.* Illud est præ omnibus diligendum, tum objective tum appretiative, quod carissimis objectis anteponi debet, et propter quod alia quæque, semel ac ab eo abducant, derelinquenda sunt et quasi contemnenda. Atqui



hujusmodi est Deus, ut ferunt SS. Litteræ; dicitur enim (Matth. X, 37-39): *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus... Qui invenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et (Luc XIV, 26): *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Ergo.

2° *Ratione.—a)* Primo quoad *proximum*, Deo posthabendum. Cum amicitia caritatis fundetur super communicatione donorum gratiæ et gloriæ, ille principaliter et maxime diligendus est in quo, veluti in communi et fontali principio, plenitudo illorum donorum residet. Atqui Deus est gratiæ et beatitudinis principium, a quo derivantur in omnes qui sunt vitæ æternæ capaces. Ergo Deum supra proximum diligere debemus tum *objective*, scil. volendo ipsi bona infinita quæ soli Divinitati competunt, tum *appretiative*, scil. nihil admittendo in amore hominum quod nos ab eo dimovere queat, juxta illud (Rom. VIII, 39): *Neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei.—b)* Secundo quoad *seipsum*. Unaquæque pars naturaliter plus amat commune bonum totius quam particulare bonum proprium, ut patet in societate, ubi cives pro re publica dispendia personalia sustinent. Atqui unusquisque nostrum comparatur ad Deum ut pars ad totum, seu membrum ad caput totius mundi moralis. Ergo debet homo, sensu exposito, Deum diligere plus quam seipsum, juxta illud (1 Cor. XIII, 4-5): *Caritas... non quærit quæ sua sunt.*

Conclusio 2ª.—NECESSE NON EST UT HOMO, ETIAM INTENSIVE, DEUM PLUS QUAM PROXIMUM ET SEIPSUM DILIGAT.—Hæc est sententia *communior*.

Prob. 1° sequenti ratione.—Amoris *species* dependet ab objecto, *intensitas* autem ejus a conditione objecti, unde objectum propinquius et visibilius modo vehementiori movet quam objectum distans et minus visibile, ut experientia constat. Atqui objecta creata caritatis, scil. proximus et ipse diligens, quia cadunt sub sensibus ex quibus præsens nostra cognitio proficiscitur, visibiliora sunt et propinquius voluntati adstant quam Deus. Ergo. — 2° *Conf.* ex *D. Thoma* (hic, art. 7); ubi docet quod, etsi plus diligere debeamus *objective*

eos qui sunt meliores seu Deo conjunctiores, licet tamen nobis conjunctiores *intensius* diligere : quippe, si non sit inordinatio in hoc quod sanctiores minus intense diligamus, nec inordinatum est Deum minus intense amare [1].

ARTICULUS II.

Utrum homo ex caritate magis debeat diligere seipsum quam proximum.

(Art. 4-5)

1° In homine duo sunt, natura *spiritualis* et natura *corporalis*. Per hoc autem homo dicitur diligere seipsum *simpliciter* quod se diligit secundum naturam spiritualem, alterâ longe nobiliorem, et qua proprie constituitur.

2° Dilectio caritatis quantitatem habet (art. 4 ad 1) non solum *objective* seu ex parte Dei principaliter dilecti, cujus ratione cætera diliguntur, sed etiam *subjective* seu ex parte ipsius diligentis, qui ad bona *propria* conservanda et augenda ultroneo naturæ ductu impellitur. — Porro indubium est, *objective* loquendo, eos amore quodam *complacentiæ* magis esse diligendos qui meliores sunt seu Deo gratiores ; unde illis, pro dignitate meritorum justitiæque proportione, tenemur ex caritate velle majora bona quam nobis minus dignis. Sed præsens quæstio versatur circa gradum amoris *subjective* et appretiative sumpti, seu circa amorem *desiderii* et in quantum profectus diligentis præ aliorum profectu attenditur.

Conclusio.—HOMO DEBET SEIPSUM MAGIS QUAM PROXIMUM DILIGERE SECUNDUM BONA NATURÆ SPIRITUALIS ; NON TAMEN BONA CORPORALIA PROPRIA BONIS SPIRITUALIBUS PROXIMI ANTEPONERE DEBET.

1ª *Pars* ostend.—1° Ex *Scriptura* (Levit. XIX,18 ; Matth. XXII, 39) : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ex quo apparet dilectionem hominis ad seipsum esse veluti *exemplar* [2] dilectionis quæ habetur ad alterum. Atqui exem-

1—Cf. Billuart, Diss. IV, a. 1.
2—Cf. Q. XLIV, a. 7.

plar potius est quam exemplatum. Ergo homo, saltem appretiative, debet seipsum magis quam proximum diligere.— 2º Ex *ratione diligendi*. Nam Deus diligitur ut principium boni supernaturalis, quo caritas nititur; homo vero se ipsum ex caritate diligit secundum rationem qua est particeps prædicti boni; proximus autem diligitur secundum rationem associationis in eodem bono. Atqui, sicuti unitas potior est unione, ita etiam ratio directa et immediata, qua homo bonum divinum veluti *proprium per identitatem* participat, præstantior est ratione qua proximus in illius boni participatione per similitudinem associatur. Ergo.—3º Hujus veritatis *signum* accipitur in eo quod homo, consentientibus theologis, non debet subire aliquod malum peccati participationi beatitudinis utcumque contrarium, scil. nec mortaliter nec venialiter peccare, ut proximum a peccato liberet [1].

2ª *Pars* prob.—Illud magis est ex caritate diligendum quod habet, supernaturaliter, pleniorem rationem diligibilis. Atqui proximus secundum naturam et bona animæ, quibus beatitudinem plene assequi potest, magis est diligibilis quam corpus nostrum et bona temporalia, quæ sunt inferioris conditionis. Ergo proximum, quantum *ad salutem animæ*, magis diligere debemus quam proprium corpus bonaque exteriora, juxta illud (Prov. XII, 26): *Qui negligit damnum propter amicum* (proximum), *justus est*; et sic, detrimenta corporalia sustinendo, homo "seipsum magis diligit secundum spiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ est bonum mentis" (art. 4 ad 2) [2].

1— Hinc damnata est ab *Innoc. XI* seq. prop. 63ª: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.*

2—Quoad *regulas* particulares hac de re statuendas, vid. *Moralistas*, in specie Lehmkuhl.

ARTICULUS III.

Utrum magis debeamus diligere meliores quam nobis conjunctiores et, inter istos, qui carnaliter nobis conjuncti sunt.

(Art. 6-12)

Non ambigitur quin in genere oporteat tum *affectu* tum *effectu* unum magis quam alium ex caritate diligere pro diversa proximi propinquitate ad alterutrum dilectionis principium, nempe vel ad Deum vel ad ipsum diligentem.—Verum ad determinandum in specie hunc caritatis ordinem, necessaria est ulterior inquisitio : vestigia *Angelici* premamus.

Conclusio 1ª.—OBJECTIVE QUIDEM ET SECUNDUM AMOREM COMPLACENTIÆ MELIORES SEU SANCTIORES ALTIORI SUNT DILECTIONE DIGNI ; AT, SECUNDUM AMOREM DESIDERII, NOBIS CONJUNCTIORES MAJOREM DILECTIONEM INTENSIVE ET EXTENSIVE SIBI VINDICANT.

1ª *Pars* facile conceditur.—Siquidem diversitas *objectiva* caritativæ dilectionis attendenda est secundum comparationem ad objectum seu Deum, quatenus ei qui est Deo propinquior majus bonum absolute optandum sit. Porro, licet bonum quod omnibus vult caritas, nempe beatitudo æterna, sit unum secundum se, habet tamen diversos gradus secundum diversas beatitudinis participationes. Itaque ad caritatem pertinet ut quisque velit quodam *complacentiæ* sensu justitiam Dei servari, secundum quam meliores perfectius beatitudinem participant.

2ª *Pars* evincitur :—1º ex iis quæ leguntur (Levit. XX, 9) : *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur ;* ubi liquet offensionem contra dilectionem parentum graviori pœna mulctari quam aliam. Præterea, dicitur (1 Tim. V, 8) : *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior.* Sed interior caritatis affectio respondere debet exteriori affectui. Ergo.

2º *Ratione.*—Nam *a) primo* dum propinqui nostri, saltem secundum naturalem originem, hanc propinquitatem exuere non possunt, meliores seu gratiores Deo hisce in terris possunt a virtute vel ab excellentia virtutis recedere : unde licet,

imo congruit ex caritate optare operamque navare ut quis nobis conjunctus, pro vi gratiæ et liberi arbitrii, gradum virtutis et beatitudinis aliorum superet. Atqui hoc est magis diligere aliquem secundum amorem *desiderii*. Ergo. — *b) Secundo* vehementius movemur erga propinquos quam erga extraneos; id autem *intensitatem* caritatis auget.— *c) Tertio* accedit quod propinqui ex *pluribus titulis* diliguntur. Etenim erga extraneos non nisi amicitia caritatis tenemur; ad eos vero qui nobis conjuncti sunt varias amicitias secundum conjunctionis modum habemus. Atqui jam alibi notavimus (Q. III, a. 1) caritatem posse, imperii sui influxu, alias amicitias honestas ad proprium finem elevare. Ergo ex caritate tam *eliciente* quam *imperante* plus *extensive* diligimus nobis conjunctiores quam alios.

Conclusio 2ª.—INTER NOBIS CONJUNCTOS, ALII ALIIS PRÆFERRI DEBENT SECUNDUM BONA PROPRIA SUÆ CONJUNCTIONIS; CONJUNCTI VERO PER CARNALEM ORIGINEM SPECIALITER DILIGENDI SUNT, PRO GRADU PROPINQUITATIS SUÆ VEL AD DEUM VEL AD HOMINEM DILIGENTEM.

1ª *Pars.*—Quantitas dilectionis partim saltem dependet ex conjunctione dilecti ad diligentem. Atqui diversæ sunt conjunctionis rationes seu diversæ amicitiæ diversaque singularum bona. Ergo diversorum dilectio mensuranda est secundum hanc diversitatem, ut v. g. in his quæ pertinent ad naturam, i. e. in subsidiis corporalibus dispensandis, plus debeamus diligere consanguineos; in his quæ spectant ad vitam civilem, plus concives; in rebus bellicis, plus commilitones, et ita porro.

2ª *Pars.*—1° Specialiter in præceptis Decalogi mandatur de honoratione parentum (Ex. XX, 12): *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Ergo qui nobis ex origine carnis conjuncti sunt jus habent ad præcipuam quamdam dilectionem.—2° Ea inter dilectiones a caritate imperatas prævalere quadamtenus debet quæ fundatur in priori, naturaliori, stabiliorique conjunctione. Atqui conjunctio carnalis originis prior est, naturalior et immobilior, utpote respiciens substantiam; aliæ autem conjunctiones supervenientes sunt, atque removeri possunt. Ergo amicitia consanguineorum, præ reliquis amicitiis, habet quamdam præeminentiam durationis, intensitatis et universalitatis. Unde

quamvis, juxta *S. Thomam* (hic, a. 8 ad 2), in communi beneficiorum *spiritualium* provisione præferendi sint spiritualiter cognati cognatis carnalibus, tamen plures censent in *gravi* necessitate spirituali cognatos carnales, maxime parentes, omnibus aliis esse anteponendos [1].

3ª *Pars.*—Addidi in concl. *pro gradu propinquitatis ad Deum* vel *ad ipsum diligentem ;* siquidem ex utraque parte perfectio dilectionis per[illegible]ari potest.

Hinc 1º *objective* et secundum amorem *reverentiæ, pater* est magis diligendus quam *filius ;* quia patrem diligimus sub ratione principii, ideoque sub ratione boni eminentioris et Deo similioris.—*Intensive* vero et secundum *ordinariam* curam *provisionis*, dilectio filii merito prævalet dilectioni patris ; quia intensius et sollicitius diligitur quod est conjunctius. Porro filius est magis aliquid patris quam pater sit aliquid filii.—*Appretiative* tamen et in *extremo* casu, pater videtur filio præferendus, cum " in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis ut parentibus maxime provideat " (hic, a. 9 ad 3).

2º *Per se* loquendo, *pater*, utpote activum et nobilius generationis principium, magis est amandus quam *mater* ex sensu reverentialis caritatis.—Attamen facile fieri potest ut alia specie amicitiæ, aut propter præeminentia merita matris, hæc magis diligenda sit.

3º *Objective* et etiam (si locus sit) *appretiative*, genitores plus diligendi sunt quam uxor, quia sub ratione principii excellentioris diliguntur ; uxor tamen, viro conjuncta ad efformandam cum eo veluti unam carnem, *intensiori* affectu prosequenda est.—Sed hæc *moralis* provinciæ sunt.

1—Cf. 3 S. D. XXIX, Q. I, a. 6.

ARTICULUS IV.

Utrum ordo caritatis remaneat in patria.

Hactenus de ordine caritatis *in via* sermocinati sumus.—Ut vero enunciatæ quæstioni respondeamus, scil. num ordo ille sit etiam *in patria* mansurus, nihil satius ducimus quam ut limpidam *S. Thomæ* doctrinam (a. 13) iisdem luculentis verbis, sub præmissa conclusione, transcribamus.

Conclusio.—ORDO CARITATIS VIÆ FUNDAMENTALITER REMANEBIT IN PATRIA, MUTATIS IIS QUÆ STATUS ILLE DEFINITIVUS EXCLUDIT.

" 1º Necesse est ordinem caritatis remanere in patria quantum ad hoc quod *Deus* est super omnia diligendus. Hoc enim simpliciter erit tunc quando homo perfecte eo fruetur.

" Sed 2º de *ordine sui ipsius ad alios* distinguendum videtur, quia, sicut dictum est, dilectionis gradus distingui potest vel secundum differentiam boni quod quis exoptat, vel secundum intensionem dilectionis.—*a) Primo* quidem modo *plus* diliget *meliores* quam seipsum, minus vero minus bonos. Volet enim quilibet beatus unumquemque habere quod ipsi debetur secundum divinam justitiam, propter perfectam conformitatem voluntatis humanæ ad divinam. Nec tunc erit tempus proficiendi per meritum ad majus præmium, sicut nunc accidit quando potest homo melioris et virtutem et præmium desiderare; sed tunc voluntas uniuscujusque infra hoc sistet quod est determinatum divinitus.—*b) Secundo* vero modo aliquis plus seipsum diliget quam proximum etiam meliorem, quia *intensio* actus dilectionis provenit ex parte diligentis. Et ad hoc etiam donum caritatis unicuique confertur a Deo ut primo quidem mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem sui ipsius; secundario vero ordinem aliorum in Deum velit vel etiam operetur secundum suum modum.

" Sed 3º quantum ad *ordinem proximorum ad invicem*, *simpliciter* quis magis diliget *meliorem* secundum caritatis amorem. Tota enim vita beata consistit in ordinatione mentis ad Deum: unde totus ordo dilectionis beatorum observabitur

per comparationem ad Deum, ut scil. ille magis diligatur, et propinquior sibi habeatur ab unoquoque, qui est Deo propinquior. Cessabit enim tunc provisio quæ est in præsenti vita necessaria, qua necesse est ut unusquisque magis sibi conjuncto secundum quamcumque necessitudinem provideat magis quam alieno : ratione cujus in hac vita ex ipsa inclinatione caritatis homo plus diligit magis sibi conjunctum, cui magis debet impendere caritatis effectum.—Continget tamen *in patria* quod aliquis sibi conjunctum pluribus modis diliget; non enim cessabunt ab animo beati *honestæ dilectionis causæ*.—Tamen omnibus istis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis quæ sumitur ex propinquitate ad Deum."

QUÆSTIO QUINTA

DE ACTU CARITATIS

Ad absolvendam præsentem disputationem, reliquum est ut pauca subjiciamus de præcipuo caritatis actu qui est *dilectio*, necnon de quibusdam internis effectibus quos caritas parere nata est, videl. de *gaudio* et *pace*.—Cætera proprius ad disciplinam moralem pertinent.

ARTICULUS I.

De principali actu caritatis seu de dilectione.

(Q. XXVII)

Dilectio caritativa, jam in superioribus delineata, ulteriori tamen eget declaratione, ex qua possimus sive ejus adæquatam *constitutionem*, sive certos ejus *characteres* seu proprietates, sive tandem ejus *necessitatem*, *præcepto divino* firmatam, deprehendere : en ratio trium conclusionum.

Conclusio 1ª.—ACTUS CARITATIS, QUO DEUS PROPTER SEIPSUM DILIGITUR, PRO DIVERSIS SUIS RESPECTIBUS MULTIPLICEM DENOMINATIONEM ADMITTIT.

1ª *Pars* inducitur ad suadendum quam legitime Deus dicatur *propter seipsum* ex caritate diligi; siquidem id triplici sensu pro triplicitate causæ *finalis, formalis* et *efficientis* intelligi potest : *primo* diligitur Deus propter se finaliter, quia non propter aliquem finem ulteriorem ; *secundo* formaliter, quia propter suam substantiam quæ est infinita bonitas, et non propter bonitatem aliquam accidentalem ; *tertio* efficienter, quia non ab altero ei bonitas inest, sed ab ipso omnibus aliis.

2ª *Pars* sibi vult amorem caritatis, usu sacrorum Doctorum et maxime S. Franc. Salesii, convenienter appellari, pro diversis respectibus, nominibus diversis : hæc sunt præcipua.—1° Datur amor *complacentiæ*, quo quis sibi complacet in bonis sive intrinsecis sive extrinsecis quibus Deus gaudet, necnon in beneficiis quæ Dei liberalitas dignatur proximo elargiri.—2° Sequitur amor *compassionis*, quo Dei amicus

tristatur de malis quæ Deum, Ecclesiam et justos offendunt, atque recogitando Christi passionem ei condolescit.—3° Eminet amor ***benevolentiæ***, sub desiderii specie, quatenus justus exoptat et procurare studet externa bona Deo debita, scil. gloriam sacrosancti ejus nominis, regni Christi dilatationem, Deiparæ Virginis honorationem, etc.—4° Commendatur amor *conformitatis* in eo positus ut quis præ oculis habens supremum et excellentissimum finem, Deum, propter quem sunt et esse omnia debent, conformet et coaptet voluntatem suam adorandæ voluntati divinæ.—5° Subit amor *subjectionis*, præcedenti affinis, qui præsertim in adversis rebus placide fortiterque sustinendis manifestatur.

Conclusio 2ª.—CARITAS DEUM ATTINGIT IMMEDIATE, DILECTIONE CUI NULLUS MODUS IMPONITUR, ET CUJUS MERITUM PRINCIPALIUS IN DEO QUAM IN PROXIMO DILIGENDO RESIDET.

1ª *Pars* prob.—Cum actus appetitivæ virtutis perficiatur per inclinationem ad rem concupitam, in hoc differt appetitio a cognitione quod cognitio sequitur modum subjecti cognoscentis, appetitio vero modum seu conditionem objectivam rerum. Atqui hujusmodi est rerum ordo quod divina diligibilitas natura et causalitate præcedit diligibilitatem creaturarum. Ergo, quamvis cognitio nostra præsens prius et immediatius feratur ad objecta creata, posterius vero et mediate ad Deum, appetitio e contra ideoque caritas Deum *immediate* attingit, alia autem mediante Deo.—Hæc autem caritatis immediata conjunctio non fit per simplicem motum benevolentiæ, sed addit quamdam affectivam unionem seu spiritualem, Deum inter et animam, *conglutinationem*.

2ª *Pars* asserit, *nullum modum* seu limitem divinæ dilectionis præfigi.—Nam licet totalitas quædam actui caritatis conveniat sive *ex parte rei dilectæ*, quia totum quod ad Deum pertinet diligendum est, sive *ex parte diligentis*, quia homo debet Deum diligere secundum totum id quod potest et habet; tamen, secundum *comparationem diligentis* finiti *ad rem* dilectam infinitam, adæquatio ac totalitas dilectionis esse non potest. Atqui Deus, infinite diligibilis, se habet velut finis et regula, quæ quanto plus attingitur, tanto magis homo perficitur. Ergo modus et perfectio divinæ dilectionis est, ut sine modo et crescente in dies fervore Deus diligatur.

3ª *Pars* tangit *vim merendi* divinæ dilectionis non tam

absolutam quam *relativam*, maxime secundum comparationem Dei ad proximum.—Dico 1° *a)* dilectionem Dei, considerata *seorsum* utraque dilectione, esse magis meritoriam quam dilectionem proximi: siquidem Deus est objectum infinite nobilius, cujus bonitas motivum est diligendi proximum. *b)* Tamen dilectio proximi, quatenus includit dilectionem Dei, major est, ut patet, magisque meritoria quam dilectio Dei præcisive sumpta.—Ex dictis 2° *a)* eruitur quod dilectio *amici*, *simpliciter* loquendo et cæteris paribus, præminet dilectioni *inimici*, quia amicus est aut supponitur melior ideoque Deo propinquior, necnon conjunctior diligenti existit: unde dilectio ejus nobilitate et fervore præcellit. *b)* Verum *secundum quid* et *ostensive* dilectio inimici præstare videtur, quatenus scil. facilius purgatur a motivis naturalibus, atque fortiorem demonstrat Dei dilectionem quæ sic valeat, devicta omni repugnantia, usque ad inimicos sese protendere.

Conclusio 3ª.—DILECTIO DEI ET PROXIMI NON SOLUM EXTERNA, SED ET INTERNA, SUB DISTINCTO PRÆCEPTO CADIT [1].—Est contra *quosdam* docentes dilectionem *caritatis* non præcipi nisi secundum quod in observantia aliorum mandatorum includitur, quin affectus *internus* explicitus requiratur.

1° Huc faciunt nonnullæ propositiones reprobatæ ab Ecclesia.—*a)* Quoad dilectionem Dei, adest 1ª inter damnatas ab *Alexandro VII*: " Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei et Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium."—*b)* Quoad dilectionem proximi, 10ª inter damnatas ab *Innoc. XI* sic sonat: " Non tenemur proximum diligere actu interno et formali."

2° Verba *Scripturæ* signate conclusionem nostram demonstrant; dicitur enim (Matth. XXII, 37-40): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* etc... *Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet.* Quis non videt his verbis contineri duo mandata distincta a reliquis legis divinæ mandatis actuque interno implenda?—Mandatum speciale dilec-

1—Cf. II-IIæ, Q. XLIV.

tionis Dei diserte exprimit *S. Augustinus* (Conf. l. I, c. 5): " Quid tibi sum ipse, ait, *ut amari te jubeas a me;* et nisi faciam, irascaris mihi, et mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est miseria, si non amem te " ?

3⁰ In quolibet genere id quod est *per se* potius est eo quod est propter aliud. Atqui dantur specialia præcepta de actibus virtutis qui media sunt ad finem spiritualis vitæ comparandum. Ergo de actu, quo finem illum attingimus per affectivam unionem cum Deo, scil. de actu caritatis, admittendum est speciale et maximum præceptum interna operatione adimplendum *(Q. cit.* a. 1). — Quamvis autem dilectio proximi contineatur sub dilectione Dei, conveniens erat ad efficaciorem morum humanorum informationem ut distinctum præceptum de proximo diligendo inculcaretur *(ibid.* a. 2).

4⁰ Nostrum non est determinare *quandonam* urgeat præceptum caritatis erga Deum et proximum. Recolere sufficiat ex propp. damnatis ab *Inn. XI* quatuor sequentes: " An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei *semel* tantum in vita eliceret, condemnare non audemus " (5ᵃ).—" Probabile est, ne singulis quidem rigorose *quinquenniis* per se obligare præceptum caritatis erga Deum " (6ᵃ).—" Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus " (7ᵃ).—" Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus *externos* " (11ᵃ).—Ex his theologi deducunt præceptum caritatis urgere aliquoties in vita tum *per se*, tum *per accidens* (vid. Moralistas).

ARTICULUS II.

De gaudio.

(Q. XXVIII)

Inter effectus internos principalem caritatis actum consequentes recensendum est *gaudium:* ejusdem enim habitus est inclinare ad diligendum et desiderandum bonum dilectum, et ad gaudendum de eo.—Pauca igitur de illo caritatis effectu, ad cognoscendum et experiendum tam suavi, post Doct. Angelicum disseramus.

Conclusio.—CARITAS VELUT EFFECTUM PROPRIUM PARIT IN ANIMA GAUDIUM SPIRITUALE, CUI TAMEN TRISTITIA QUÆDAM EX PARTE ADMISCERI POTEST, DONEC IN BEATITUDINE IMPLEATUR.

1ª *Pars.*—1º Caritas in cordibus diffunditur per Sp. Sanctum. Atqui ex Sp. Sancto provenit in nobis gaudium, juxta illud (Rom. XIV, 17): *Non est regnum Dei esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Sp. Sancto.* Ergo.—2º Gaudium dupliciter ex amore enascitur: scil. tum quia rei amatæ proprium bonum inest et conservatur, unde amicus per benevolentiam gaudet de amico prospere se habente, etiam si sit absens; tum maxime quia res amata præsens est amanti. Atqui caritas est amor Dei, cujus bonum immutabiliter subsistit; aliunde vero per sacram illam amicitiam ineffabilis quædam Divinitatis præsentia in anima constituitur, secundum illud (1 Joan. IV, 16): *Qui manet in caritate in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo.—Hinc 3º sancti lætitiam de corde puro effluentem sponte confessi sunt, dicentes (Ps. LXII, 8): *In velamento alarum tuarum exultabo*; et (2 Cor. VII, 4): *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, quia scil. bonum divinum aliis bonis infinite præstat.

2ª *Pars.*—Ex caritate duplex de Deo gaudium gignitur: unum de bono divino *in se*, aliud de boni divini *participatione* in creaturis.

Porro 1º gaudium de bono divino *in se*, quod principale est, non patitur tristitiæ permixtionem. Nam *a)* istud bonum, gaudium gignens, nequit aliquam mali mixtionem admittere. Ideo *b)* de caritatis commercio cum divina Sapientia dictum est (Sap. VIII, 16): *Non habet amaritudinem conversatio illius;* et Apostolus, ad perseverantiam hortans Philippenses, ait (IV, 4): *Gaudete in Domino semper; iterum dico: gaudete.*—2º Gaudium de bono divino, secundum quod *participatur a creaturis*, potest aliquo tristitiæ sensu temperari. Siquidem *a)* participatio illa boni divini, vel in nobis, vel in proximis, quos tanquam nos ipsos diligere debemus, impedibilis est; quod quidem impedimentum, pronum est ut dolentiam afferat. Idcirco *b)* Ap. monet (Rom. XII, 15) *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus;* et Psalmista contemplans hujus vitæ miseriam, qua a perfecta beatitudinis participatione prohibemur, exclamat (CXIX, 5): *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!*

3ª *Pars.*—Tandem, quamvis gaudium nostrum spirituale *aliqualiter* possit in terris impleri, juxta illud Christi ad discipulos (Joan. XV, 11): *Ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur;* tamen solummodo in beatitudine *perfecte* implebitur, non quidem ex parte Dei cui infinitum tantum gaudium æquari potest, sed ex parte hominis gaudentis.—Etenim gaudium comparatur ad desiderium, sicut quies ad motum. Atqui quamdiu in hoc mundo sumus, non cessat in nobis desiderii motus, sed sola beatitudo perfecte valet appetitiones nostras quietare. Ergo gaudium nostrum in beatitudine tantum implebitur secundum mensuram unicuique ex divina prædestinatione præfixam.—Hæc autem mensura pro immensitate divinæ largitatis erit non solum plena, sed et *superplena*, desideria ipsa superans juxta illud (Luc. VI, 38): *Mensuram bonam...et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* — Quia vero nulla creatura capax est gaudii de Deo infiniti eoque condigni, inde est quod istud gaudium præcellens non capitur intra hominem, sed homo potius dicitur in ipsum intrare (Matth. XXV, 21): *Intra in gaudium Domini tui.*

ARTICULUS III.

De pace.

(Q. XXIX)

Alterum caritas progignit fructum summopere optabilem atque delectabilem, scil. pacem, quæ est velut dilectionis proprietas ac perfectio; nam Deus noster *non est dissensionis Deus, sed pacis* (1 Cor. XIV, 33).

Pax, universim sumpta, definitur ab Augustino (de Civ. Dei, l. XIX, c. 13) *tranquillitas ordinis.* Prout vero ad homines attinet, describi potest ex *D. Thoma* (art. 1) *unio vel consensio appetitivarum inclinationum quibus homo se habet vel ad seipsum vel ad alios;* ubi patet pacem, proprie loquendo, addere aliquid concordiæ: *concordia* enim dicitur inter duos sibi consentientes, *pax* vero amplius importat appetituum unius ejusdemque hominis consensionem. — Alia est pax *vera*, alia vero *apparens*, quatenus bona, in quibus appetitus quiescit, aut vera sunt ideoque solidam

quietem afferunt, aut sunt mere apparentia nec reapse valent appetitum quietare. Qua de causa dictum est (Is.XLIX, 22): *Non est pax impiis.*

Conclusio.—PROPRIUS CARITATIS EFFECTUS EST VERA PAX, IMPERFECTA QUIDEM IN VIA, PERFECTA AUTEM IN PATRIA.

1ª *Pars* prob.—1º Ex *Scriptura;* legitur enim (Ps.CXVIII, 165): *Pax multa diligentibus legem tuam.* Unde Apostolus, summum illud bonum Philippensibus optans, ait (Phil.IV,7): *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.*—2º *Ratione.* Nam duplex unio est de ratione pacis: una quidem secundum ordinationem propriorum appetituum in unum; alia vero secundum consensionem appetitus proprii cum appetitu alterius. Atqui utramque unionem efficit caritas. Ergo. *Min. decl. a)* Per hoc enim quod Deus ex toto corde diligitur ita ut omnia in ipsum referamus, omnes appetitus nostri *in unum* feruntur, et, parvipensis causis turbantibus, sedatur timorum et desideriorum fluctuatio: quod est prima unio. *b)* Altera unio consistit in eo quod homo, diligens proximum sicut se ipsum, voluntatem ejus quasi suam habet.—Neque 3º huic veræ paci, saltem in statu viæ, repugnat dissensio *in opinionibus* vel in rebus parvi momenti, dummodo consensio in principalibus bonis habeatur: exemplo est discussio quæ fuit inter Hieronymum et Augustinum, necnon dissensus inter Paulum et Barnabam (Act. XV). Attamen talis discrepantia repugnat paci patriæ, in qua plene veritas cognoscetur et omnis appetitus complebitur.

2ª *Pars* jam intelligitur, quod nempe pax viæ *imperfecta* sit, *perfecta* autem sola pax patriæ. *a)* Quippe, in hoc mundo, etsi principalis animæ motus in Deo quiescat, sunt tamen aliqua repugnantia, et intus, et extra, quæ hanc pacem perturbant.—*b)* Verum, in patria, ubi plena Summi Boni fruitio omnes appetitus in uno pacatos continebit, perfecta erit et ab omni perturbatione secura requies; de qua exponi possunt verba prophetæ (Is. LXVI, 12): *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.* [1]

1—Plura de caritate utilia habet S. Thomas in Opusc. LX: *De dilectione Christi et proximi.*

DISPUTATIO NONA

DE QUIBUSDAM PERFECTIONIBUS VIRTUTES ATTINENTIBUS

Exploratis virtutibus theologicis, et omissa dissertatione speciali circa virtutes morales infusas (de quibus moralistæ), restat ut extremam disputationem subjiciamus de nonnullis *perfectionibus* seu ornamentis quibus collectio divinorum charismatum completur. Hæ perfectiones sunt *dona Spiritus Sancti*, *beatitudines* et *fructus*, de quibus agit S. Thomas tum generalius in I-II[æ], Q. LXVIII-LXX, tum specialius in II-II[æ] passim.

QUÆSTIO PRIMA

DE DONIS SPIRITUS SANCTI

Quatuor circa illa dona quæri possunt, *an*, *quid*, *quot*, *qualia* sint ; quibus ut respondeamus, quatuor articulos instituemus, summam thomisticæ doctrinæ in illis comprehensuri.

ARTICULUS I.

De existentia donorum Sp. Sancti.

(I-II[æ], Q. LXVIII, a. 1-2)

1° Vox *donum* in Scripturis diversimode accipitur : modo quidem pro *munere* humanæ amicitiæ vel benevolentiæ (Gen. XXIV, 53) ; modo pro *oblatione* Deo facta (Heb. V, 1) ; modo pro ipsa *Sp. Sancti* persona (Act. II, 38) ; modo pro beneficiis *gratiæ* sive gratum facientis (Joan. IV, 10) sive gratis datæ (1 Cor. XII, 7) ; sumi quoque potest ad significandum speciale quoddam *divinæ inspirationis munus*, ut patet ex (Is. XI, 2), et postremo hoc sensu nunc usurpatur.

2° Itaque, ut prævia eorum notio tradatur, dona Sp. S. *describi* possunt " supernaturales quædam perfectiones qui-

bus homo disponitur ad prompte obediendum inspirationi divinæ" ; quæ quidem perfectiones dona *Sp. Sancti* vocantur duplici ex motivo : tum quia per appropriationem omnino conveniunt " Spiritui Sancto, qui est *primum donum* in quo omnia dona donantur " (S. Thom. in Is. c. XI, 2), tum quia ex spiritu cordis Dei procedunt veluti *halitus*, quibus anima a Sp. S. agitur.

3º Duo circa existentiam donorum Sp. S. ostendere intendimus, scil. *esse* talia dona, et hoc secundum rationem *necessitatis* ad salutem.

Conclusio 1ª.—ADMITTENDA SUNT DONA QUÆDAM SPIRITUS SANCTI.—Est *de fide*, præsertim post verba mox referenda *Leonis XIII.*

Revera 1º præclarissimum suffragium in hanc thesim nuper contulit supremus ille Magister (Encycl. *Divinum*): " Hoc amplius, inquit, homini justo, vitam scil. viventi divinæ gratiæ et per congruas virtutes tanquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quæ proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut ejus vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; hæc propterea dona tantæ sunt efficacitatis ut eum ad fastigium sanctimoniæ adducant, tantæque excellentiæ ut in cœlesti regno eadem, quanquam perfectius, perseverent."

2º *a)* Juxta verba Isaïæ (XI, 2) : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii*, etc., fuerunt in Christo perfectiones quæ *spiritus*, i. e. dona Sp. S. dicuntur. Porro " verba illa ad cæteros justos SS. Patres extendunt, vel quia Christus non sibi soli, sed nobis etiam illa accepit, vel quia de plenitudine ejus omnes accepimus : in Christo enim fuerunt illa dona cum plenitudine tanquam in exemplari" (*Suarez*, De neces. grat. l. II, c. 17, n. 3).—*b)* Accedunt plura *exempla*, in Scripturis descripta, actionum in quibus donorum vis proprie elucet, puta quod *David* (1 Reg. XVII, 32) se ad pugnandum contra Goliath obtulerit, quod *Simeon* (Luc. II) venerit in Spiritu in templum ad videndum Messiam promissum, etc. Atque eo quoque spectant plura gesta mirabilia de *martyribus* relata.—*c) Sensus Ecclesiæ* liquet tum ex hymno in quo Sp. S. *septiformis munere* appellatur, tum ex *Catech. Trid.* (P. 1, art.

8, n. 10) ubi inter "præcipuos et maxime proprios Sp. S. effectus" numerantur *dona Spiritus Sancti.*

3° Missis quorumdam explicationibus peregrinis, esto *D. Thomæ* ratiocinatio (I-IIæ, Q. LXVIII, a. 1): "In homine est duplex principium movens: unum quidem interius, quod est ratio; aliud autem exterius, quod est Deus. Manifestum est autem quod omne quod movetur, necesse est proportionatum esse motori; et hæc est perfectio mobilis, in quantum est mobile, dispositio qua disponitur ad hoc quod bene moveatur a suo motore. Quanto igitur movens est altior, tanto necesse est quod mobile perfectiori dispositione ei proportionetur; sicut videmus quod perfectius oportet esse discipulum dispositum ad hoc quod altiorem doctrinam capiat a doctore. Manifestum est autem quod virtutes humanæ perficiunt hominem, *secundum quod natus est moveri per rationem* in his quæ interius vel exterius agit. Oportet igitur inesse homini *altiores perfectiones, secundum quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur;* et istæ perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina, sicut dicitur (Is. L, 5): *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abii.*"

Conclusio 2ª.—DONA SP. SANCTI NECESSARIA DICENDA SUNT CUIQUE JUSTO AD SALUTEM.—Id *certo* nunc constat ex verbis supra citatis *Leonis XIII:* "*Justo opus plane est septenis illis*" etc.

Sane 1° inter dona summum videtur esse *sapientia*, infimum autem *timor*. Atqui utrumque horum necessarium est ad salutem, quia dicitur (Sap. VII, 28): *Neminem diligit Deus nisi eum qui cum sapientia inhabitat;* et (Eccli. I, 28): *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Ergo etiam alia dona media, etc.

2° Efficax *D. Thomæ ratio* suppetit *(ibid.* a. 2).—Cum dona disponant ad sequendum *instinctum* divinum, in his in quibus non sufficit rationis directio, sed instinctus Sp. S. requiritur, dona necessaria dici debent. Atqui directio rationis in ordine ad salutem non sufficit: ergo. *Min. decl.* Ratio hominis illustratur duplici lumine, naturali seu proprio, et supernaturali per virtutes theologicas; cum hac tamen diffe-

rentia quod prima illustratio perfectiori *modo* habetur, nempe per modum plenæ possessionis, altera vero ob suam celsitudinem imperfecte tantum participatur. Jamvero, quod perfecte formam aliquam vel virtutem possidet potest per se secundum illam operari (suppposita communi Dei cooperatione), non vero quod imperfecte tantum habet formam illam, ut patet de medico et ejus discipulo nondum plene instructo ad exercendam artem medicinæ. Ergo, quantum ad ea quæ pertinent ad finem connaturalem, homo potest per judicium rationis sufficienter operari ; sed in ordine ad finem ultimum supernaturalem, motio rationis *imperfecte* tantum virtutibus theologicis *informatæ* non sufficit, nisi desuper accedat instinctus et motio Sp. S. juxta illud (Rom. VIII, 14) : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ;* et (Ps. CXLII, 12) : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*—Consequens est, dona Sp. Sancti *omnibus* justis infundi.

Solv. obj. (cont. 2^{am} concl.).—Obj. 1.—Dona ordinantur ad quamdam perfectionem ultra communem perfectionem virtutum. Atqui perfectio illa non cadit sub præcepto, sed sub consilio tantum. Ergo.

Resp. *D. M* :...quantum ad *genus operum*, *N* ; quantum ad *modum operandi* ex instinctu altioris principii, *C.*—*C.d.m.*—*Neg. conseq.*

Obj. 2.—Sufficit homini ad salutem ut bene circa divina et humana se habeat. Atqui utrumque per virtutes theologicas et morales infusas præstatur. Ergo.

Resp. *C. M.*—*D.m* :...per illas virtutes homo ad omnia divina et humana prosequenda ordinatur, *C* ; potest illa prosequi quin indigeat moveri quodam superiori instinctu, quo imperfecta virtutum infusarum participatio et actio compleatur, *N.*—*Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De propria donorum Spiritus Sancti natura.

Jam in præc. art., sive ex *modo loquendi* Leonis XIII, sive ex rationibus adductis, colligi potuit *quid* sint dona

quave ratione a virtutibus discriminanda sint.—Verum, cum *quidam* theologi, e quibus *Scotus*, *Vasquez*, etc, existimaverint *non distingui realiter* dona a virtutibus infusis, sed dona vocari easdem virtutes pro variis suis muneribus, operæ pretium erit doctrinam *D. Thomæ*, communem in scholis, ex professo adstruere.

Conclusio.—DONA SP. S. SUNT HABITUS QUIDAM SUPERNATURALES, REALITER DISTINCTI A VIRTUTIBUS INFUSIS.

1ª *Pars* evinci potest dupliciter:—1º ex *auctoritate*; tum quia *Leo XIII (Encycl. cit.)* docet animum donorum beneficio *instrui* et *muniri*; tum quia (Is. XI) asseritur Spiritum Domini super Christum *requiescere*: quæ voces permanentiam quamdam formæ activæ indicant, ideoque ad *habitus* supernaturales significandos referendæ sunt. Unde de Sp. Sancto, profecto cum donis suis inhabitante, dixit Dominus (Joan. XIV, 17): *Apud vos manebit et in vobis erit.*—2º Ex *ratione.* Cum dona sint perfectiones quædam hominem habilitantes ad bene sequendum impulsum divinum, comparari possunt ad hanc Sp. Sancti motionem, sicut virtutes morales, in vi appetitiva regibili a ratione, se habent ad rationis imperium. Atqui virtutes morales habitus quidam sunt, quibus vires appetitivæ indigent ut disponantur ad prompte et connaturaliter obediendum rationi. Ergo et dona Sp. S. sunt quidam altiores habitus quibus homo perficitur ad obsequendum Spiritui Sancto.

2ª *Pars* effert, dona Sp. S. *realiter distingui* a virtutibus *infusis*, sive theologicis, sive moralibus.—Quod enim a virtutibus naturalibus seu *acquisitis* distinguantur, nimis manifestum est.

Præcipuum *fundamentum* asserti sic ex *Angelico* et ejus commentatoribus [1] constitui potest.—Illi habitus realiter distinguuntur, qui respiciunt *objecta* formaliter distincta. Atqui virtutes infusæ et dona respiciunt objecta formaliter diversa: ergo. *Maj.* patet; *minor prob.* Virtutes acquisitæ respiciunt objectum ut dirigibile, sub lumine naturali, per regulas cognitionis et prudentiæ acquisitæ; virtutes vero infusæ illud attingunt ut dirigibile, sub lumine fidei et gratiæ, per regulas cognitionis et prudentiæ infusæ, *modo* tamen

1—Cf. præsertim Joan. a S. Thoma, *De Virt.*, Disp. XVIII, art. 2.

humano seu rationi inquirenti et consilianti consentaneo; at dona objectum illud respiciunt ut assequibile modo altiori, nempe per quemdam internum *affectum* et specialem *instinctum* Sp. S. præter speculationis leges prudentiæque regulas. Atqui objectum ut cognoscibile et dirigibile supra mentis leges ac regulas, ex affectu et instinctu divino, distinguitur formaliter ab objecto legibus ac regulis illis subjecto. Ergo, sicut diverso modo navis labore remigantium ducitur, vel a vento inflante vela impellitur, licet ad eumdem terminum; ita diversus specifice modus est quo homo per virtutes infusas et per dona Sp. S. in Deum contendit.—Ex *formali* differentia assignata inter virtutes et dona *colligimus*, quod dona *a)* aut feruntur in *opera* quædam *extraordinaria* ratione materiæ, quæ non solent in deliberationem fidelium venire; *b)* aut sæpius in materiam ordinariam virtutum, sed *modo extraordinario* seu absque prævio et prudentiali studio; *c)* licet tamen *per accidens* ex defectu materiæ forte non in omnibus vel saltem non semper donorum habitus exerceantur.

Corollarii ad instar, *adæquata definitio* donorum accipitur, quatenus sunt " habitus supernaturales, quibus mens humana disponitur ad obsequendum instinctui Sp. S., præter ordinarias cognitionis et prudentiæ etiam infusæ regulas "; qua quidem in definitione prima verba, *habitus supernaturales*, locum tenent *generis* proximi, cætera vero significant *differentiam* specificam.

Solv. obj.—OBJ. 1 (cont. 1^{am} p. concl.).—Per dona Sp. Sancti homo perficitur et a Deo agitur quasi instrumentum. Atqui non convenit ut instrumentum perficiatur per habitum, sed principale agens. Ergo.

RESP. *D. M* :... a Deo agitur ita ut et *ipse agat* quasi instrumentum *liberum*, *C;* agitur quin agat, velut instrumentum inanime et necessario motum, *N.—C.d.m.* eodem sensu.—*Neg. conseq.*

OBJ. 2.—Sicut dona sunt ex inspirante Sp. S., ita et prophetia. Atqui spiritus prophetiæ non confertur prophetis nisi transeunter. Ergo.

RESP. *D. M* :... et eadem est utrinque habitudo ad finem salutis, *N;* prophetia pertinet ad manifestationem Spiritus Dei, non autem ad necessitatem salutis, sicut dona, *C.—C.m.—Neg. conseq.*

OBJ. 3 (cont. 2am p. concl.).—Quorum est eadem definitio, ipsa quoque eadem sunt. Atqui definitio virtutis convenit donis; unumquodque enim donum est " bona qualitas mentis, qua recte vivitur," etc. Ergo.

RESP. *C. M.* — *D.m:* definitio virtutis convenit donis secundum communem rationem boni habitus operativi, *C;* secundum rationem differentialem virtutis, *N.*—*Neg. conseq.*

En responsio *S. Thomæ* (I-IIæ, Q. LXVIII, a. 1 ad 3): " Definitio illa datur de virtute secundum communem modum virtutis. Unde si volumus definitionem restringere ad virtutes, prout distinguuntur a donis, dicemus quod hoc quod dicitur: *qua recte vivitur,* intelligendum est de rectitudine vitæ quæ accipitur *secundum regulam rationis* " sive nudæ, sive fide illuminatæ.

ARTICULUS III.

De numero donorum Spiritus Sancti.

(I-IIæ, Q. LXVIII, a. 3; II-IIæ passim)

Præadvertendum est ex *D. Thoma* (I-IIæ, Q. LXVIII, a. 4 ad 3) quod animus hominis non movetur a Sp. S., nisi ei secundum aliquem modum uniatur; sicut instrumentum non movetur ab artifice nisi per aliquam conjunctionem. Prima autem unio hominis ad Deum est per fidem, spem et caritatem. Unde istæ virtutes donis præsupponuntur velut *radices,* e quibus dona procedunt.—Dupliciter potest numerus donorum Sp. S. investigari, *in genere* et *in specie:* utroque modo illa considerabimus.

Conclusio 1a.—SEPTENARIUS EST NUMERUS DONORUM SPIRITUS SANCTI.—Id saltem *fidei proximum* dici potest ex communi Ecclesiæ docentis orantisque consensu.

1° Namque Ecclesia in sua liturgia canit: " *Tu septiformis munere,*" et iterum: " Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum *septenarium.*" Hisce consonat vox *septenis* qua utitur *Leo XIII* (*Encycl. cit.*) — Ex *Patribus* referri posset *S. Augustinus* (l. I *De Serm. Dom. in monte,* c. 4, n. 11); *S. Hieronymus* (in c. XII saïæ); *S. Gregorius*

M. (Mor. l. I, cc. 28 et 32), etc.—Catholicæ hujus doctrinæ fundamentum *biblicum* petitur ex (Is. XI, 2-3) : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* [1].—Hæc dona, ait Gonet (De Virt. Disp. VI, a. 2), *figurantur* per septem oculos super lapidem unum (Christum) de quibus fit mentio Zach. III ; per septem lucernas de quibus dicitur Exod. XXV : *Facies lucernas septem et pones eas super candelabrum ;* per septem lampades ardentes ante thronum, Apoc. IV, etc.

2º Esto *ratio* ab *Angelico* [2] assignata.—Quot sunt operationes potentiarum, quæ sunt principia humanorum actuum, tot esse congruit dona Sp. Sancti. Atqui septem operationes ejusmodi numerantur : ergo. *Maj.* constat ex eo quod dona Sp. S. in id homini conferuntur ut in suis actibus prompte instinctum divinum sequatur. *Min. ostend.* Vires, e quibus operationes humanæ procedunt, duæ sunt, *ratio* et *appetitus*. Porro *a)* quod ad rationem seu *vim cognoscitivam* attinet, cum dona præsupponant ac perficere nata sint cognitionem fidei tum speculativam tum practicam, hac de causa requiritur *primo* ut intellectus *apprehendens* illustretur ad penetranda et capienda quæ fidei sunt, et circa hoc ponitur donum *intellectus*. Oportet *secundo* ut de eis homo rectum *judicium* habeat, æstimans his esse inhærendum et ab eorum oppositis recedendum : quod quidem judicium, si feratur in res divinas et sublimiores, pertinet ad donum *sapientiæ ;* sin vero in res creatas, pertinet ad donum *scientiæ ;* sin autem respiciat applicationem principiorum ad singula opera, pertinet ad

1—Advertit *Sylvius* (in I-IIæ, Q. LXVIII, a. 4) quod "Calvinus irridet catholicorum et præsertim scholasticorum imperitiam, qui ex capite XI Is. septem statuunt dona Sp. S., cum tamen in hebræo solum habeantur sex distincta vocabula: ubi enim nos legimus *spiritum pietatis et timoris*, idem vocabulum est in hebræo quod timorem significat, ac ultimo penultimoque loco ponitur."—Sylvii responsio est quod, quia idem illud vocabulum hebraïcum non sine causa est repetitum, recte *Septuaginta* interpretes, quos et peritissimi viri *Hieronymus, Origenes* aliique veteres secuti sunt, vocem illam duabus distinctis vocibus *timoris* reverentialis et *pietatis* reddiderunt ; siquidem et apud latinos timor non tantum significat metum, sed etiam reverentiam et pietatem.

2—I-IIæ, Q. LXVIII, a. 4 ; II-IIæ, Q. VIII, a. 6.

donum *consilii.* *b)* Quod attinet ad *vim appetitus,* virtus appetitiva, in his quidem quæ sunt ad alterum, perficitur per donum *pietatis;* in his vero quæ sunt ad seipsum, perficitur per donum *fortitudinis* contra metum periculorum, et per donum *timoris* contra concupiscentiam inordinatam delectabilium.—Ex quibus patet dona se extendere ad universum dominium virtutum intellectualium et moralium, quibus accedunt et subveniunt.

Conclusio 2ª.—CLARIUS ELUCET SEPTENA ESSE DONA SP. S., SI DONA ILLA EXPENDANTUR IN SPECIE :—quod de singulis jamjam præstabimus.

I. **Donum intellectus** (II-IIæ, Q. VIII).—Donum istud definiri potest *habitus supernaturalis quo mens aptatur ad veritates fidei speculativas et practicas, ex peculiari Sp. S. instinctu, percipiendas.*—Considerabimus varia definitionis elementa, scil. doni intellectus materiam, rationem formalem, actum seu munus proprium, et subjectum.

1º *a)* Intellectus est penetrare quæ interius latent. Porro sub *accidentibus* latent substantiæ vel alia remotiora accidentia, et sic ad donum intellectus pertinet ista rimari, v.g. sub accidentibus panis corpus Christi. Sub *verbis* latent significata verborum, et sic per donum intellectus mens attingit proprium et litteralem sensum Scripturæ. Sub *figuris* latent sensus mystici, ut allegoricus, moralis, anagogicus; sicut etiam parabolicus sub *similitudinibus.* Sub *sensibilibus* latent intelligibilia et spiritualia, ut Angeli, Deus. In *causis* latent effectus, v.g. in Sacramentis gratia, necnon causæ in *effectibus,* v.g. infinita Dei bonitas vel potentia in effectibus supernaturalibus. Ad hæc omnia percipienda donum intellectus, sub prævia fidei revelatione, se extendit (art. 1).—*b)* Idcirco donum illud, pro nobilitate sua, ad instar fidei et theologiæ *eminentius* comprehendit tum speculativa tum practica: *speculativa* quidem primo et principaliter, quippe quæ fundamenta fidei constituunt; *practica* vero consequenter, in quantum quædam operabilia ad finem supernaturalem, fide revelatum, ordinantur (art. 3).

2º Quod spectat ad *rationem formalem* ejusdem doni, *a)* in hoc donum intellectus discriminatur a *fide cæterisque virtutibus intellectualibus* quod neque testimonio dicentis, neque lumini studioque humano formaliter innititur, sed ex

instinctu Sp. Sancti, *lumen affectumque* ad verum influentis, quæ fidei sunt quodammodo *experitur*, cum amore concipit atque penetrat. " Donum intellectus, ait *S. Thomas* (art. 6 ad 2), est circa prima principia cognitionis gratuitæ; aliter tamen quam fides: nam ad fidem pertinet eis *assentire*, ad donum vero intellectus pertinet mente *penetrare* ea quæ dicuntur." — *b)* Distinguitur itidem donum intellectus a *donis sapientiæ* et *scientiæ*, non quasi sit simplex terminorum apprehensio (siquidem *perceptio veritatis*, in qua *S. Thomas* reponit actum illius doni, nequit esse sine aliquo judicio initiali discretivo) [1], sed quia lumen illud surpernaturale se habet ad ea quæ nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale (habitus principiorum) ad ea quæ primordialiter cognoscimus ex immediata terminorum penetratione.

3⁰ Itaque jam patet *actum* proprium doni intellectus ita consistere in *perceptione* veritatum fidei ut mens, acutior facta et veri cupidior, quæcumque fidei sunt vel ad fidem pertinent lucidius percipiat, facilius ab errore secernat, firmius amplectatur.—Non potest quidem his in terris donum intellectus pertingere usque ad *perfectam* mysteriorum intelligentiam, ideoque compossibile est cum fide (art. 2); nihilominus luce quadam divina perfundit tum vera *præambula* ad fidem, tum *credibilitatem* veritatum supernaturalium, tum earum sensum, congruentiam et ordinem, hebetudinem mentis dissipans; unde orabat David (Ps. CXVIII, 34): *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam.*

4⁰ Quoad *subjectum*, dicendum *a)* quod donum intellectus inest omnibus, iisque solis, qui gratiam habent, juxta illud (Joan. VIII, 12): *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Ratio est, quia per gratiam et caritatem voluntas hominis Deo inhæret tanquam supremo Bono et Fini, quatenus recta de hoc fine *existimatio practica* habetur; ex quo homo clare percipit non esse hic et nunc a Deo recedendum. Porro clara illa existimatio non est solius fidei, ut patet ex fidelibus peccatoribus. Ergo in habentibus gratiam, præter fidem, requiritur illustratio mentis per donum intellectus (art. 4-5) [2].—

1—Cf. Joan. a S. Thoma, *de Virt.* Disp. XVIII, a. 3.
2—Cf. Cajet. in art. 4.

Attamen donum istud non omnes justos æqua luce illustrat; quamvis nullus sit ex eis qui de necessariis ad salutem non sufficienter instruatur.

II. **Donum sapientiæ** (II-II^{æ}, Q. XLV).—Hoc donum potest definiri *habitus supernaturalis quo homo, inspirante Sp. S., de veritatibus religiosis ac moralibus ex quadam affectiva unione ad ipsas per altissimas causas judicat.*— Pauca dicamus ad illustrandam hanc definitionem.

1° *a)* Vox *sapientiæ* in creaturis significat cognitionem aliquam *per causam altissimam*, sive in aliquo *determinato genere*, sive *simpliciter;* unde præcipuam sibi sapientiæ appellationem vindicat *Philosophia*, maxime *Metaphysica*, quæ est virtus intellectualis naturalis, scientiæ præposita; potiori significatu *Sacra Theologia* sapientiæ nomine decoratur.—*b)* Cum his mentis humanæ perfectionibus generice convenit *donum sapientiæ*, quatenus veritatem in rationibus superioribus et secundum respectum ad causam altissimam seu finem ultimum intueri facit. Et in hoc manifeste distinguendum est a *fide*, quæ assentit dogmatibus ex auctoritate Dei, quin dogmata illa sub principiorum luce contempletur.—*c)* Differt autem donum sapientiæ tum a *sapientia* mere *philosophica*, tum a *Theologia Sacra:* quia utraque hæc sapientia humano studio et vi demonstrativa procedit; donum autem sapientiæ de veritatibus per altiores causas judicat seu judicium habet resolutivum non ex industria demonstrationis quidditatem rei patefacientis, sed, ut loquitur *S. Thomas* (art. 2), per quamdam *connaturalitatem* seu affinitatem ad res divinas. Siquidem affinitas illa et unio affectiva efficit ut homo, etiam illitteratus, quasi experimentaliter et secreto instinctu verum verique summa principia attingat [1], juxta illud (Ps. LXX, 17): *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.*—*d)* Atque, quemadmodum homo per *divinam* illam *sapientiam* omnia ad finem ultimum judicio reducit, ita si finem sibi præstituat in bonis terrenis, vocatur sapientia ejus *terrena;* si in bonis corporalibus, vocatur sapientia *animalis;* si vero in aliqua

1—Hæc late docteque prosequitur Joan. a S. Thoma, *l. cit.* art. 4.

excellentia, vocatur sapientia *diabolica* propter imitationem superbiæ diaboli (art. 1-2).

2° Quantum ad *materiam* circa quam donum sapientiæ versatur, tenendum est illam esse omnia ea de quibus est fides, juxta illud (1 Cor. II, 15) : *Spiritualis judicat omnia.* Unde sapientia illa se extendit tum ad divina, tum etiam ad humana, secundum respectum quem habent ad Deum, ut est prima causa *efficiens*, *exemplaris* et *finalis.*—Consequenter, prouti de ipso intellectus dono observavimus, ad donum sapientiæ pertinent *speculativa* et *practica :* quippe mens, lumine illo instructa, prius quidem et primario divina et æterna in suis rationibus contemplatur, posterius vero secundum æternas illas rationes ac regulas actus humanos in communi dirigit de iisque judicat (art. 3).

3° Ex dictis constat donum sapientiæ importare judicii rectitudinem circa divina sive conspicienda sive consulenda, quatenus eadem divina per connaturalitatem quamdam animo uniuntur et veluti inviscerantur. Jamvero hæc unio affectiva et mystica esse nequit sine caritate. Quam ob rem donum sapientiæ præsupponit caritatem et gratiam (art. 4).—Porro, *quidam* tantum sortiuntur de illa rectitudine judicii speculativi et moralis quantum ad salutem expedit, et hoc nulli justo deest. *Nonnulli* vero, quos Deus ad alios erudiendos destinat, altiori gradu percipiunt divinas illustrationes, et hoc non convenit omnibus justis, sed magis pertinet ad *gratias gratis datas* (art. 5).—Demum sapientiæ opponitur *stultitia* (II-IIæ, Q. XLVI), ex eo proveniens quod sensus spiritualis, hebetudine affectus, ineptus est ad spiritualia dijudicanda; quæ quidem ineptia maxime ex luxuria nascitur.

III. **Donum scientiæ** (II-IIæ, Q. IX). — Tertium hoc donum est *habitus supernaturalis quo justus, ex speciali Sp. Sancti instinctu, vera religiosa ac moralia per inferiores causas recte judicat.*

1° Eo proportionali modo quo donum sapientiæ, ita et *donum scientiæ* differt sive a *fide*, sive a *scientia* quacumque *naturali :* siquidem objectum suum attingit *per causas*, non tamen laborioso studio discursus demonstrativi, sed *instinctivo* quodam veritatis sensu. — Specie autem distinguitur donum scientiæ a *dono sapientiæ*, quia, quamvis utrumque ex instinctu Dei sit, donum sapientiæ pro *medio cognitionis*

habet Deum ipsum, donum autem scientiæ medium sumit suorum judiciorum ex *creatura*, v. g. per primum horror peccati ingeritur ex bonitate Dei, per aliud ex fœditate peccato inhærente.

2° Igitur donum scientiæ *objective* versatur circa res creatas, etsi per creaturas ad Deum pertingit. Illius doni est secernere credenda a non credendis, conspectis in se falsis dogmatibus et systematibus; per illud homo creaturas adæquato pretio æstimat; unde Ap. (Rom. VIII, 38-39): *Certus sum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei.*

3° *a)* De *subjecto* doni scientiæ audiatur *D. Thomas* (art. 3 ad 3): "Sicut dictum est de dono intellectus quod non quicumque intelligit, habet donum intellectus, sed qui intelligit quasi ex hab' a gratiæ; ita etiam de dono scientiæ est intelligendum, quod *illi soli* donum scientiæ habeant qui ex infusione gratiæ rectum judicium habent circa credenda et agenda, ita quod in nullo devient a rectitudine justitiæ. Et hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur (Sap. X, 10): *Justum deduxit per vias rectas...et dedit illi scientiam sanctorum.*" Si quæ vero scientia excellentior conferatur ex qua quis valeat fidem manifestare, alios ad credendum inducere et contradictores revincere, scientia illa reponenda est inter *gratias gratis datas*, quibusdam, non omnibus concessas.—*b)* Donum *intellectus* et donum *scientiæ* maxime referuntur ad *fidem*, quam illustrant et ab errore custodiunt; donum vero *sapientiæ* magis *respondet caritati*, propter intimiorem cum Deo rebusque divinis unionem.

IV. **Donum consilii** (II-IIæ, Q. LII).—Definitur hoc donum *habitus supernaturalis quo, consiliante ipso Sp. S., justus de particularibus agibilibus congruenter ad finem æternæ vitæ judicat.*

1° *S. Thomas* sic *donum consilii* describit et discernit a virtute prudentiæ (art. 1 ad 1): "*Prudentia* vel eubulia, sive sit *acquisita*, sive sit *infusa*, dirigit hominem in inquisitione consilii *secundum ea quæ ratio comprehendere potest*, unde homo per prudentiam vel eubuliam fit bene consilians vel sibi vel alii. Sed quia humana ratio non potest *compre-*

hendere singularia et contingentia quæ occurrere possunt, fit quod *cogitationes mortalium sint timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*, ut dicitur Sap. IX, 14. Et ideo indiget homo *in inquisitione consilii dirigi a Deo*, qui omnia comprehendit ; quod fit per donum consilii, per quod homo dirigitur quasi consilio a Deo accepto ; sicut etiam in rebus humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilii, a sapientioribus consilium requirunt." Attamen, ut advertit *Joan. a S. Thoma (l. cit.* a. 5, n. 18), aliquando Sp. Sanctus ita nos suo ducit instinctu ut moveamur ad aliorum consilium exquirendum, præsertim in difficilioribus.—De sapiente dona Sp. S. exposcente dicitur (Sap. XXXIX, 9-10) : *In oratione confitebitur Domino, et Ipse diriget consilium ejus et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur.*

2° " Consilium, secundum quod est donum Sp. Sancti, dirigit nos *in omnibus quæ ordinantur in finem vitæ æternæ*, sive sint de necessitate salutis, sive non " (S. Thom. a. 4 ad 2).—Et quoniam id ad quod donum illud dispensatur, scil. certitudinem de mediis aptioribus ad finem et de convenientiori agendi tempore, in rebus tam dubiis et contingentibus humanum non est attingere, sed divinum, [1] idcirco donum consilii in iis quæ *necessaria* sunt ad salutem commune est *omnium justorum*.

3° Consilii donum *respondet virtuti prudentiæ*, quatenus ex altiori principio immediate procedens ad prudentiam humanam comparatur ut superior regula ad inferiorem, eamque, sive acquisitam, sive etiam infusam, perficit atque adjuvat (art. 2).—Unde per illud caventur vitia prudentiæ opposita, scil. præcipitatio, inconsideratio et inconstantia, negligentia et falsa prudentia (II-II^{æ}, Q. LIII-LV).

V. **Donum pietatis** (II-II^{æ}, Q. CXXI).—Hoc donum definitur *habitus supernaturalis quo justus, movente specialiter Sp. Sancto, Deum ut patrem colit omniaque ad Deum pertinentia affectu cultuque filiali prosequitur.*—Explicetur definitio.

1° *Donum pietatis*, quoad vocem, sumptum est ex analogia cum virtute illa speciali, scil. *pietate*, qua filius patri carnali cultum et officium exhibet. Quippe in hoc donum

1—3 S. D. XXXV, Q. II, a. 4, sol. 1.

illud Sp. S. formaliter consistit quod homo ex divino instinctu moveatur ad exhibendum Deo, *ut patri*, filialem cultum et affectum, juxta illud (Rom. VIII, 15): *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*— Specifice autem differt donum pietatis a religione tum acquisita, tum infusa: a *religione acquisita* quæ est ordinis naturalis et Deum honorat ut Creatorem et auctorem naturæ; etiam a *religione infusa*, quæ utique Deum ut auctorem gratiæ respicit, sed aliter quam donum pietatis. Ex illa enim Deum colimus ut *Dominum* mundi supernaturalis, ex quo tot beneficia accepta sunt, et cui idcirco cultus gratitudinis debetur; ex dono autem pietatis movemur in Deum præcise *ut Patrem*, non jam beneficiorum, sed suî suæque bonitatis ratione honorandum. Unde ei affectu filiali immediatius inhæremus [1], ultra quod ratio et revelatio exterior suadent.

2° Quoad *materiam*, donum pietatis primario quidem respicit Deum, sed secundario etiam omnia ea quæ ad Deum pertinent.—Hinc ex dono illo *a)* homo Deum colit intuitu solius paternæ ejus bonitatis et excellentiæ, non vero ad modum debiti propter accepta beneficia; *b)* hanc venerationem extendit ad *sanctos* qui templa sunt Sp. S., ad *superiores* in quibus divina auctoritas relucet, ad *Scripturas* quæ Dei verbum continent, ad *reliquias* passionis Christi omniumque sanctorum; *c)* misericordiam *miseris*, veluti fratribus, propter Deum patrem adhibet; *d)* tandem omnes *operationes ad alios* cum eodem pietatis et fraternitatis sensu exercet.—Consideranti liquet donum pietatis *respondere virtuti justitiæ*.

VI. **Donum fortitudinis** (II-II^{æ}, Q. CXXXIX).—Describi hoc donum potest *habitus supernaturalis quo, ex instinctu Sp. Sancti et supra humanum modum, mens invicta quadam fiducia contra difficultates virtutis et pericula etiam gravissima roboratur.*—Pauca subjiciantur.

1° Alia est fortitudo *generalis*, veluti communis omnium virtutum conditio; alia fortitudo *specialis* inter virtutes cardinales connumerata. Ab hac virtute sive acquisita sive infusa *specifice* discriminatur donum fortitudinis; nam, ut ait *S. Thomas* (3 S. D. XXXIV, Q. III, a. 1, sol. 1), "for-

1—Cf. 3 S. D. XXXIV, Q. III, a. 2 ad 1;—Joan. a S. Thoma, *l. cit.* a. 6.

titudinis *virtus* mensuram sui actus habet *humanas vires;* unde ea quæ supergrediuntur vires hominis, neque aggreditur, neque sustinet...Sed *donum* fortitudinis habet pro mensura sui actus *divinam potentiam,* de cujus auxilio confidit, sicut dicitur in Ps. XVII, 32: *In Deo meo transgrediar murum,* i. e. omne quod potest humanæ infirmitati obviare." Igitur dum virtus fortitudinis etiam infusæ, prudentiali judicio regulata, non raro obruitur et veluti frangitur difficultatibus humanam infirmitatem excedentibus, donum fortitudinis, consilii dono innixum, fiduciam ingenerat perficiendi quælibet opera inchoata et quæcumque pericula imminentia superandi, præter humanum modum infusæque prudentiæ regulas. Quare *sancti* nonnulla quandoque operanda suscipiunt quæ mundo stulta videntur, divina tamen reapse sunt.

2° Quoad *materiam,* donum fortitudinis, utpote participans ipsius divinæ potestatis efficaciam et amplitudinem, " se extendit ad *omnes difficultates* quæ in humanis rebus possunt accidere etiam supra facultatem humanam, sicut Ap. dicebat Phil. ult. 13: *Omnia possum in eo qui me confortat*...Cum autem fortitudo virtus sit circa timores et audacias, habet duos actus: unum qui est *aggredi,* in quantum moderatur audacias; alium qui est *sustinere,* in quantum moderatur timores. Sed hic actus est *principalior,* in quantum difficilius est sustinere difficultates præsentes quam tendere in absentes. Et similiter actus doni fortitudinis principalis est sustinere omnes difficultates sive in *passionibus* sive in *operationibus;* et ad hunc ordinatur alius actus qui est difficilia et ardua aggredi spe divini auxilii" (3 S. *l. cit.* sol. 2). Consequitur per donum illud roborari animum non solum ad toleranda pericula mortis, puta martyrium, actusque heroïcos exercendos, sed etiam ad sustinenda omnia vitæ adversa, tribulationes, tentationes, dolores, cunctaque ardua, necessaria vel utilia, aggredienda.—Hinc, quamvis præfatum donum *respondeat virtuti speciali fortitudinis,* extenditur tamen ad omnem materiam fortitudinis generalis.

VII. **Donum timoris** (II-II[æ], Q. XIX).—Hoc donum est *habitus supernaturalis quo justus instinctu Sp. Sancti movetur ad reverendum Dei excellentiam mali inflictivam et refugiendum separationem ab eo.*—Descriptio hæc explicatione indiget.

1⁰ *a)* Multiplex distinguitur timor: alius est enim timor *mundanus*, quo homo a Deo recedit metu malorum temporalium; alius timor *servilis*, quo deseritur peccatum propter malum pœnæ; alius timor *filialis*, quo malum culpæ refugimus, quatenus offensa Dei est. Hic timor caritati jungitur; atque ex duplici principio procedere potest: vel enim Deum respicit ut *Amicum* summe amabilem quem culpa offendit, et tunc elicitur a *caritate* ipsa; vel Deum respicit ut *Regem* summe terribilem cui se homo subjicere debet et vereri ne subducatur, et tunc elicitur ex *dono timoris*.—*b)* Nam, ut docet *S. Thomas (l. cit.* a. 9), dona Sp. S. hoc imprimis requirunt ut homo, abjecta omni repugnantia, se perfecte Deo subjiciat. Porro timor filialis vel castus secundo sensu acceptus id efficit, in quantum, per ipsum, Deum omnipotentem *reveremur* et refugimus ab eo separari. Hac de causa, timor filialis inter dona Sp. S. quasi primum locum tenet ascendendo, descendendo autem ultimum (August.).—*c)* Timor ille distinguatur oportet tum a dono pietatis, tum a religione, tum ab humilitate: a *dono pietatis*, per quod spectatur Deus ut *Pater* colendus in se et in suis; a *religione*, quæ hominem supremo *Domino* subjicit per modum observantiæ; ab *humilitate* vero quæ nimium appetitum propriæ excellentiæ refrænat secundum *communes regulas*. Donum autem timoris communes has leges transcendit, parvitatem humanam deprimendo et quasi annihilando in conspectu divinæ eminentiæ [1].

2⁰ Duo sunt præcipui *actus* a dono timoris eliciti, scil. *a)* primo actus *reverentiæ* erga divinam excellentiam, quatenus hæc potens est infligere malum etiam annihilationis; *b)* secundo actus *fugiendi* malum culpæ ut separativum a summa illa Dei bonitate, et speciatim se cohibendi a delectationibus sensibilibus quæ vehementius in peccatum trahunt.

3⁰ Donum timoris *principaliter* quidem respicit Deum, cujus offensam declinat; et secundum hoc *correspondet virtuti spei*, fundatæ in divino auxilio, cui homo per timorem refugit se subtrahere. Unde timor et spes sibi invicem cohærent et se invicem perficiunt. *Secundario* autem donum

1—Cf. Joan. a S. Thoma in I-IIæ, Disp. XVIII, a. 6, et in II-IIæ, Disp. XII, a. 1-2.

timoris potest respicere quæcumque in offensam Dei ducant. Atque maxime homo timore divino indiget ad fugiendum ea quæ maxime alliciunt, scil. delectabilia carnis, circa quæ temperantia est, juxta illud (Ps. CXVIII, 120) : *Confige timore tuo carnes meas ;* et ideo donum timoris correspondet etiam virtuti *temperantiæ* (II-IIae, Q. CXLI, a. 1 ad 3) [1].

ARTICULUS IV.

De proprietatibus donorum Spiritus Sancti.

(I-IIae, Q. LXVIII, a. 5-8)

Sub hoc capite dicendum est simul de donorum *connexione, duratione*, et *dignitate*, sive ad invicem, sive cum virtutibus comparentur.

Conclusio 1a. — Dona Sp. Sancti intima connexione inter se devinciuntur.

Prob. — Sicut vires appetitivæ disponuntur per virtutes morales in comparatione ad regimen rationis, ita omnes animæ vires per dona coaptantur motioni superiori Sp. Sancti. Atqui Sp. S. habitat in nobis per caritatem, sicut et ratio nostra per prudentiam perficitur. Ergo, quemadmodum virtutes morales connectuntur sibi invicem in prudentia, ita dona Sp. S. sibi invicem sociantur in *caritate.*—Igitur 1° si quis caritatem habet, *omnia simul* dona Sp. S. habeat necesse est. 2° Dona ista, cum caritate a Deo infusa, legem *augmenti* caritatis sequuntur, ita ut in gradu *infimo*, vel *medio*, vel *supremo* consistere queant.

Conclusio 2a.—Septem dona Sp. Sancti remanent in patria quantum ad essentiam, etsi non in omni sua operatione.—Id certo constat ex (Encycl. *Divinum)* ubi *Leo XIII* asserit dona illa tantæ esse excellentiæ " ut in cœlesti regno *eadem*, quanquam *perfectius*, perseverent."

1a *Pars* evincitur ; quia dona Sp. S. secundum suam *essen-*

1—De donis Sp. S. in specie plura disputat Th. a Vallgornera, in sua *Mystica Theologia.*

tiam perficiunt mentem humanam ad sequendam superni illius Spiritus motionem. Atqui in patria perfectissime homo divinæ motioni obtemperabit, propterea quod tunc erit *Deus omnia in omnibus* (1 Cor. XV, 28), Eique voluntas totaliter subdita erit. Ergo.

2ª *Pars* apparet : quippe si spectentur dona quantum ad *materiam* circa quam sunt, in præsenti vita non solum nos in bono perficiunt, sed etiam contra tentamenta malorum protegunt. Porro in patria mala omnia cessabunt, nec ulla imperfectio statui beatitudinis contraria subsistet. Consequenter, in patria, donorum operationes quædam amplius non erunt, aliæ vero majorem perfectionem induent : v.g. operationes doni *intellectus*, *sapientiæ* et *scientiæ*, depulsa omni obscuritate, plena evidentia fruentur ; donum *consilii*, extra omnem contingentium aleam, manebit secundum continuatam a Deo cognitionem eorum quæ beati sciverunt et secundum ordinationem actuum ex beatitudine consequentium, cujusmodi est laudare Deum, intercedere pro viatoribus ; donum *pietatis*, præsertim post diem judicii, esse non poterit de operibus misericordiæ, at perfectius suos actus præcipuos exercebit ; donum *fortitudinis* habebit quasi actuum suorum consummationem, perfruendo omnimoda securitate a laboribus et malis ; tandem donum *timoris* poterit revereri divinam majestatem inflictivam mali secundum naturæ possibilitatem, etsi non secundum gloriæ conditionem.

Conclusio 3ª.—DIGNITAS RESPECTIVA DONORUM ATTENDITUR SIMPLICITER SECUNDUM COMPARATIONEM VIRTUTUM.

Etenim dignitas donorum dupliciter attendi potest, *simpliciter* et *secundum quid*, prout comparatio fiat vel ad proprios actus vel ad materiam.—Porro, *simpliciter* loquendo, eadem est comparationis ratio in donis et in virtutibus, quia dona ad omnes actus potentiarum, ad quos virtutes, hominem perficiunt. Unde sicut virtutes intellectuales (ob intellectus præ voluntate superioritatem) præferuntur virtutibus moralibus, et in ipsis virtutibus intellectualibus contemplativæ præferuntur activis, præcedente tamen sapientia intellectum et intellectu scientiam, ita etiam in donis sapientia et intellectus, scientia et consilium præferuntur pietati, fortitudini et timori, in quibus præterea pietas anteponitur fortitudini et fortitudo timori, sicut justitia fortitudini et fortitudo tempe-

rantiæ.—Sed quantum ad materiam et *secundum quid*, fortitudo et consilium præferuntur scientiæ et pietati, quia illa dona locum habent in arduis, ista vero in communibus.

Conclusio 4ª.—DONA INFERIORA SUNT VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, PERFECTIORA AUTEM VIRTUTIBUS INTELLECTUALIBUS ET MORALIBUS ETIAM INFUSIS.

Prob.—Virtutes theologicæ eæ sunt quibus mens humana Deo conjungitur; virtutes intellectuales sunt quibus ratio ipsa perficitur; virtutes autem morales id efficiunt ut vires appetitivæ disponantur ad obediendum rationi; tandem dona Sp. Sancti omnes vires animæ inclinant ad obsequendum motioni divinæ. Ergo eadem videtur esse comparatio donorum ad virtutes theologicas, per quas homo Sp. Sancto moventi unitur, sicut virtutum moralium ad virtutes intellectuales, per quas ratio moralium directrix perficitur. Atqui virtutes intellectuales præeminent virtutibus moralibus, quas regulant. Ergo *virtutes theologicæ donis Sp. Sancti anteponendæ sunt.*—Sed si dona ad alias virtutes intellectuales vel morales etiam infusas comparemus, illa istis præstare dicenda sunt: siquidem dona perficiunt vires animæ per respectum ad Sp. S. moventem, prædictæ autem virtutes perficiunt vel rationem ipsam vel alias vires rationi subjiciendas. Atqui manifestum est ad altiorem motorem perfectius mobile disponi oportere. Ergo *dona præcellunt virtutibus intellectualibus* vel *moralibus.*

Quæ modo diximus accipienda sunt secundum *ordinem perfectionis* et *dignitatis.*—Nam, spectato *generationis* seu *dispositionis ordine,* virtutes morales et intellectuales præcedunt dona, quatenus homo, per hoc quod perficitur secundum rationem propriam, disponitur ad promptiorem erga Deum obeditionem.

QUÆSTIO SECUNDA

DE BEATITUDINIBUS ET FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI

Mos theologorum est, post dona, peragere de quibusdam virtutum præsertimque donorum actibus ac operibus, quæ præcipua quadam ratione *beatitudines* et *fructus* Sp. Sancti vocantur. — Duo hæc in duobus articulis seq. comprehendemus.

ARTICULUS I.

De beatitudinibus.

(I-IIæ, Q. LXIX)

Obstupuit magnamque in spem se mundus erexit, quando vox Christi, in monte personans, novum quemdam et pene inauditum de *octo beatitudinibus* (Matth. V) edidit sermonem, tam longe ab ethnicis doctrinis fabulisque distantem.— Jucundum erit, præeunte Angelico, perspicere quid sint quove pacto debeant illæ beatitudines intelligi sive *in genere*, sive *in specie*.

Conclusio 1ª.—BEATITUDINES SUNT QUIDAM PERFECTIORES ACTUS VIRTUTUM MAXIMEQUE DONORUM SP. SANCTI, QUORUM MERITIS REPROMITTUNTUR PRÆMIA, VEL INCHOATÆ BEATITUDINIS IN HAC VITA, VEL FUTURÆ BEATITUDINIS PERFECTÆ.—Doctrina hæc continetur verbis *Leonis XIII* (Encycl. *Divinum*), ubi, postquam descripserat varia Sp. S. munera, addit. " Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque *beatitudines evangelicas* quæ, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciæ sunt beatitatis perpetuo mansuræ."

1ª *Pars* concl. *expl.*—Id per metonymiam et anticipationem quamdam dici potest beatitudo in quo firma spes consequendæ beatitudinis fundatur; spes autem de conse-

cutione finis ex congrua motione et accessione ad illum exsurgit. Jamvero, ad finem suæ beatitudinis homo movetur et appropinquat per actus virtutum maximeque donorum, quibus efficax quidam veluti impulsus imprimitur. Itaque beatitudines evangelicæ accipiendæ sunt tanquam *eximia* quædam *opera* virtutum ac donorum Sp. S., per quæ homo proprius ad finem accedens firmiorem spem felicitatis concipit: quod magis ad consilia evangelica quam ad præcepta refertur.

2ª *Pars decl.*—Circa præmia in Evangelio beatitudinibus attributa, plures prolatæ sunt interpretationes; quas tamen *S. Thomas* (art. 2) sic composuit. Etenim " spes futuræ beatitudinis potest esse in nobis propter duo: *primo* quidem propter aliquam præparationem vel dispositionem ad futuram beatitudinem, quod est per modum meriti; *alio modo* per quamdam inchoationem imperfectam futuræ beatitudinis in viris sanctis etiam in hac vita. Aliter enim habetur spes fructificationis arboris, cum virescit frondibus; et aliter, cum jam primordia fructuum incipiunt apparere. Sic igitur ea quæ in beatitudinibus tanguntur tanquam *merita*, sunt quædam præparationes vel dispositiones ad beatitudinem vel perfectam vel imperfectam; ea vero quæ ponuntur tanquam *præmia*, possunt esse vel ipsa *beatitudo perfecta*, et sic pertinent ad futuram vitam; vel aliqua *inchoatio beatitudinis*, sicut est in viris perfectis, et sic præmia pertinent ad præsentem vitam." Quemadmodum enim *mali*, quamvis forte non temporalibus, tamen spiritualibus pœnis his in terris affliguntur, ita " e converso *boni*, etsi in hac vita quandoque non habeant corporalia præmia, nunquam tamen deficiunt a spiritualibus etiam in hac vita, secundum illud (Matth. XIX, 29 et Marc. X, 30): *Centuplum accipietis...etiam in hoc sæculo* " *(ibid.* resp. ad 2).

Conclusio 2ª.—Octo beatitudines convenientissime in Evangelio enumerantur cum proportionatis præmiis.—Id ex singulorum consideratione patebit.

1º Dominus, ut homines a *bonis mundanis vitaque voluptuosa*, quam nimis multi pro fine habent, retraheret, tres priores beatitudines promulgavit.

a) Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Prima hæc beatitudo ponitur ut refrænetur humana inclinatio ad *bona exteriora* et caduca, sive sint divitiæ, sive

honores, quorum quidem moderatum usum præscribit virtus, at quæ donum contemnere docet per sapientiæ humilitatisque progressum.--Hinc Christus pauperibus spiritu uti præmium repromisit *regnum cœlorum*, per quod intelligitur excellentia et abundantia divinorum bonorum, quibus justus pro spiritualis profectus mensura *inchoate* fruitur in terris, sed quæ consummantur in cœlis.—Hæc beatitudo respondet *dono timoris*, quatenus paupertas spiritus importat ut homo, Deo subjectus, refugiat magnificari in seipso vel in bonis hujus mundi, cuncta prospera expectans ab omnipotente cœlorum Rege.

b) Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Altera hæc beatitudo inducitur ad retrahendum hominem a sequela *passionum appetitus irascibilis*, quas quidem ratio regulat, sed donum perfectius compescit.—Quapropter mitibus repromittitur secura et quieta *terræ possessio*, per quam significatur soliditas æternorum bonorum, quorum hæreditas jam nunc firma animæ desiderantis confidentiâ præoccupatur.—Habet hæc beatitudo aliquam convenientiam cum *dono pietatis;* siquidem per mansuetudinem tolluntur impedimenta actuum pietatis et benevole disponitur animus erga proximum pietate dignum; quæ pietas hominum Deique favorem sibi conciliat.

c) Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Per hanc beatitudinem retrahitur homo a sequendis *passionibus appetitus concupiscibilis*, quæ et virtute, et maxime dono Sp. S. comprimuntur.—Idcirco lugentibus Christus offert præmium *consolationis* tum in hac vita per Spiritum consolatorem, tum præsertim in futura.—Respondet hæc beatitudo *dono scientiæ* (etsi etiam *dono timoris*), in quantum scientia divina nos edocet rectam temporalium æstimationem facere et errata præterita luctu salutari deplorare.

2° Quatuor sequentes beatitudines eo pertinent ut homo *in bonis vitæ* sive *activæ* sive *contemplativæ* promoveatur.

d) Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hæc quarta beatitudo spectat ad vitam activam, cujus habitudo ad proximum sæpius est sub ratione debiti, quæque per justitiæ desiderium ex dono Sp. S. ferventius exercetur.—Hinc esurientibus et sitientibus justitiam repromittit Dominus *saturitatem* bonorum, quorum prægus-

tatio quædam jam nunc habetur, sed quæ perfecta in cœlis futura sunt.—Respondet hæc beatitas non solum *dono pietatis*, sed etiam *dono fortitudinis*, quia nihil ad perferenda mala et ardua quæque suscipienda efficacius incitat quam insatiabile desiderium justitiæ.

e) Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Hæc est quinta beatitudo fundata in donis spontaneis, prout ista non solum liberalitate in propinquos fiunt, sed altius ex misericordia erga indigentes repetuntur.—Qua de causa Dominus misericordibus repromittit *misericordiam*, sive *initialem* qua nunc peccata ipsis remittantur, sive *finalem* qua ab omni miseria liberentur.—Præfata beatitudo respondet simul tum *dono pietatis*, ut patet, tum *dono consilii* juxta illud *S. Aug.* (l. I de Serm. Dom. in monte, c. 4, n. 11) : " Hoc enim remedium est evadendi de istis malis ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus, et adjuvemus in quo possimus alios, sicut et nos cupimus adjuvari."

f) Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sexta beatitudo adscribitur munditiæ cordis tanquam dispositioni qua mentis oculus, depuratus per virtutes et dona tum a passionum inquinamentis, tum a phantasmatum errorumque obscuritatibus, acuitur ad Deum contemplandum.—Quæ *Dei visio* seu contemplatio, mundis quasi præmium promissa, una est *imperfecta* et aliqualiter tantum ad Deum attingens in hac vita, alia vero *perfecta* et intuitiva in patria.—Respondet hæc beatitudo *dono intellectus*.

g) Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Septima hæc beatitudo dispositive et per modum meriti pertinet ad *pacem*, qua quis in seipso et ad alios ordinate se habet.—Cum autem hæc pax secum ferat imitationem Ejus qui est Deus unitatis et pacis, ideo viro pacifico pro præmio redditur gloria, hic inchoata, sed in cœlis consummata, *divinæ filiationis*.—Ordinare autem proprium est sapientis. Quocirca septima beatitudo, secundum quam homo affectus habet bene ordinatos, respondet *dono sapientiæ*.

3° Postremo loco refertur hisce terminis octava beatitudo : *h) Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* ; de qua *S. Thomas* (I-II^{æ}, Q. LXIX, a. 3 ad 5) : " Octava beatitudo est quædam confirmatio et manifestatio omnium præcedentium. Ex hoc

enim quod aliquis est confirmatus in paupertate spiritus, et mititate, et aliis sequentibus, provenit quod ab his bonis propter aliquam persecutionem non recedit. Unde octava beatitudo quodammodo ad septem præcedentes pertinet."

ARTICULUS II.

De fructibus Spiritus Sancti.

(I-IIæ, Q. LXX)

1° *Fructus* in spiritualibus dupliciter dici potest: vel *finis ultimus* quem homo per moralis culturæ industriam, seu per bona opera, cum delectatione adipiscitur; vel ipse *actus salutaris* quem anima, semine gratiæ fecundata, quasi arbor ferax progignit.—Secundum hunc postremum sensum, qui modo intenditur, *fructus Sp. S.* describi possunt, non habitus, sed *actus boni divinaque virtute eliciti, in quibus justus delectatur*; quippe delectatio ad rationem fructus pertinet.

Inter fructus alii *ratione* tantum, *realiter* alii a beatitudinibus distinguuntur.—Etenim omnes actus, qui ob suam *excellentiam* beatitudines vocantur, rationem fructus habent propter suam spiritualem *suavitatem*. At multa sunt virtuosa opera quæ ad eminentiam beatitudinum non attingunt, et tamen, quia morali quadam dulcedine condiuntur, fructus dici debent.—Nomina virtutum sumuntur quandoque pro earum *actibus*: id factum est in designandis fructibus Sp. Sancti.

Conclusio.—FRUCTUS SPIRITUS SANCTI CONVENIENTER AB APOSTOLO PONUNTUR ATQUE ENUMERANTUR.

1° Scribit B. Paulus (Gal. V, 22-23): *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* — De quibus hæc loquitur *Leo XIII* (Encycl. *Divinum*): " Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati, quos hominibus justis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni refertos dulcedine

et gaudio, cujusmodi esse debent a Spiritu, qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas." [1]

Tot reapse sunt fructus supernaturales quot sunt actus qui, operante Sp. S., per habitus virtutum et donorum cum suavitate exseruntur; tamen ad duodecim præcipua genera congrue reduci possunt, secundum quod *D. Thomas*, cujus verba exscribere pretium est, optima expositione instituit (art. 3): " Numerus, inquit, duodecim fructuum ab Apostolo enumeratorum conveniens est, et possunt significari per duodecim fructus de quibus dicitur (Apoc. ult., 2): *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim.*— Quia vero fructus dicitur quod ex aliquo principio procedit sicut ex semine vel radice, attendenda est distinctio horum fructuum secundum diversum processum Sp. Sancti in nobis. Qui quidem processus attenditur secundum hoc, ut *primo* mens hominis in *seipsa* ordinetur; *secundo* vero ordinetur ad ea quæ sunt *juxta*; *tertio* vero ad ea quæ sunt *infra*.

1º " Tunc autem bene mens hominis disponitur in *seipsa*, quando mens hominis bene se habet in *bonis* et in *malis*.— *a)* Prima autem dispositio mentis humanæ ad *bonum* est per amorem, qui est prima affectio et omnium affectionum radix, et ideo inter fructus Spiritus primo ponitur *caritas*, in qua specialiter Sp. Sanctus datur, sicut in propria similitudine, cum et ipse sit amor... Ad amorem autem caritatis ex necessitate sequitur gaudium; omnis enim amans gaudet ex conjunctione amati; caritas autem semper habet præsentem Deum quem amat, secundum illud (1 Joan. IV, 16): *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Unde sequela charitatis est *gaudium* [2]. Perfectio autem gaudii est pax quantum ad duo: *primo* quidem quantum ad quietem ab exterioribus conturbantibus; non enim potest perfecte gaudere de bono amato qui in ejus fruitione ab aliis perturbatur; et iterum qui perfecte cor habet in uno pacatum, a nullo alio molestari potest, cum alia quasi nihil reputet; unde dicitur (Ps. CXVIII, 165): *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*, quia scil. ab exte-

1—S. August. de Trin. l. VI, c. 10.
2—Vid. supra, Disp. VIII, Q. V, a. 2.

rioribus non perturbantur quin Deo fruantur. *Secundo* ad sedationem desiderii fluctuantis; non enim perfecte gaudet de aliquo, cui non sufficit id de quo gaudet. Hæc autem duo importat pax, scil. ut neque exterioribus perturbemur, et ut desideria nostra conquiescant in uno. Unde post caritatem et gaudium tertio ponitur *pax* [1].—*b)* In *malis* autem bene se habet mens quantum ad duo: *primo* quidem, ut non perturbetur mens per imminentiam malorum, quod pertinet ad *patientiam; secundo* ut non perturbetur in dilatione bonorum, quod pertinet ad *longanimitatem;* nam carere bono habet rationem mali.

2° " Ad id autem quod est *juxta* hominem, scil. proximum, bene disponitur mens hominis: *primo* quidem quantum ad voluntatem benefaciendi, et ad hoc pertinet *bonitas; secundo* quantum ad beneficentiæ executionem, et ad hoc pertinet *benignitas;* dicuntur enim benigni quos bonus ignis amoris fervere facit ad benefaciendum proximis; *tertio* quantum ad hoc quod æquanimiter tolerentur mala ab eis illata, et ad hoc pertinet *mansuetudo* quæ cohibet iras; *quarto* quantum ad hoc quod non solum per iram proximis non noceamus, sed etiam neque per fraudem vel per dolum, et ad hoc pertinet *fides*, si pro fidelitate sumatur; sed si sumatur pro fide qua creditur in Deum, sic per hanc ordinatur homo ad id quod est supra se, ut scil. homo intellectum suum Deo subjiciat, et per consequens omnia quæ ipsius sunt.

3° " Sed ad id quod *infra* est, bene disponitur homo primo quidem quantum ad exteriores actiones per *modestiam*, quæ in omnibus dictis et factis modum observat; quantum ad interiores concupiscentias, per *continentiam* et *castitatem*, sive hæc duo distinguantur per hoc quod castitas refrænat hominem ab illicitis, continentia vero a licitis; sive per hoc quod continens patitur concupiscentias sed non deducitur, castus autem neque patitur neque deducitur."

1—Cf. *ibid.* a. 3.

Tertium hoc operis nostri volumen, *de Reparatione*, absolvemus dirigendo ad lectores verba quæ scribebat S. Paulus (2 Cor. XIII, 13): *Gratia Domini Nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis;* et alia ejusdem Apostoli (Gal. I, 3-5): *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum.*

LAUS

DEO, LUMINUM DATORI,

VIRGINI IMMACULATÆ

SANCTISQUE ECCLESIÆ DOCTORIBUS.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PARS PRIMA

DE PECCATO ORIGINALI

DISPUTATIO PRIMA

Quæstio I.—De traductione peccati originalis

Quæstio II.—De essentia et subjecto peccati originalis

Quæstio III.—De effectibus peccati originalis

PARS SECUNDA

DE GRATIA CHRISTI

DISPUTATIO SECUNDA

Quæstio unica.—De necessitate gratiæ

DISPUTATIO TERTIA

DE ESSENTIA ET DIVISIONE GRATIÆ

Quæstio I.—De essentia gratiæ

Quæstio II.—De divisione gratiæ

DISPUTATIO QUARTA

DE CAUSA ET DISPENSATIONE GRATIÆ

Quæstio I.—De causa gratiæ

Quæstio II.—De dispensatione gratiæ

DISPUTATIO QUINTA

DE EFFECTIBUS GRATIÆ

Quæstio I.—De effectibus formalibus gratiæ, præsertim de justificatione

Quæstio II.—De merito

PARS TERTIA

DE VIRTUTIBUS INFUSIS

DISPUTATIO SEXTA

DE FIDE THEOLOGICA

Quæstio III.—De ipsa fidei virtute

Quæstio IV.—De vitiis fidei oppositis

Quæstio V.—De habitu inter fidem et rationem

DISPUTATIO SEPTIMA

Quæstio unica.—De spe theologica

DISPUTATIO OCTAVA

DE CARITATE

Quæstio I.—De caritate secundum se

Quæstio II.—De caritate in comparatione ad subjectum

Quæstio III.—De objecto caritatis

Quæstio IV.—De ordine caritatis

Quæstio V.—De actu caritatis

DISPUTATIO NONA

DE QUIBUSDAM PERFECTIONIBUS VIRTUTES ATTINENTIBUS

FINIS

CORRIGENDA

Pag.	lin.	errata	corrige
24	6-7	posterioribus	anterioribus
27	8	Aticulus	Articulus
56	35	quo	qua
120	24-25	initiaiter	initialiter

OPERA EJUSDEM AUCTORIS

LA FOI ET LA RAISON en elles-mêmes et dans leurs rapports $0 50

COMMENTARIA IN S. TH. D. THOMÆ :

I.—DE DEO UNO ET TRINO $1 50

II.—DE CREATIONE 1 50

Alia Commentaria posterius in lucem edenda

I.—DE INCARNATIONE.

II.—DE SACRAMENTIS (1ª Pars).

III.—DE SACRAMENTIS (2ª Pars) cum Appendice *de Novissimis.*

$0 50

$1 50
1 50

da

endice